ANECDOTA,

QUÆ

EX AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ

CODICIBUS

Nunc primum eruit

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS,

Sereniſs. RAYNALDI I.

MUTINÆ &c. DUCIS

Bibliothecarius.

TOMUS TERTIUS.



PATAVII, Typis Seminarii, M.DCC.XIII.

Apud Joannem Manfrè.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

SERENISSIMO

JOANNI CORNELIO

Venetiarum DUCI.

L*Iceat mihi, Sereniſſime Dux, geminos Anecdotorum meorum Tomos Tibi ſiſtere, Opuſcula nempe quædam veterum Scriptorum numquam antea, ut puto, publici juris facta. Non eos quidem*

*2 ele-

elegantia , neque ipſa fortaſſe materies prima fronte commendet ; attamen habent ii , quod ſe ad Serenitatem Tuam fidenter invitet , ubi recogito , quantopere Tibi non minus , quam præclariſſimæ Genti Tuæ , in more ſemper fuerit , cum Literarum ſtudia fovere , tum earum promovere ſortem : cujus rei exempla is tantum ignorat , qui celeberrimam Corneliam *Gentem , ejuſque illuſtria facta atque ſplendorem nondum , ſi fieri poteſt , novit . Quamobrem quum iſta , qualiacumque ſint , eruditæ vetuſtatis fragmenta non uni uſui eſſe poſsint graviorum Diſciplinarum ſtudioſis ; cur Serenitati Tuæ non placeant , cui quæcumque bonarum Artium commoda , immo vel minima ornamenta placent ? En igitur illa Nomini Tuo dicata in mei erga Te obſequii pignus , atque in grati etiam animi teſſeram , poſtquam publicæ lucis beneficium nulli alii debent , quam Venetæ ditionis Urbi . Nunc reſtat , ut meum iſtud tributum , & me quoque , ea , qua ceteros ſoles , humanitate ac benevolentia excipias . Quod utique mihi polliceor a Te ,*

Sere-

Sereniſsime Princeps, quem Nobiliſsimi Senatus vota eum in locum perduxere, ubi omnium Virtutum, quæ in Te confluxerunt, munia facilius & eminentius exerceas. Soſpitet diutiſsime Deus Optimus Maximus Serenitatem Tuam, & fauſta quæque tribuat inclytæ Reipublicæ Tuæ, cujus felicitas non noſtræ modo Italiæ, ſed etiam Chriſtianæ Reipublicæ, felicitas eſt.

Serenitatis Tuæ

Mutinæ III. Non. April. MDCCXII.

Humillimus, Addictiſſimus, & Obſequentiſſimus Famulus
Ludovicus Antonius Muratorius.

T N-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

INDEX OPUSCULORUM

TOMI TERTII.

Tertulliani Libellus de Oratione completus cum notis Guidonis Panciroli, & Ludovici Antonii Muratorii. 1

Stephanardi de Vicomercato Ord. Præd. Poema de geſtis in Civitate Mediolani ſub Othone Vicecomite Archiepiſcopo. 59

Anonymi, qui vixit circ. Annum Chriſti DCCCX. Liber de Computo, ſive de Kalendario. 109

S. Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi Epiſtolæ V. & Sermones II. una cum Epiſtola Ivonis Carnotenſis. 213

Gezonis Abbatis Derthonenſis Liber de Corpore & Sanguine Chriſti. 239

Æneæ Silvii Picolominei Epiſcopi Senenſis, qui ad Pontificatum Maximum eve-ctus Pius II. appellatus eſt, Oratio habita coram Calliſto Papa III. de *Compactatis Bohemorum*. 307

NOI

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbatione del P. *F. Ambroſio Liſotti Inquiſitore di Padoa* nel Libro intitolato: *Anecdota Ludovici Antonii Muratorii Tom. Tertius, & Quartus*, non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à *Zuanne Manfrè Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 15. Agoſto 1711.

(Ferigo Marcello Proc. Reff.
(
(Alviſe Piſani Kav. Proc. Reff.

Agoſtino Gadaldini Segr.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

LIBER DE ORATIONE.

Prolegomena.

PLurimos Tertulliani editos libros, paucos vero Manuſcriptos in Bibliothecis numeramus. Hinc factum, ut ne adhuc quidem accuratiſſime typis deſcripta illius opera habeamus; quædam mutila, fœdiſque vulneribus horrentia in publicum prodierint; nonnulla etiam deſiderentur, quæ a Tertulliano evulgata ſcimus, at nobis ab edacitate temporum omnino erepta æque ſuſpicamur, & dolemus. Melioribus fatis hucuſque gaviſus non eſt liber *De Oratione*, quem primus omnium Pariſiis e vetuſtiſſimo Codice evulgavit Joannes Gagnejus Pariſienſis Theologus A. C. 1545., at minime integrum, at illuſtri coronide deſtitutum. Neque huic editioni reliquæ ſubſequutæ opem tulere præ Codicum inopia. Unus tantum Rigaltius V. C. mutilum eſſe librum animadvertit, & aliquot dumtaxat lineis in calce additis, medicinam aliis propinandam reliquit. Quum itaque ego inciderim in vetuſtum Ambroſianæ Bibliothecæ Codicem, ubi legebantur quæ in ceteris deſunt, continuo Anecdotis meis addidi, veluti gemmas literariæ Reipublicæ in primis gratas. Quæcumque enim e Tertulliano, omnium certe ſui temporis eruditiſſimo, literis conſignata ſunt, eaque præſertim, quæ in caſtris Catholicorum ſcripſit, quanti ſint apud omnes

Eccleſiaſticæ rei cultores, vel ipſis tyronibus patet. Ambroſianus autem Codex non ab Orationis Dominicæ expoſitione, ut in editis habemus, ſed ab iis, quæ hujuſmodi expoſitionem ſubſequuntur, Opuſculum exordiebatur cum hocce titulo: *Incipit Tertulliani diverſarum rerum neceſſariarum*. Tum Caput primum, cujus initium eſt *Compendiis pauculorum verborum* &c. ita prænotabâtur *Anacephalæoſis*. *Poſſe nos ſuperadjicere*, titulus erat ſequentis Capitis. Reliqua etiam Capita ſuos titulos præferebant, quos itidem in hac noſtra editione retinendos cenſuimus. Quod ſupereſt, Opuſculum iſtud quibuſdam exornare, ac illuſtrare adnotationibus placuit, ne quod reliquis Tertulliani libris eruditiſſimi viri præſtitere, huic deſit, & ne tenebras, & ferreum aſperumque Scriptoris hujus ſtylum delicatuli quidam cauſſantes, ab ejus lectione avertantur. Nullum denique inter veteres Chriſtianos auctorem oſtendas, cui eruditionis & ſcholiorum lumina magis admovenda videantur, quam Tertulliano, a quo obſcuritas in dicendo neſcio utrum evitari ullo pacto poſſet, an in deliciis haberetur.

Quæ quidem omnia quum digeſſiſſem pro viribus meis, ſubiit non ingratum eruditis futurum, ſi notis meis illas quoque ſubjicerem, quas Guido Pancirolus Juriſconſultus Regienſis in eumdem de Oratione librum conſcripſerat. Eoque libentius conſilium meum probatum iri ſperabam, quod animadverterem potiorem Clariſſimi viri curam in obſcuris Tertulliani ſenſibus exponendis poſitam, quum contra ego hiſtoricas potius ac eruditas libelli hujus reliquias mihi illuſtrandas propoſuiſſem. Dolendum autem eſt, neminem adhuc in Italia fuiſſe, qui ad noſtræ gentis gloriam ceteros Panciroli in Tertullianum Commentarios edendos curaverit. Vix brevem de iis mentionem a Thomaſino in Panciroli vita, a Dupinio, Gulielmo Cave, aliiſque paucis Scriptoribus habemus; imo vix iis conſtabat, eorum quidquam ſupereſſe. Meliore profecto ſorte dignus erat labor ille Panciroli viri celeberrimi, qui non Juriſpruden-

dentiæ ſolum, ſed ſacræ etiam & profanæ eruditionis laude eximium inter literatos ſibi comparavit locum. Et quidem opinor, uti & Poſſevinus in Apparatu opinabatur, uberrimos illos in Tertullianum Commentarios, quos Beatus Rhenanus, Pamelius, La Cerda, Salmaſius, atque alii doctiſſimi viri luci mandarunt, obſtitiſſe, ne iſti prodirent; putantibus nimirum iis, quibus poſthuma Panciroli fama cordi futura erat, ſe parum utilem operam luſuros, ſi eaſdem dapes eruditorum palato exhiberent. Verum non is eſt Tertullianus, qui paucis contentus ſit Interpretibus; & quum recentiores ejus Interpretes ab antiquiorum conatibus minime deterriti ſint, quominus & ſuos illi producerent, cur Panciroli ſtudioſos de tam nobili conſilio dejicere debuit inconſultus hic metus? Facile vero eſt, ut coeuntibus in unius Auctoris explicationem pluribus, diverſiſque ingeniis, ejus mens ac ſcripta clariora in dies fiant, atque a tenebris liberentur aut ex antiquitate temporum, aut ex incuria librariorum, aut e Scriptoris auſteritate manantibus. Quæ quamquam de ſingulis veteribus vere dici poſſunt, in primis tamen de Tertulliano ſunt affirmanda, quem poſt tot Interpretum curas habemus adhuc obſcurum. Eodem autem tempore, quo Pamelius, in Tertulliano explicando exercebatur Pancirolus, nobiſque plenos reliquit Commentarios in omnia illius ſcripta ad mortem uſque ſuam evulgata. Horum autem autographon Regii Lepidi in ejus patria latet. Mihi videre ac deſcribere contigit ejus tantummodo exemplar, quod accuratiſſime ſcriptum in ſua Bibliotheca ſervat P. Johannes Baptiſta Cattaneus, Franciſcani Ordinis, ut vocant, de Obſervantia ornamentum. Et quoniam hujus munere factum eſt, ut quod mihi de MS. illo opere placeret, haurire poſſem, heic Epiſtolam quoque dare ſtatui iiſdem Commentariis præpoſitam; inde enim palam fiet, quæ in Tertullianum Pancirolus præſtiterit. Ita ergo ſcribit ille:

Ad Lectorem

PANCIROLI

PRÆFATIO.

FElicem mihi adventum Patavio Taurinum ex eo potiſſimum fuiſſe exiſtimo, quod inter alios, quos inveni, doctiſſimos viros, in primis Vincentius Laurus Montisregalis Epiſcopus, & S. D.N. Gregorii XIII. Pont. Max. apud Sereniſs. Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem Nuncius Apoſtolicus, ac Cardinalis in omni diſciplinarum genere verſatus occurrit, qui dum me domeſticis colloquiis ſuis dignum putavit, doctrina meliorem ſemper fecit; & ſicut M. Tullius Cicero a Q. Mutii Scævolæ latere doctior diſcedebat, ita ego ex eruditiſſimis ſermonibus ſuis non pauca exhauriens locupletior abii. Modo enim res ab orbe condito geſtas enarrabat, modo Philoſophiæ arcana depromebat, aut obſcuros aliquos Auctores explicabat, vel mendoſam lectionem ex probatis exemplaribus emendabat, vel ex ſuo pio inſtituto aliqua ex ſacris Literis interpretabatur. Quum vero Tertulliani ſcriptis mirifice delectatus, eum velut alter Cyprianus quotidie in manibus haberet, valde dolebat, ita obſcurum inveniri, ut nullus quandoque ex illo ſenſus erui poſſet. Sed quum multis obrutus negotiis, quæ ſibi Montisregalis Antiſtiti ex ſua ditione imminebant, & tamquam Summi Pontificis Legato, vel Roma demandata, vel ex Subalpinis, undique emergentia occurrebant, hunc Autorem explanandi otium non haberet, aliquem alium quærebat, qui tanto oneri ſubeundo poſſet ſufficere. Videbat ad hominem omnibus diſciplinis imbutum, ac Linguę Græcæ, hiſtoriarumque peritiſſimum in-

in Lælio, ſive de Amicit.

S. Hier. de Script. Eccl. in Tertull.

interpretandum opus eſſe viro , qui plurium rerum , & in primis Juris Civilis notitiam haberet , quum Tertullianus ipſe , ut ſcribit Euſebius Hiſt. Eccl. lib.1. cap.2., Juriſconſultus plurima ex Jure civili depromta paſſim ſcriptis inſerat . Sed etſi alii Doctores non deerant, qui id exactius præſtare potuiſſent , plura tamen ſibi de me, quam ferre poſſem , pollicitus ad hoc munus aptum eſſe exiſtimavit . Dum enim me diu Patavii , & aliquot annis Taurinorum Auguſtæ Jus Civile profeſſum eſſe animadvertit , ac nondum ingenii mei tenuitatem agnoſcens , publico profitendi , ut arbitror , mihi munere demandato deceptus , ad tantum onus ſubeundum idoneum judicavit , ut qui non modo tamquam Juris interpres , hunc Juriſconſultum , ſed etiam plura ejus obſcuriora poſſem interpretari .

Hanc itaque provinciam mihi primo obtulit, & ſemel iterumque recuſanti inſtitit demum , & pro ſua auctoritate impetravit, ut mandata ſuſciperem . Cernebam quidem multa mihi tenujoris doctrinæ homini ad tantum Auctorem explanandum deeſſe , & mediocrem legum cognitionem ad plura , quæ ex reconditis Hiſtoriis , Philoſophia , Medicina , ac ſacris Literis accipit, explananda non ſufficere ; nec id tempus pluribus fori negotiis implicito permittebat : Sed quod me non poſſe dicebam , ille nolle credebat .

Quid facerem ? neque ſervitio me exire licebat,
Nec tam præſentes fas non cognoſcere divos. *Virg. Egl.1.*

Illi itaque reſiſtere non licuit , parendoque malui ab illo ingenium meum , quam voluntatem quæri , & imbecillitatem , quam contumaciam reprehendi .

Collum igitur jugo ſubjeci , & quod nec meæ vires patiebantur , nec tempus commode permittebat , ſubſecivis horis agere cœpi . Sed dum illi morem gero , vereor ne mihi eveniat , quod Sergio Galbæ contigit , qui privatus imperio dignus eſt judicatus , princeps vero factus ad illud ineptus apparuit . Ego quoque dubito , ut qui tacens illi aliquid ſcire videbar , loquens indoctiſſimus omnibus detegar . Quidquid tamen futurum ſit, ju- *Tacit. lib.1. Hiſt. ſeu Annal. l.17.*

ſta capiendo, quid poſſim ſua auctoritate experiri volui. Inveni autem Tertullianum ſuo ſtylo, ut & Lactantius Firmianus, & D. Hieronymus indicant, obſcurum, dum aut omiſſa verba vult ſubaudiri, vel minus uſitata uſurpat, & novam etiam phraſim ſibi format. Ego ut legentes ſublevarem, horum proprium indicem compoſui, ut in quo ſenſu dictiones, aut verba accipiat, cuique appareat. Quum vero majorem depravati Codices difficultatem afferant, plura emendavi, ſed ex his tantum, quæ idem Auctor ſæpe repetit, vel D. Hieronymus aliique poſt eum recitant. Ex meo verò capite præter literam, aut ſyllabam nihil mutare ſum auſus, maluique ambiguos permanere, quam falſos aut extraneos ſenſus inducere, & aliquid potius deſiderari quam corrumpi. Nihil tamen intactum omiſi, ac in magnis obſcuritatibus ſatius eſſe duxi, ingenium meum periclitari, quam confuſos lectores dimitti. Et ſicut Protogenes, quamquam egregius pictor, quum anhelantis equi ſpumam, rem tamen levem exprimere non poſſet, indignatus arti, ſpongia omnibus coloribus impacta, & animantis labiis admota, caſu quod optabat perfecit: ſic ipſe, dum mentem pluribus involvo, aliquo conatu evenire poſſe putavi; ut aliquem forte Auctoris ſenſum aſſequerer, quod & apud Philoſophos Averroes in Ariſtotelem, & apud noſtros Angelus Ubaldus in Novellis Conſtitutionibus Juſtiniani explicandis male in aliam linguam verſis effeciſſe cenſentur. Hiſtorias quoque omnes, quas attingit potius quam narrat, ubi opus fuit, ex probatis Auctoribus enarravi, ne cui dubitandi ſcrupulum relinquerem. In quibus liber *de Corona militis*, *ad Martyres*, *de Cultu feminarum*, *de Spectaculis*, & *Apologeticus*, ſed in primis opuſculum *de Pallio* non mediocre mihi negotium exhibuerunt. Quædam ex his aliqui explicarunt; ſed quid illi, & ipſe præſtiterim, aliorum erit judicium. Ceterum levioribus quibuſcumque, & iis, quæ facilia viſa ſunt, prætermiſſis, difficilia tantum explicui; ipſaque Opera Tertulliani, mutato ipſius ordine, in tres par-

Lact. Firm. div. Inſt. l. 5. c. 1. S. Hier. Ep. 13. ad Paulin.

Plin. l. 35. c. 10.

partes in gratiam ſtudioſorum pro materiæ varietate diſtribui.

Si quid autem legentes adjuvero, Deo omnium vero lumini acceptum: ſi contra, meæ imbecillitati, atque facilitati illius, qui malum interpretem elegit, imputabo. Magnum certe, & antiquorum Eccleſiæ rituum magiſtrum ab omnibus legendum Auctorem habemus, qui & recentiorum Hæreticorum errores contundit, dum ſæpe Euchariſtiam verum Corpus Chriſti eſſe tradit (de quo tamen nemo umquam uſque ad Berengarium dubitavit, aut dubitare potuit) Exhomologeſim peccatorum faciendam monet, pro defunctis oblationes fieri conſueviſſe indicat, Romanæ Sedis auctoritatem prædicat, animaſque defunctorum igne purgari, jejunia, aliaque his ſimilia, quæ longum eſſet recenſere, comprobat. Sed inſanis non facile eſt rationibus, aut auctoritatibus perſuadere. Has igitur meas lucubratiunculas benigne accipies, & æqui bonique conſules. Vale.

In Tertulliani librum de Oratione

ARGUMENTUM

E GUIDONE PANCIROLO.

HUnc ſermonem ad ſuam plebem velut Presbyter habuit, quemadmodum & Epiſtolam de Cibis Judaicis. Dicturus autem de Oratione, & interpretaturus Orationem Dominicam, primo à Chriſto eam inſtitutam eſſe oſtendit, & ipſam tribus conſtare, mox illam interpretatur. Deinde hanc Orationem omnium Scripturarum mandata in ſe continere demonſtrat. Ultimo de pluribus circa orandum obſervandis diſſerit: quæ quum ſint diſtincta, quiſque ea per ſe poterit animadvertere. Tertullianum imitatus D. Cyprianus & ipſe de Oratione Dominica luculentum tractatum compoſuit, in quo non pauca hinc excerpſit. D. quoque Johannes Chryſoſtomus variis in Matthæum locis, & de Oratione Dominica Homiliam nonam, & de orando Deum lib. 1. & 2. de hac luculentos ſermones habuit, aliaque alii ſcripſere.

Q. SE-

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

DE ORATIONE.

CAPUT I.

DEI (1) ſpiritus, & Dei (2) ſermo, & Dei ratio, ſermo (3) rationis, & ratio ſermonis, & ſpiritus, utrumque Jeſus Chriſtus Dominus noſter, nobis, diſcipulis novi Teſtamenti novam orationis formam determinavit. Oportebat enim in hac quoque ſpecie *novum* (4) *vinum novis utribus recondi, & novam plagulam novo adſui veſtimento*. Ceterum quidquid retro fuerat, aut (5) demutatum eſt, ut Circumciſio; aut ſuppletum, ut reliqua Lex; aut impletum, ut Prophetia; aut perfectum, ut Fides ipſa. Omnia de carnalibus in ſpiritualia renovavit nova Dei gratia, ſuperducto Euangelio (6) expunctore totius retro vetuſtatis, in quo & Dei ſpiritus, & Dei ſermo, & Dei ratio approbatus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus; ſpiritus (7) quo valuit, ſermo quo docuit, ratio (8) qua venit. Sic igitur oratio à Chriſto conſtituta ex tribus conſtituta eſt: ex ſermone, quo enunciatur: ex ſpiritu, (9) quo tantum poteſt: ex ratione, qua ſuſcipitur. Docuerat & Johannes diſcipulos ſuos adorare; ſed omnia Johannis Chriſto præſtruebantur, donec ipſo aucto, ſicut idem Johannes prænunciabat, *illum augeri oportere, ſe vero deminui*; totum præminiſtri opus cum ipſo ſpiritu tranſiret ad Dominum. Ideo nec exſtat, in quæ verba docuerit Johannes adorare, quod terrena cœleſtibus ceſ-

Matth. c. 6. & c. 9. 16.

Jo. 3. 30.

ſe-

Jo. 3. 31. ſerint. *Qui de terra eſt*, inquit, *terrena fatur*; *& qui de cœlis adeſt*, *quæ vidit ea loquitur*. Et quid non cœleſte, quod Domini Chriſti eſt; ut hæc quoque orandi diſciplina? Conſideremus (10) itaque, benedicti, cœleſtem ejus ſophiam, in primis de præcepto ſecrete (11) adorandi: quo & fidem hominis exigebat, ut Dei omnipotentis & conſpectum & auditum ſub tectis, & in abditis etiam adeſſe confideret: & modeſtiam (12) fidei deſiderabat, ut quem ubique audire, & videre fideret, ei ſoli religionem ſuam offerret, ſequente (13) ſophia in ſequenti præcepto; quod etſi proinde pertineat ad fidem & modeſtiam fidei, ſi non agmine verborum adeundum putemus ad Dominum, quem ultro ſuis proſpicere certi ſumus: attamen (14) brevitas iſta, quod ad tertium Sophiæ gradum faciat, magnæ ac beatæ interpretationis ſubſtantia fulta eſt: quantumque ſubſtringitur verbis, tantum diffunditur ſenſibus. Neque enim propria tantum orationis officia complexa eſt, venerationem Dei, aut hominis petitionem, ſed omnem pene ſermonem Domini, omnem commemorationem diſciplinæ, ut revera in oratione breviarium totius Euangelii comprehendatur.

ADNOTATIONES.

1. *Dei ſpiritus*. Non heic tantum, ſed & alibi Chriſtus a Tertulliano *Dei ſpiritus* appellatur, ut videre eſt in Apolog. cap. 21., & adverſus Marcion. lib. 1. cap. 10. & lib. 3. cap. 6., & 16., & lib. 4. cap. 21., & adverſus Praxeam cap. 26. Appellatio certe noſtris nunc auribus male ſonans, at veteribus quibuſdam, Hæreſes, quæ deinde obortæ ſunt, ante oculos non habentibus, incautè uſurpata. In ea potiſſimum ſententia fuit Lactantius Firmianus, teſte S. Hieronymo in Epiſtola ad Pammachium & Oceanum de Erroribus Origenis. *Lactantius*, inquit ille, *in libris ſuis*, *& maxime in Epiſtolis ad Demetrianum*, *Spiritus Sancti omnino negat ſubſtantiam*, *& errore Judaico dicit eum vel ad Patrem referri*, *vel ad Filium*, *& Sanctificationem utriuſque perſonæ ſub ejus nomine demonſtrari*. Idem ab Hieronymo repetitur in Comment. ad Cap. 4. Epiſt. ad Galatas. Quare quin & heic Tertullianus erret, dubitandum non videretur. Quum tamen aliis in libris a Patre ac Filio Spiritum Sanctum apertiſſime diſtinguat, *tertium Numen divinitatis*, *& tertium nomen majeſtatis* appellans, ideo Chriſtum *Dei ſpiritum* ab illo vocatum arbitror, quod generali nomine Deum dici *ſpiritum* crederet, Johanne Apoſtolo ſcribente: *Deus ſpiritus eſt*. *L. A. Muratorius*.

1. *Dei ſpiritus*. Interpretaturus Orationem Dominicam, præmittit, quis illam docuerit. Fuit autem Chriſtus, quem pluribus appellat nominibus;

eſt

eſt enim *ſpiritus*, quo miracula edidit, & *ſermo Dei*, *ratio*, ſeu *ſapientia*, quæ venit in mundum, ut infra ſubjicit. Idem Tertullianus in Apologiæ cap. 17. *Quod colimus*, inquit, *Deus unus eſt, qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum, verbo, quo juſſit, ratione, qua diſpoſuit, virtute, qua potuit, de nihilo expreſſit in ornamentum majeſtatis ſuæ*. G. *Pancirol*.

2. *Dei ſermo, & Dei ratio*. Λόγος proprium Filii Dei apud Græcos nomen varias Latine interpretationes habuit, nempe *Verbi*, *Sermonis*, *Rationis*. Latinis hiſce nominibus promiſcue uſi ſunt veteres Eccleſiæ Scriptores, ut idem ſignificarent. Nunc libentius *Verbum* interpretamur. *Muratorius*.

3. *Sermo rationis, & ratio ſermonis*. Cur Deum Patrem *Sermonis* quoque & *Rationis* appellatione heic Tertullianus donet, mirabitur quiſquis veterum loquelam e recentiorum ſermone metiri velit. At quum τοῦ λόγου vox anceps *rationem*, *cogitationem*, *mentem*, ac *intellectionem* ſignificet, eo ſenſu Patri quoque facta eſt communis & τοῦ λόγου, & *rationis*, & *ſermonis* appellatio. Quamobrem λόγος ἐκ λόγου, *Verbum de Verbo* a nonnullis Patrum dictus eſt Filius; & S. Irenæus lib. 2. cap. 48. Patrem λόγον, ſeu *Verbum*, & *mentem* appellat ita ſcribens: *Deus autem totus exiſtens mens, & totus exiſtens Logos, quod cogitat, hoc & loquitur, & quod loquitur, hoc & cogitat. Cogitatio enim ejus Logos, & Logos mens, & omnia concludens mens, ipſe eſt Pater*. Verùm, quocumque modo appellentur Pater, & Filius, inepta ac dubia divinitatis vocabula inenarrabilis rei magnitudine & majeſtate excuſantur, modò in id conſentiatur, ut Filium a Patre diſtinguamus, unamque in iis, ac in Spiritu Sancto eſſentiam & naturam prædicemus. Ita præclariſſime ſenſit S. Ambroſius in lib. de Filii divinitate cap. 5., cujus verba producere volumus, ut pateat, non a Tertulliano dumtaxat, ſed ab aliis quoque ſcriptoribus Eccleſiaſticis tum Patrem, tum Filium nominibus *Verbi*, ſeu *rationis*, & *Sermonis*, ac *ſpiritus* fuiſſe deſignatos. *Hac eſt autem*, inquit, *nominis ratio, ut in Patre, & Filio unitatem ſubſtantiæ credas, licet rem ipſam, quæ eſt inenarrabilis, definire non poſſis: ut ſive lumen de lumine dicas, ſive Verbum de Verbo, ſive Spiritum de Spiritu, ſive Dominum de Domino, quodcumque de eo dixeris, unius tamen eſſentiæ Patrem & Filium credas*. Vide & S. Irenæum Lib. 2. Cap. 48. *Idem*.

4. *Novum vinum*. Alludit ad illud, quod legitur in Matthæo cap. 6. ubi dicitur *Novum vinum novis utribus convenire, & novam plagulam*, ideſt ſtragulam, *novo aſſui veſtimento*. Scilicet conveniebat, novæ Legis inſtitutorem novam docere Orationem. Nonio auctore *plagula* eſt linteum tegmen. G. *Pancirol*.

5. *Aut demutatum eſt, ut Circumciſio*. Quæ mutata eſt in Baptiſmo; & ita quod fuit antea, aut mutatum eſt; aut antiquum ſuppletum, ut reliqua Lex, quæ eſt apud Matthæum *Non concupiſces mulierem, videndo eam*; item *Diligite inimicos veſtros*, & alia, quæ ibi habentur; aut eſt impletum, ut Prophetia; aut perfectum, ut Fides: in veteri Teſtamento Fides dirigebatur in Chriſtum, in quo nunc perfecta eſt. Et hæc gravis eſt ſententia. *Idem*.

6. *Expunctore*. Abolitore. *Idem*.

7. *Spiritus, quo valuit*. Edendo miracula. *Idem*.

8. *Ratio, quo venit*. Lego *qua venit* in Mundum Dei Sapientia. *Idem*.

9. *Ex ſpiritu, quo tantum poteſt*. Ideſt quo plurimum poteſt. Iſta admirative, quoniam ſpiritu pervenitur ad Deum, & omnia exornantur, & miracula eduntur. Deeſt tertium, quod eſt Sophiæ, quæ docet de modo orandi, de quo infra dicetur. *Idem*.

10. Con-

10. *Conſideremus itaque*, &c. Quæ ſint hæc tria de Oratione præcepta, ſeu potius conſilia, quæ heic & in ſequentibus enumerat Tertullianus, ictu oculi ab Euangelio Johannis cap. 6. n. 6. intelliges, ubi Chriſtus divina Sophia, ſive Sapientia in hujuſmodi verba loquitur: *Et quum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus*. En primum præceptum, videlicet ut ambitionem in orando fugiamus, quaſi nos audire, & conſpicere, in propatulo tantum, poſſit Deus, atque *ut Dei omnipotentis & conſpectum & auditum ſub tectis & in abditis etiam adeſſe confidamus*: quod ad *fidem hominis* pertinet. *Tum autem*, pergit dicere Chriſtus, *quum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito*. En alterum præceptum, nempe, Tertulliano ita explicante, *ut quem ubique audire & videre fidimus, ei ſoli religionem noſtram offeramus*: quod ad *fidei modeſtiam* ſpectat. *Orantes autem*, ſequitur divinus Magiſter, *nolite multum loqui, ſicut Ethnici; putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur*. Tertium hoc eſt præceptum, ſcilicet ut cum Tertulliano loquar, *ne agmine verborum adeundum putemus ad Dominum, quem ultro ſuis proſpicere certi ſumus*. *Muratorius*.

10. *Conſideremus itaque*. Hoc eſt tertium, ex quo conſtat Oratio, ſcilicet Sophia, quæ nos docet modum orandi. Duo enim in hoc præcipit: primo ut ſecrete & in abdito loco oremus: ſecundo ut breviter, prout habetur in Matthæi cap. 6. *Quum oraveris, intra in cubiculum tuum, & oſtio clauſo ora Patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi Orantes autem nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciunt; putant enim in multiloquio exaudiri*. *O. Pancirol.*

11. *Secrete adorandi*. *Ad* abundat pro *orandi*. Hunc locum imitatus D. Cyprianus lib. de Orat. Domin. ait: *Dominus ſecrete orare nos præcipit in abditis, & ſemotis locis, in cubiculis ipſis, quod magis convenit fidei, ut ſciamus eum ubique præſentem eſſe, audire omnes, & majeſtatis ſuæ plenitudine in abdita quæque & occulta penetrare*. *Idem*.

12. *Et modeſtiam fidei deſiderabat*. Ideſt ut breviter oremus, credentes Deum omnia ſcire, & audire. Et hoc appellat *modeſtiam fidei*. *Idem*.

13. *Sequente Sophia*. Quod ſequitur Sapientia in ſequente præcepto, ut ſimus breviloqui, pertinet ad fidem, & modeſtiam, ut confidamus etiam paucis nos exaudiri. *Idem*.

14. *Et tamen brevitas iſta*. Ideſt, brevitas Orationis Dominicæ habet plenam interpretationem, & quantum verbis coarctatur, tantum ſenſibus diffunditur. Continet enim omnem diſciplinam fidei. Brevitas autem orandi pertinet ad tertium gradum Sophiæ, ideſt quem ſignificavit Dei Sapientia, & ejus Filius. Primus enim gradus eſt, ideſt primum præceptum eſt, ut ſecreto oremus; ſecundus, ut cum fide; tertius, ut breviter. *Muratorius*.

CAP. II.

INcipit (1) a teſtimonio Dei, & merito fidei, quum dicimus PATER QUI IN COELIS ES. Nam & Deum oramus, & fidem commendamus, cujus meritum eſt hæc appellatio. Scriptum eſt: *Qui in eum crediderint, dedit eis poteſtatem ut filii Dei vocentur*. Quamquam

Jo. 1. 11. Matth. 7. 9. & c. 10. & c. 16.

quàm frequentiſſime Dominus patrem nobis pronunciavit Deum; imo & præcepit, *ne quem in terris patrem vocemus, niſi quem habemus in cœlis*. Itaque ſic adorantes etiam (2) præceptum obimus. Felices qui patrem agnoſcunt. Hoc eſt, quod Iſraeli exprobratur, quod (3) cœlum ac terram Spiritus conteſtatur: *Filios*, dicens, *genui, & illi me non agnoverunt*. Dicendo autem patrem, Deum quoque cognominamus. Appellatio iſta & pietatis, & poteſtatis eſt. Item in patre filius invocatur. *Ego enim*, inquit, *& pater unum ſumus*. Ne mater quidem Eccleſia præteritur. Siquidem in filio & patre mater recognoſcitur, de qua conſtat & patris & filii nomen. Uno (4) igitur genere aut vocabulo & Deum cum ſuis honoramus, & præcepti meminimus, & oblitos patris denotamus.

Matth. 23. 9.

Eſa. 1. 1.

Jo. 10. 30.

ADNOTATIONES.

1. *Incipit a teſtimonio Dei*. Heic incipit interpretari Orationem Dominicam dicens, primis verbis teſtimonium Dei, & fidei meritum contineri, quia Deum patrem teſtamur. Alia addit D. Cyprianus ubi ſupra. *G. Pancirol.*

2. *Et præceptum obimus*. Ei paremus, Deum patrem verum vocantes. *Idem*.

3. *Quod cœlum & terram Spiritus conteſtatur*. Ideſt Spiritus Sanctus dicendo per Eſaiam cap. 1. *Audi cœlum, & auribus percipe terra, quia Dominus loquutus eſt: filios genui, & illi me non agnoverunt*. *Idem*.

4. *Uno igitur genere* &c. Orationem Dominicam ita exorditur Tertullianus: *Pater, qui in Cœlis es*. Vox *noſter* præteritur, quæ tamen in Codice quodam MS. legitur. Sed a Tertulliano omiſſam fuiſſe ejus explicatio ſuadere ſatis videtur; etenim indefinito hoc nomine non nos tantum filios Dei deſignatos oſtendit, ſed & ibi invocatum quoque divinum Filium affirmat, cujus nomen tacite ſignificatur, quando generale vocabulum Patris exprimitur. Præterea Patris, ac filiorum mentione facta, Eccleſiæ quoque nomen ſubintelligendum Tertullianus inquit; non enim eſt pater ſine filiis, neque filii ſine patre ac matre. Quæ quidem argumentandi ratio quamquam in divinis ſit fallax, Tertulliano tamen, quod eſt ad nos Dei filios, placuiſſe videtur, ut quoties appellamur filii, præter Deum patrem noſtrum Eccleſiam itidem matrem noſtram, quæ nos per Chriſtum Deo genuit, intelligamus. Uno igitur vocabulo *Patris Deum cum ſuis*, ideſt Deum Patrem, & Filium ejus æternum, & Matrem Eccleſiam honoramus. *Præcepti* vero *meminimus*, quum Chriſtus Matthæo teſtante edixerit, ne quem in terris patrem vocemus, niſi quem habemus in Cœlis. Quod ad Eccleſiæ nomen heic uſurpatum eruditiſſimus Albaſpinæus attulit, facile amplecti non poſſumus. Cenſet enim vir Clariſſimus, Spiritum Sanctum per hoc vocabulum a Tertulliano ſignificari, quum is in lib. de Bapt. cap. 6. Eccleſiam in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto conſtitutam affirmet; & in lib. de Pudicit. cap. 21. hæc habeat:

beat: *Nam & ipſa Eccleſia proprie & principaliter ipſe eſt Spiritus, in quo eſt Trinitas divinitatis Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Illam Eccleſiam congregat, quam Dominus in tribus poſuit.* Tum Albaſpinæus: *Quibus locis exiſtimat Tertullianus, Eccleſiam eſſe in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, ſed præcipue in Spiritu Sancto. Unde concludit, hoc loco mentionem fieri Spiritus & Eccleſiæ in oratione Dominica, quando dicimus Pater noſter. Qui enim invocat Patrem, Filii quoque, & Matris Eccleſiæ, ſive Spiritus Sancti numen implorare videtur: atque ita uno nomine, Patris videlicet, tres perſonæ recenſentur.* At nolim e libro de Pudicitia loci hujus explicationem peti, ſiquidem certum mihi videtur, non alium ibi Spiritum Sanctum intelligi, quam Hæreſiarcham Montanum, cujus deliramentis ut Tertullianus aſſentaretur, Eccleſiam in eo *proprie & principaliter* conſtitutam ſomniavit, imo ipſum eſſe *Eccleſiam* lepidiſſima opinione eſt arbitratus. Contra quum hucuſque S. Hilario teſte creditum fuerit, librum *de Oratione* a Tertulliano Catholico ſcriptnm fuiſſe, neſcio quam bene huic libro lucem afferre poſſimus, productis alterius libri nugis, ac ſomniis. Si vero Eccleſiam in Patre, Filio, & Spiritu Sancto conſtitutam dicamus, quod recte dici potuiſſe non inficior, ne ita quidem ab hiſce ambagibus nos expediemus, ut ſerio cogitanti patebit. *Mutatorius.*

ε 5. *Oblitos patris denotamus.* Nam Dominus dixit: *Ne quem dixeritis patrem; unus eſt enim pater veſter in Cœlis.* Hoc eſt præceptum, de quo ſenſit Tertullianus. *G. Pancirol.*

CAP. III.

NOmen Dei patris nemini proditum eſt. Etiam (1) qui de ipſo interrogaverat Moyſes, aliud quidem nomen audierat. Nobis revelatum eſt in filio. Jam enim (2) filius novum patris nomen eſt. *Ego veni*, inquit,
Jo.5.43. *in nomine patris.* Et rurſus, *Pater glorifica nomen tuum.* Et (3) apertius, *Nomen tuum manifeſtavi hominibus.* Id ergo ut SANCTIFICETUR poſtulamus. Non quod deceat homines bene Deo optare, quaſi ſit & aliud, de quo ei poſſit optari, aut laboret niſi optemus. Plane
Pſal.103.22. *benedici Deum* omni loco ac tempore condecet, ob debitam ſemper memoriam beneficiorum ejus ab omni homine. Sed & hoc benedictionis vice fungitur. Ceterum quando non Sanctum & Sanctificatum eſt per ſemetipſum nomen Dei, quum ceteros ſanctificet ex ſemetipſo? Cui illa *Angelorum circumſtantia non ceſſant dicere*
Eſa.6.3. Apoc.4.8. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Proinde igitur & nos Angelorum, ſi meminerimus, candidati jam hinc cœleſtem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis ediximus. Hoc quantum ad gloriam Dei. Alioquin quantum

tum ad noſtram petitionem, quum dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*, id petimus ut ſanctificetur in nobis, qui in illo ſumus: ſimul & in ceteris, quos adhuc gratia Dei expectat, ut & huic præcepto pareamus, *orando pro omnibus, etiam pro inimicis noſtris*. Ideoque ſuſpenſa enunciatione non dicentes: Sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus. *Matth. 6. 9.* *Mat. 5. 44.*

ADNOTATIONES.

1. *Etiam qui de ipſo*. Subaudi: etiam qui de ipſo Deo interrogaverat Moyſes, nomen Dei quod eſſet, aliud quidem nomen audiverat. Rogante enim Moyſe Exodi cap. 3. *Si dixerint mihi, quod eſt nomen ejus, quid dicam eis? Dixit Dominus ad Moyſem: Ego ſum qui ſum*. Ideſt ſumma eſſentia, qui ſum per me ipſum, & a me pendeo; unde aliud nomen & diverſum a patre Moyſes audivit. Sed Filius nobis hoc nomen manifeſtavit; prodendo enim ſe eſſe Filium, manifeſtavit Patrem. *G. Pancirol.*

2. *Jam enim filius novum patris nomen eſt*. Dei nomen Moyſi quidem patefactum; at nomen Dei Patris nemini, & ne ipſi quidem Moyſi, proditum fuerat. *Patris* ergo nomen noviſſime cognitum, quum Filii nomen in Chriſto innotuit. Si enim Chriſtus Dei Filius, ergo & Deus Pater. *Muratorius*.

3. *Et apertius*. Manifeſtavit nomen Dei, quia fecit ut ſui pater agnoſceretur. Alii interpretantur, quod Deum gentibus ignotum manifeſtaverit, & impletum eſt illud Pſalmi 21. *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, ubi Euthymius ſequitur interpretationem Tertulliani. Idem habetur apud Paullum ad Hebr. cap. 2. *G. Pancirol.*

CAP. IV.

SEcundum (1) hanc formam ſubjungimus FIAT VOLUNTAS TUA IN COELIS ET IN TERRA, non quod aliquis obſiſtat, quominus voluntas Dei fiat, & ei ſucceſſum voluntatis ſuæ oremus; ſed in omnibus petimus fieri voluntatem ejus. Ex interpretatione (2) enim figurata carnis & ſpiritus, nos ſumus cœlum & terra. Quamquam etſi ſimpliciter intelligendum eſt, idem tamen eſt ſenſus petitionis, ut in nobis fiat voluntas Dei in terris, ut poſſit ſcilicet fieri & in cœlis. Quid autem Deus vult, quam incedere nos ſecundum ſuam diſciplinam? Petimus ergo, ſubſtantiam, & facultatem voluntatis ſuæ ſubminiſtret nobis, ut ſalvi ſimus & in cœlis, & in terris; quia ſumma eſt voluntatis ejus,

fa-

ſalus eorum, quos adoptavit. Eſt & illa Dei voluntas, quam Dominus adminiſtravit prædicando, operando, ſuſtinendo. Sic enim ipſe pronunciavit, *non ſuam, ſed Patris facere ſe voluntatem*. Sine dubio quæ faciebat, ea erant voluntas patris, ad quæ nunc nos velut (3) ad exemplaria provocamur, ut prædicemus, & operemur, & ſuſtineamus ad mortem uſque. Quæ ut implere poſſimus, opus eſt Dei voluntate. Ita dicentes: *Fiat voluntas tua*, vel eo nobis bene optamus, quod nihil mali ſit in Dei voluntate, etiam ſi quid pro meritis cujuſque ſecus inrogatur. Jam hoc dicto, ad ſufferentiam noſmetipſos præmonemus. Dominus quoque quum ſub inſtantiam paſſionis, infirmitatem carnis demonſtrare jam in ſua carne voluiſſet, *Pater*, inquit, *transfer poculum iſtud. Et recordatus* (4), *niſi quod* (5) *mea non, ſed tua fiat voluntas*. Ipſe erat (6) voluntas, & poteſtas patris; & tamen ad demonſtrationem ſufferentiæ debitæ, voluntati ſe patris tradidit.

Jo. 6. 39.

Luc. 22. 42.

ADNOTATIONES.

1. *Secundum hanc formam*. Ideſt ordinem ipſius Orationis Dominicæ. Et transfert ſe ad illud, ideſt *Adveniat Regnum tuum*. *G. Pancirol.*

2. *Ex interpretatione enim figurata*. Noſtra caro terram, ſpiritus Cœlum præſefert. S. Cyprianus ubi ſupra hæc a Tertulliano mutuatus ait: *Nam quum corpus e terra, & ſpiritum poſſideamus e Cœlo, ipſi terra, & Cœlum ſumus, & in utroque, ideſt corpore & ſpiritu, ut Dei voluntas fiat, oramus*. *Idem*.

3. *Velut ad exemplaria provocamur*. Ut ejus exemplum, actuſque ſequamur. *Idem*.

4. *Et recordatus*. Scilicet ejus, quod docuerat, & volebat, ut ſubjicit. *Idem*.

5. *Niſi quod*. Verumtamen. *Idem*.

6. *Ipſe erat voluntas, & poteſtas Patris*. Recte, & cum Theologis melioribus tum Græcis, tum Latinis, qui Filium voluntatem, ac potentiam Patris appellarunt. Magnus Athanaſius in Orat. 3. ἔϛι γὰρ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ δημιουργὸς, καὶ ποιητικὸς, καὶ αὐτός ἐϛιν ἡ τοῦ πατρὸς βουλή. *Eſt enim Verbum Dei artifex, & efficiens, & eſt ipſe Patris voluntas*. Cui conſentit S. Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 20., ubi Filium dici ait Voluntatem de Voluntate. *Quidam*, inquit, *ne Filium conſilii, vel voluntatis Dei dicerent unigenitum Verbum, ipſum conſilium ſeu Voluntatem Patris idem Verbum eſſe dixerunt. Sed melius, quantum exiſtimo, dicitur conſilium de conſilio, & Voluntas de Voluntate*. Fauſtinus itidem in lib. contra Arianos cap. 1. *Pie ergo dictum eſt, quod Filius Voluntas eſt Patris*. Idem ſenſerunt Origenes, Clemens, & Cyrillus Alexandrini, Gregorius Nyſſenus, Hieronymus, Ambroſius, Marius Victo-

ſtorinus, & alii. Quum præterea Deus omnia per Filium fecerit, hinc eſt quod Filius *potentia*, ſeu *poteſtas*, & *vis*, & *virtus*, & *manus*, & *brachium Patris* appellatur. Cujus rei teſtimonia producere ſuperfluum reor. *Muratorius*.

CAP. V.

VENIAT quoque REGNUM TUUM, ad id pertinet, quod & *Fiat voluntas tua*, in nobis ſcilicet. Nam Deus quando non regnat? *in cujus manu cor omnium Regum eſt*. Sed quicquid nobis optamus, in illum auguramur, & illi deputamus, quod ab illo expectamus. Itaque (1) ſi ad Dei voluntatem, & ad noſtram (2) ſuſpenſionem pertinet Regni Dominici repræſentatio, quomodo quidam protractum quemdam ſeculo poſtulant, quum Regnum Dei, quod ut adveniat oramus, ad conſummationem ſeculi tendat? Optamus maturius regnare, & non diutius ſervire. Etiam ſi (3) præfinitum in oratione non eſſet, de poſtulando Regni adventu, ultro eam vocem protuliſſemus, *feſtinantes ad ſpei noſtræ complexum*. *Clamant ad Dominum in viſu* (4) *animæ Martyrum ſub altari: Quonam uſque non ulciſceris, Domine, ſanguinem noſtrum de incolis terræ?* Nam utique ultio illorum a ſeculi fine dirigitur. Imo quam celeriter *veniat, Domine, Regnum tuum*. Votum Chriſtianorum, confuſio nationum, exſultatio Angelorum, propter quod conflictamur, imo potius propter quod oramus.

Prov. 21. 1.
Heb. 4. 11.
Apoc. 6. 9.
Mat. 6. 10.

ADNOTATIONES.

1. *Itaque ſi ad Dei voluntatem*. Scilicet ſi a Dei arbitrio pendet Regni cœleſtis adventus, noſque illud anxie optare, atque expectare in recitanda oratione Dominica profitemur, cur quidam ſeculi mundique finem ſerius deſiderant, quum Regnum Dei, ac æterna felicitas, quam votis proſequimur, non niſi conſummato ſeculo & mundo, impetrari poſſit? Quibus ex verbis fortaſſis intelligas, quod aliis in locis apertiſſime Tertullianus ſenſit, nempe animas piorum e corpore ſolutas a cœleſti beatitudine arceri, donec noviſſimum Judicium a Chriſto in fine Mundi inſtituatur. Quum vero in eadem opinione non pauci ex antiquis Patribus fuerint, illam Tertulliano veniam libentiſſime impertimur, quam reliquis negaremus, ſi poſt contraria Conciliorum decreta idem ſentire & ſcribere pergerent, cujuſmodi ſunt noſtris temporibus Græci Schiſmatici in eadem ſententia perſeverantes. *Muratorius*.

2. *Ad noſtram ſuſpenſionem*. Quia nos ſumus ſuſpenſi expectantes, quando ad ſuum Regnum nos Deus vocabit. Quare ergo quidam protractum quemdam, ideſt prorogationem quamdam poſtulant, ut in hoc ſeculo diutius vivant? *G.Panc.*

3. *Etiam ſi præfinitum*. Etiam ſi in Oratione Dominica non eſſet poſitum *Adveniat Regnum tuum*, illud optare debuiſſemus. *Idem.*

4. *In viſu animæ*. In viſione, ut in Apocalypſi cap.6. *Idem.*

CAP. VI.

SEd quam eleganter divina ſapientia ordinem Orationis inſtruxit? ut poſt cœleſtia, ideſt poſt Dei nomen, Dei voluntatem, & Dei Regnum, terrenis quoque neceſſitatibus petitioni locum faceret? Nam & edi-
*Matth.*6.33. xerat Dominus: *Quærite prius regnum, & tunc vobis etiam hæc adjicientur*. Quamquam PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE, ſpiritaliter potius intelligamus. Chriſtus enim panis noſter eſt,
Jo. 6.35. quia vita Chriſtus, & vita panis. *Ego ſum*, inquit, *panis vitæ*. Et paulo ſupra: *Panis eſt ſermo Dei vivi, qui deſcendit de Cœlis*. Tum quod & Corpus ejus in pane (1)
Luc. 22. 19. cenſetur. *Hoc eſt Corpus meum*. Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem poſtulamus in Chriſto, & individuitatem a Corpore ejus. Sed & quia carnaliter admittitur iſta vox, non ſine religione poteſt fieri & ſpiritalis diſciplinæ. Panem enim peti mandat, quod ſolum fidelibus neceſſarium eſt; *cetera enim nationes requirunt*. Ita & exemplis inculcat, & parabolis (2) retra-
Matth. 25. 26. ctat, quum (3) dicit: *Numquid panem filiis pater aufert,*
Matth. 7.9. *& canibus tradit?* Item: *Numquid filio panem poſcenti lapidem tradit?* Oſtendit enim, quid a patre filii expe-
Luc. 11.5. ctent. Sed & (4) *nocturnus ille pulſator panem poſcebat*. Merito autem adjecit: *Da nobis hodie*, ut qui præmiſerat: *Nolite de craſtino cogitare quid edatis*. Cui rei para-
Luc. 12.16. bolam quoque accommodavit *illius hominis, qui provenientibus fructibus ampliationem horreorum, & longæ ſecuritatis ſpatia cogitavit; is ipſa nocte moritur*.

AD-

ADNOTATIONES.

1. *Corpus ejus in pane cenſetur*. Tria intelligi poſſe per verba illa *Panem noſtrum*, Tertullianus monet, ſcilicet Alimenta corporea, tum Alimenta ſpiritalia, denique vivificum ſacræ Menſæ cibum, & realitatem Corporis & Sanguinis Dominici in Sacramento Altaris. Poſtremum hunc ſenſum eruditiſſimus Pamelius illuſtravit, inde probans, verè Corpus & Sanguinem Chriſti ſecundum Tertulliani mentem in Euchariſtiæ Sacramento contineri. Præter illa, quæ Pamelius adfert, poſſunt & alia Tertulliani verba referri idem probantia dilucidius. Lib. 5. contra Marcionem cap. 8. hæc ille ſcribit: *Proinde Panis, & Calicis Sacramento jam in Euangelio probavimus Corporis & Sanguinis Dominici veritatem adverſus phantaſma Marcionis*. Chriſti carnem non veram, ſed phantaſticam, atque apparentem dumtaxat, impius Marcion arbitrabatur. Si ergo per Sacramentum Panis & Calicis probatur veritas Corporis, & Sanguinis Dominici, quis non intelligat, verum & ſubſtantiale in auguſto Sacramento haberi Corpus & Sanguinem Chriſti? Alia colligas e reliquis ejus in Marcionem libris. Tum in lib. de Idol. cap. 7. hæc animadverte: *Ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Chriſtianum ab idolis in Eccleſiam venire, de adverſarii officina in domum Dei, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum; his manibus adorare, quæ foris adverſus Deum adorantur; eas manus admovere corpori Domini, quæ Dæmoniis corpora conferunt* &c. Ubi in Chriſtianos Idolorum artifices invehitur, qui manibus iiſdem, quibus Idola formabant, Chriſti Corpus, uti ferebat eorum temporum conſuetudo, recipiebant. Vide etiam cap. 14. lib. contra Judæos. Proinde *Corpus ejus in pane cenſetur* (verbum *cenſetur* idem ſignificat ac *Eſt* ſecundùm Juriſconſultos) indicat, nos ſub nomine Panis petere vivificum Chriſti Corpus, ita ut, poſtulato Pane, Dominicum Sacramentum, & *individuitatem a corpore Chriſti* poſtulemus. *Muratorius*.

1. *In pane cenſetur*. Habetur. *G. Pancirol.*

2. *Parabolis retractat*. Tractat, & confirmat. *Idem*.

3. *Quum dicit: Numquid panem filiis* &c. Intelligit quod legitur in Matthæi cap. 15. & Marci cap. 7., quando Cananæa rogabat Dominum, ut filiam ſuam a Dæmonibus liberaret, ipſe reſpondit: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus*, ideſt Ethnicis, ubi in parabola intelligit Corpus ſuum ſub nomine panis, & canes Ethnicos. Tertullianus vero illa verba aliquantum mutat, ſed idem eſt ſenſus. His omnibus vult probare, panem pro corpore Chriſti accipi. *Idem*.

4. *Sed & nocturnus ille pulſator*. Qui petiit panes ab amico media nocte, & eos habuit. Lucæ cap. 11. *Idem*.

CAP. VII.

Conſequens (1) erat, ut obſervata Dei liberalitate, etiam clementiam ejus precaremur; quid enim alimenta proderunt, ſi illi reputamur revera quaſi (2) taurus ad victimam? Sciebat Dominus ſe ſolum ſine delicto eſſe. Docet itaque, petamus DIMITTI NOBIS

DEBITA NOSTRA. Exomologeſis eſt, petitio veniæ; quia qui petit veniam, delictum confitetur. Sic & pœnitentia demonſtratur acceptabilis Deo, quia *vult* (3) *eam, quam mortem peccatoris*. Debitum (4) autem in Scripturis delicti figura eſt, quod perinde judicio debeatur, & *ab eo exigatur, nec evadat juſtitiam exactionis, niſi donetur exactio, ſicut illi ſervo Dominus debitum remiſit*. Huc (5) enim ſpectat exemplum parabolæ totius. Nam & quod idem ſervus a domino liberatus, non perinde parcit debitori ſuo, ac propterea delatus penes dominum tortori delegatur ad ſolvendum noviſſimum quadrantem, ideſt, modicum uſque delictum, eo (6) competit, quod remittere nos quoque profitemur debitoribus noſtris. Jam & alibi (7) ex ſpecie orationis: *Remittite*, inquit, *& remittetur vobis*. Et quum *interrogaſſet Petrus, ſi ſepties remittendum eſſet fratri: Imò*, inquit, *ſeptuagies ſepties*, ut legem in melius reformaret, quod in Geneſi *de Cain ſepties, de Lamech autem ſeptuagies ſepties ultio* (8) *reputata eſt*.

Ezech. 33. 11.
Matth. 5. 25.
Luc. 6. 37.
Matth. 18. 22.
Gen. 4. 24.

ADNOTATIONES.

1. *Conſequens erat*. Nunc exponit alia verba *& dimitte nobis debita noſtra*, poſtquam dixit de liberalitate Dei, qui nos alit. *G. Pancirol.*

2. *Quaſi taurus*. Qui ſaginatur, ut occidatur. Idem eſſet de nobis, niſi delicta remitterentur. *Idem*.

3. *Qui vult eam*. Subaudi *magis*; & eſt elegans loquutio. De hoc Ezechiel cap. 23. *Idem*.

4. *Debitum autem*. Nomen debiti ſignificat delictum, & eſt ejus typus, ſeu figura, & ſignificatio, quia ſicut exigitur in judicio à debitore, niſi remittatur delictum, ita & delictum. *Idem*.

5. *Huc enim ſpectat*. Ad hunc locum pertinet tota illa parabola ſervi, cui dominus debitum remiſit; ipſe vero a conſervo debitum ſibi extorquebat. Significat autem, non dimitti nobis, niſi ut ipſi injurias aliis dimiſerimus. *Idem*.

6. *Eo competit*. Ad id pertinet, & hoc ſignificat. *Idem*.

7. *Jam & alibi* &c. De hac petitione, ut nobis delicta remittantur, quemadmodum nos aliis remittimus, alibi eſt dictum. *Idem*.

8. *Ultio reputata eſt*. Ideſt facta. Quum enim Lamech occidiſſet virum, ideſt Cain, dixit Gen. cap. 4. *Septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech vero ſeptuagies ſepties*. Aliqui interpretantur ſepties iri ultum illum, qui occiderit Cain. Sed D. Hieronymus Epiſt. 125. ad Damaſum quæſt. 1. intelligit, non iri liberatum Cain, niſi in ſeptima generatione, quod fuit quando occiſus eſt a Lamech: nam tunc a tremore eſt liberatus ut pœna,

na, quam hic patiebatur. Peccatum vero Lamech, quod fuit totius mundi, & ſanguinis, liberatum eſt ſeptuagies ſepties, ideſt ſeptuageſima ſeptima generatione, in qua fuit Chriſtus, qui totum orbem liberavit a ſceleribus; nam ipſe fuit ſeptuageſima ſeptima generatio ab Adam, Lucæ cap. 3. Verùm Tertullianus intelligit, quia ſepties vindicandum erat peccatum Cain, & ſeptuagies ſepties peccatum Lamech. A nova quoque lege juſſum eſt Matthæi cap. 18., ut toties peccatum dimitteretur, ideſt ſeptuagies ſepties; ſed ibi ponitur numerus finitus pro infinito, & ſignificatur ſemper eſſe dimittendum, ut D. Hieronymus lib. 3. Comment. in cap. 18. Matthæi, & alii interpretantur. *Idem*.

CAP. VIII.

ADjecit ad plenitudinem tam expeditæ orationis, ut non de remittendis tantum, ſed etiam de avertendis in totum delictis ſupplicaremus, NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM, ideſt ne nos patiaris induci, ab eo utique qui tentat. Ceterum abſit ut Dominus tentare videatur, quaſi aut ignoret fidem cujuſque, aut dejicere geſtiens. Diaboli eſt & infirmitas & malitia. Nam & Abrahamum non tentandæ fidei gratia, ſacrificare de filio juſſerat, ſed probandæ, ut per eum faceret exemplum (1) præcepto ſuo, quo mox præcepturus erat, neque pignora (2) Deo cariora habenda. Ipſe a Diabolo tentatus, præſidem (3) & artificem tentationis demonſtravit. Hunc (4) locum poſterioribus confirmat: *Orate*, dicens, *ne tentemini*. Adeo (5) tentati ſunt Dominum deſerendo, qui ſomno potius indulſerant, quam orationi. Eo reſpondet clauſula interpretans quid ſit, *Ne nos deducas in tentationem*. Hoc eſt enim: SED (6) DEVEHE NOS A MALO. *Luc.* 22. 46.

ADNOTATIONES.

1. *Exemplum præcepto ſuo*. Quod poſtea dedit Matthæi cap. 14., ut oraremus, ne incideremus in tentationem. *G. Pancirol.*

2. *Neque pignora Deo cariora*. Pignora appellat filios, quos Chriſtus ſe cariores non habendos juſſurus erat; ait enim Matthæi cap. 10: *Qui amat filium, aut filiam plus quam me, non eſt me dignus*. *Idem*.

3. *Præſidem, & artificem tentationis*. Scilicet Diabolum eſſe demonſtravit Matthæi cap. 4. *Idem*.

4. *Hunc locum*. Quod Diabolus ſit princeps tentationis, poſterioribus, ſcilicet, verbis Euangelii demonſtrat. *Orate*, dicens Matthæi cap. 26., *ne intretis in tentationem*. *Idem*.

5. *Adeo tentati ſunt*. Ideſt: itaque ſunt tentati, quia non oraverunt. *Idem*.

6. *Sed devebe nos a malo*. Non heic, ut vulgo accipere ſolemus, *Malum* intelligit, ſeu mala, quæ homini contigere, contingunt, aut contingere poſſunt; ſed *Malum*, hoc eſt *Malignum*, ſeu Diabolum, a quo nos liberari cupimus, ne in tentationem, atque in delicta inducamur. Cum qua lectione potiſſimum conſentiunt Græca Orationis Dominicæ verba, ubi legitur ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, ideſt a Cacodæmone, ſeu maligno. Chryſoſtomus ſane, & plures alii Patres hujuſmodi interpretationem adhibuerunt. Vocem quidem ῥῦσαι, quam nos *libera* Latine reddimus, crude atque aſpere Tertullianus per vocem *devebe* expreſſit; revera enim ſignificat *protege*, *defende*, *tuere*, *eripe*, ac *libera*. *Muratorius*.

CAP. IX.

Anacephalæoſis.

COmpendiis (1) pauculorum verborum, quot attinguntur edicta Prophetarum, Euangeliorum, Apoſtolorum, ſermones Domini, parabolæ exempla, præcepta? Quot ſimul (2) expunguntur officia? Dei honor in patre, fidei teſtimonium in nomine, oblatio obſequii in voluntate, commemoratio ſpei in regno, petitio vitæ in pane, exomologeſis debitorum in deprecatione, ſolicitudo tentationum in poſtulatione tutelæ. Quid mirum? Deus ſolus docere potuit, ut ſe vellet orari. Ab ipſo igitur ordinata religio orationis, & de ſpiritu ipſius, jam tunc quum ex ore divino ferretur, animata ſuo privilegio aſcendit in Cœlum, commendans Patri quæ Filius docuit.

ADNOTATIONES.

1. *Compendiis pauculorum verborum* &c. Editi libri habent *paucorum*. Hinc Ambroſianus Codex MS. exordium ſumit. Recte autem *Anacephalæoſis* inſcribitur hoc caput, quum compendioſe tota Dominicæ Orationis expoſitio ante legentium oculos exhibeatur. *Muratorius*.

1. *Compendiis paucorum*. Nunc epilogat, quomodo omnia mandata Scripturarum contineat Oratio Dominica. *G. Pancirol.*

2. *Quot ſimul expunguntur officia?* Legere maluiſſem *exponuntur*. Sed nulla Tertulliano barbarice ſcribenti de ſermonis puritate ſolicitudo. Aliis in locis, ac præcipue lib. 3. & 4. & in fine lib. 5. adverſus Marcionem eodem utitur verbo; at ſane ſignificatione diverſa. Pari tamen ſenſu uſurpaſſe videtur cap 1. de Cor. Militis, ubi inquit: *Proxime factum eſt. Liberalitas præſtantiſſimorum Imperatorum expungebatur in caſtris*. Scilicet expone-

ponebatur, exerebatur, ac implebatur Cæſarum liberalitas in milites. Sumta fortaſſe metaphora e calculis, & rationibus, quæ *expungi* dicuntur, quum abſolutæ, & confectæ emergunt. Capite vero XI. hujus libri ita ille ſcribit: *Ne verbo quidem malo iram Deus permittit expungi*, hoc eſt mandat, ne ira in contumelias erumpat, ac proponatur. Alibi *expungere* pro *perficere*, & *præſtare* adhibuit. Vide etiam infra Cap. XIII. *Muratorius*.

2. *Quot ſimul expunguntur officia?* Ideſt tot verbis Dominicæ Orationis implentur officia in Deum, quia quum dicimus *Pater noſter*, eum ut Patrem honoramus. In illis vero verbis *Sanctificetur nomen tuum*, fidem in ejus nomine habere teſtamur. Oblatio vero obſequii eſt in voluntate, quum dicimus *Fiat voluntas*; & commemoratio eſt ſpei in regno in illis verbis, *Adveniat regnum tuum*. Mox petitio vitæ in pane, ibi *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; Exomologeſis, ideſt confeſſio delictorum, quod deliquerimus in Deum, quando dicimus, *Et dimitte nobis debita noſtra*; ſolicitudo tentationum, ideſt ſoliciti ſumus, ne tentemur, ubi petimus, ut nos tueatur, ibi *Et ne nos inducas in tentationem*. *G. Pancirol.*

CAP. X.

Poſſe nos ſuperadjicere.

QUoniam (1) tamen Dominus proſpector (2) humanarum neceſſitatum, ſeorſum poſt traditam orandi diſciplinam, *Petite*, inquit, *& accipietis*; *Luc. 11. 8.* & ſunt quæ petantur pro circumſtantia cujuſque, præmiſſa legitima & ordinaria oratione, quaſi fundamento, accidentium (3) jus eſt deſideriorum, jus eſt (4) ſuperfluendi extrinſecus petitiones, cum memoria tamen præceptorum, ne quantum a præceptis, tantum ab auribus Dei longe ſimus.

ADNOTATIONES.

1. *Quoniam tamen*. Addit poſſe nos & alia petere. *G. Pancirol.*

2. *Proſpector*. Scilicet eſt. *Idem*.

3. *Accidentium jus eſt deſideriorum*. Ideſt poſſumus petere quæ, prout accidit, deſideramus, præmiſſa legitima & ordinaria oratione, ideſt Dominica Oratione pro fundamento. *Idem*.

4. *Jus eſt ſuperfluendi*. Præter generales Orationis Dominicæ petitiones, quæ cuilibet Chriſtianorum ſunt communes, alia ſæpe a Deo, ſingulorum propria hominum, petenda ſe offerunt. Communi itaque orationi quædam addere licet pro cujuſque neceſſitate, & voto, dummodo petitionibus noſtris divina præcepta non adverſentur. In primis autem nobis a Deo præcipitur, ne rogaturi ad Altare accedamus, niſi prius cum fratribus noſtris iniverimus pacem, ac odia depoſuerimus. Hoc Tertullianus cap. ſequ. oſtendet. *Muratorius*.

CAP. XI.

Ne orans patrem fratri raſcaris.

Matth. 5. 23. MEmoria præceptorum viam orationibus ſternit ad cœlum, quorum præcipuum eſt, *ne* (1) *prius aſcendamus ad Dei altare, quam ſi quid diſcordiæ vel offenſæ cum fratribus contraxerimus, reſolvamus*. Quid eſt (2) enim ad pacem Dei recedere (3) ſine pace? ad remiſſionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem, iratus in fratrem, quum omnis ira ab initio interdicta ſit nobis? Nam & Joſeph dimittens fratres ſuos
Gen. 45. 24. ad perducendum patrem, *& ne*, inquit, *iraſcimini in via*: nos (4) ſcilicet monuit. Alias enim (5) via cognominatur diſciplina noſtra. Tum ne in (6) via orationis conſtituti, ad patrem cum ira incedamus. Exinde aperte Dominus amplians legem, iram (7) in fratrem homicidio ſuperponit (8), ne verbo quidem malo permit-
Ephes. 4. 26. tit expungi (9) *etiamſi iraſcendum eſt, non ultra ſolis receptum*, ut Apoſtolus admonet. Quam autem temerarium eſt, aut diem ſine oratione tranſigere, dum ceſſas fratri ſatisfacere, aut orationem perſeverante iracundia perdere.

ADNOTATIONES.

1. *Ne prius*. Monet prius fratri eſſe conciliandum, quam oretur. *G. Panciroḷ.*

2. *Quid eſt enim*. Ideſt: quam obſervandum. *Idem*.

3. *Recedere*. Pro *reverti* hanc vocem uſurpaſſe videntur Salluſtius, atque Horatius. Quum tamen dubium ſenſum habeant iſtorum exempla, & *ſecedere* etiam ſignificent, vellem liceret mihi per Tertullianum hoc in loco ſcribere non *recedere*, ſed *accedere*. *Muratorius*.

4. *Nos ſcilicet monuit*. Supple: idem agere debere. *G. Panciroḷ.*

5. *Alias enim via* &c. Unde *homines viæ* primo dicti ſunt Chriſtiani, ut eſt in Actis cap. 9., ubi Paulus acceperat literas, ut *homines viæ* comprehenderet, ideſt Chriſtianos; quamquam vertendum non erat *hujus viæ*, & dictio *hujus* delenda eſt, quum ſit articulus Græcus. *Idem*.

6. *Tum ne in via*. Subaudi: eſt obſervandum. *Idem*.

7. *Iram in fratrem homicidio ſuperponit*. Expreſſe in veteri lege prohibita non videtur ira, ſed quidem homicidium. At Chriſtus *amplians legem*, hoc eſt perficiens, & novis diſciplinæ præceptis amplificans, homicidio damna-

mnato, iræ quoque damnationem ac prohibitionem addidit, ſive *ſuperpoſuit*. Omnis quidem ira ab initio interdicta eſt nobis, ut ſupra Tertullianus dixerat Geneſis teſtimonio; verum quum aperte non videretur interdicta, expreſſis illam verbis a Fidelium cordibus removere, ac arcere Chriſtus voluit. *Muratorius*.

8. *Superponit*. Adjicit, ut eſt apud Matthæum cap. 5. *G. Pancirol.*

9. *Expungi*. Impleri iram convicio. *Idem*.

CAP. XII.

Etiam omni animi confuſione vacuum eſſe debere.

NEc ab ira (1) ſolummodo, ſed omni omnino confuſione (2) animi libera debet eſſe orationis intentio, de tali (3) ſpiritu emiſſa, qualis eſt ſpiritus, ad quem mittitur. Neque enim agnoſci poterit a Spiritu Sancto ſpiritus inquinatus; aut triſtis a læto, aut impeditus a libero. Nemo adverſarium recipit; nemo niſi comparem ſuum admittit.

ADNOTATIONES.

1. *Nec ab ira*. Docet orantem tranquillum eſſe oportere, ut eſt Spiritus Sanctus, ad quem oramus. *G. Pancirol.*

2. *Confuſione*. In MS. Codice Ambroſiano habetur *contuſione*. *Muratorius*.

3. *De tali ſpiritu emiſſa*. Nil oratio proſit, niſi a puro, & minime inquinato ſpiritu ad Spiritum divinum, qui puriſſimus eſt, imo ipſa puritas, feratur. Neque enim Spiritui Sancto placere animus terrenis maculis infectus poteſt. Heic autem Tertullianus ad cap. 1. Sapientiæ reſpicere videtur, ubi legitur: *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum*. *Idem*.

CAP. XIII.

De lavatione manuum.

CEterum (1) quæ ratio eſt, manibus quidem ablutis, ſpiritu vero ſordente orationem obire? quando & ipſis manibus ſpiritales munditiæ ſint neceſſariæ, ut a falſo, a cæde, a veneficiis, ab idololatria, ceteriſque maculis, quæ ſpiritu conceptæ manuum opera

tranſ-

tranſfiguntur, puræ alleventur. Hæ ſunt veræ munditiæ, non quas plerique ſuperſtitioſe curant, ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam ſumentes. Id quum ſcrupuloſe (2) percunctarer, & rationem (3) requirerem, comperi commemorationem eſſe in Domini deditionem. Nos Dominum adoramus, non dedimus. Imo & adverſari debemus deditoris exemplo, nec propterea manus abluere, niſi (4) quod converſationis humanæ inquinamentum conſcientię cauſſa lavemus.

ADNOTATIONES.

1. *Ceterum quæ ratio*. Heic docet, manus non aqua abluendas, ſed a nequitiis mundas eſſe tenendas. *G. Pancirol.*

1. *Ceterum quæ ratio eſt* &c. Manuum, imo totius quandoque corporis lotio orationem præcedere ſolebat, non apud Chriſtianos tantum, ſed & apud Ethnicos, atque Judæos. Nempe abluto corpore, manibuſque potiſſimum purgatis, quæ facilius plerumque ſordes contrahunt, lavari quoque ac emundari a culpæ ſordibus animum, nonnulli arbitrabantur. Sed animo puro & purgato hominem ad Deum accedere debere, cum ratio, tum religio ſuadebant. Hunc autem apud Gentiles invaluiſſe morem, omnium antiquiſſimo teſte probabo. Homerus videlicet in Odyſſea Penelopem nobis exhibet aqua ſeſe ante preces abluentem. Ejus etiam filius Telemachus

χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς εὔχετ' Ἀθήνῃ.
Lotis in ponto manibus ſic Pallada adorat.

Macrobius vero Saturnal. lib. 3. cap. 1. *Conſtat*, inquit, *Diis ſuperis ſacra facturum corporis ablutione purgari*. Alia hujuſce ritus exempla e Virgilio profert eo in loco Macrobius. Lactantius quoque Firmianus eoſdem Ethnicos ridet, qui *ſe pie ſacrificaſſe opinantur, ſi cutem laverint, tamquam libidines intra pectus incluſas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent*. Judæis pariter id moris fuiſſe, auctor eſt Pſeudo-Ariſteas in lib. de LXX. Interpret. *Rege conſalutato*, ait ille, *ad diverſa loca divertunt, atque ut mos eſt Judæis omnibus, manibus prius in mari lotis, Deo preces effundunt*. Vide Spencerum de Leg. Hebr. L. 3. Diſſ. 3. c. 3. Tranſiit poſtea ad Chriſti fideles hujuſmodi conſuetudo, & fortaſſe quidam ab ipſo Apoſtolo in 1. ad Timoth. cap. 2. id præceptum fuiſſe cenſuerunt, ubi nos jubet χεῖρας ὁσίους ἐπαίρειν, *manus puras ad cœlum tollere*, quaſi & de externa manuum puritate ac ablutione, velut internæ puritatis indicio, Apoſtolus loqueretur. Idcirco Apoſtolicarum Conſtitutionum Auctor lib. 8. cap. 32. πᾶς πιστὸς, inquit, ἢ πιστὴ ἕωθεν ἀναστάντες ἐξ ὕπνου, πρὸ τοῦ ἔργου ἐπιτελέσαι, νιψάμενοι προσευχέσθωσαν. *Omnis Chriſtianus, vel Chriſtiana mane e ſomno ſurgentes, antequam opus faciant, manibus lotis, Deum orent*. Verum hoc apertius patebit conſideranti, poſita antiquitus fuiſſe in Templorum atriis labra, fontes, ac vaſa, ut antequam ad orandum Fideles accederent, manus abluerent. S. Paulinus in Epiſtola ad Severum:

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat. ——

Chry-

Chryſoſtomus pluribus in locis, & præſertim in Homil. 57. Tom. V. pag. 390. ejuſdem rei fidem his verbis facit. Κρήνας δὴ ἐν ταῖς αὐλαῖς τῶν εὐκτηρίων οἴκων νενόμισται, ἵνα οἱ μέλλοντες εὔχεσθαι τῷ θεῷ, πρότερον ἀπονιψάμενοι τὰς χεῖρας, οὕτως αὐτὰς εἰς εὐχὴν ἀνατείνωσιν. *Ut in atriis domuum, in quibus oratur, ſint fontes, conſtitutum eſt, ut qui orare volunt, prius abluant manus, & tunc demum eas ad preces extendant*. Eumdem conſule in Homil. 82., & 108. Tom. VI. & Homil. 43. in 1. ad Corinth. Alibi tamen Chryſoſtomus ipſe, videlicet in Homil. 6. in 1. ad Timotheum, externum hunc ablutionis ritum, interna cordis puritate non accedente, irridet, eumque appellat γέλωτα καὶ λῆρον, παίγνια καὶ παίδων ἀθύρματα, *riſum, nugas, jocos, & puerorum ludicra*. Ea quoque Tertulliani ſententia eſt, illos redarguentis, qui manibus quidem ablutis, ſpiritu vero ſordente, orationem obeunt. Ceterum apud quoſdam Orientis populos, ac potiſſimum apud Maumeti ſectatores, noſtris etiam temporibus hujuſmodi conſuetudo viget. *Muratorius*.

2. *Id quum ſcrupuloſe percunctarer*. Quare manus ante preces abluerent, nonnulli a Tertulliano interrogati ſe id facere reſpondebant in commemorationem Dominicæ deditionis, quod videlicet Pilatus, priuſquam Chriſtum dederet Judæis, manus lavit. Hanc rationem facile Tertullianus retundit; *nos enim*, inquit, *Dominum adoramus, non dedimus*. *Idem*.

3. *Et rationem requirerem*. Quare aliqui ſe lavent oraturi, comperi id eos facere in memoriam Domini a Juda proditi, ut factum illud execrentur, & velut ab ipſo ſe mundent. *G. Pancirol.*

4. *Niſi quod*. Niſi aliquod inquinamentum converſionis humanæ lavemus cauſſa conſcientiæ, poſtquam Idolum tetigerimus. *Idem*.

CAP. XIV.

Apoſtrophe.

CEterum ſatis mundæ ſunt manus, quas cum toto corpore in Chriſto ſemel (1) lavimus. Omnibus licet membris lavet quotidie Iſrael, numquam tamen mundus eſt. Certe manus ejus ſemper immundæ ſanguine Prophetarum, & ipſius Domini cruentatæ in æternum. Et ideo conſcientia (2) patrum hereditarii rei nec attollere eas ad Dominum audent, ne exclamet aliquis (3) Eſaias, ne exhorreat Chriſtus. Nos vero (4) non attollimus tantum, ſed etiam expandimus e Dominica paſſione (5) modulatum, & orantes confitemur Chriſto.

ADNOTATIONES.

1. *In Chriſto ſemel lavimus*. Hoc eſt in Baptiſmo, in quo manus *cum toto corpore* lavimus. Quibus verbis innuitur baptizandi ritus, quando nudi homines ter in aquam mergebantur. At in lib. de Baptiſmo hæc apertiſſime Tertullianus tradit, & poſt illum complures alii. *Muratorius*.

2. Con-

2. *Conſcientia patrum &c.* Heredes reæ conſcientiæ patrum ſuorum appellat Judæos, a quibus conclamatum eſt: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Idem.*

3. *Ne exclamet aliquis Eſaias.* Ne aliquis ſpiritu Eſaiæ plenus cum illo exclamet, ac Deum ita loquentem inducat: *Quum extenderitis manus veſtras.* &c. Atque hoc eſt emphatice dictum. *Idem.*

3. *Ne exclamet aliquis Eſaias.* Abundat *aliquis*, ut ſæpe alibi. Intelligit quod dicit Eſaias cap. 1. *Quum extenderitis manus veſtras, avertam faciem a vobis: manus enim veſtra ſanguine plena ſunt. Lavamini, mundi eſtote, auferte nequitias ab animis veſtris.* Et ideo dicit: *ne exclamet Eſaias.* Et heic monet, Hebræos immundas manus ſemper habere, quæ nulla aqua poſſunt mundari. *G. Pancirol.*

4. *Nos vero non attollimus* &c. Quandoquidem Judæi immundas, & ipſius Domini ſanguine cruentatas manus attollere nec audent, nec debent, nobis Chriſti filiis gaudendum eſt, qui non attollere tantum, ſed eas expandere poſſumus a *Dominica paſſione* eruditi: ſuas enim expandit in Cruce Mundi Servator. Quapropter ea verba *e Dominica paſſione modulatum* aliam deſiderare vocem mihi videntur, cujuſmodi eſſet *capientes*, *habentes*, aut quid ſimile, ut ſit ſenſus: Nos vero non attollimus tantum, ſed etiam expandimus manus, *modulatum*, hoc eſt *menſuram*, e Domini Cruce capientes, ubi nos ille docuit manus expandere. In lib. de Pallio Lunæ *modulationes menſtruas* Tertullianus dixit, ut menſuram Lunaris motus ſignificaret. *Muratorius.*

5. *E Dominica paſſione modulantes.* Formantes, ut tenebat Dominus manus in Cruce. Ita orabant paſſis brachiis, & manibus. *G. Pancirol.*

CAP. XV.

De expoſitis penulis.

SEd (1) quoniam unum aliquod attigimus vacuæ (2) obſervationis, non pigebit cetera quoque denotare, quibus merito vanitas exprobranda eſt; ſiquidem ſine ullius aut Dominici, aut Apoſtolici præcepti auctoritate fiunt. Hujuſmodi enim non religioni, ſed ſuperſtitioni deputantur, affectata, & coacta, & curioſi potius, quam rationalis officii; certe vel eo coercenda, quod Gentilibus (3) adæquent. Ut eſt (4) quorundam expoſitis penulis orationem facere; ſic enim adeunt ad idola Nationes. Quod utique ſi fieri oporteret, Apoſtoli, qui de habitu orandi docent, comprehendiſſent; niſi ſi qui putant, Paulum (5) penulam ſuam in oratione penes Carpum reliquiſſe. Deus (6) ſcilicet non audiat penulatos, qui tres ſanctos in fornace Babylonii Regis orantes cum (7) ſarabaris, & tyaris ſuis exaudivit?

AD-

ADNOTATIONES.

1. *Sed quoniam* &c. Quia attigimus unum, quod eſt vanum de lavandis manibus, alia etiam dicemus non minus vana, ut eſt deponere penulas cauſſa orandi, de quo ſubjicit. *G. Pancirol.*

2. *Vacuæ obſervationis*. Inanem ſcilicet ac ſuperfluam appellat manuum ante preces ablutionem, niſi prius & animus a criminum ſordibus purgetur. Pergit autem vanitatis arguere illorum quoque conſuetudinem, qui depoſitis gravioribus veſtibus ad orationem accedebant. *Muratorius.*

3. *Gentilibus adæquent*. Pro adæquentur, & ſint, prout obſervant ipſi. *G. Pancirol.*

4. *Ut eſt quorumdam, expoſitis penulis* &c. Penula veſtium genus fuit, quas pluvioſo frigidoque cœlo veteres induebant. Has antequam precibus operam darent, quidam e Chriſtianis deponendas arbitrabantur. Quod vero Tertullianus ait, id conſueviſſe fieri a Nationibus, hoc eſt ab Ethnicis Idola adeuntibus, Æſchyli Græcus interpres confirmare videtur. Neſcio quid etiam de mutationibus veſtium in Gentilium ſacris ipſe Tertullianus habet in lib. de Pallio cap.4. *Muratorius.*

4. *Ut eſt quorumdam poſitis penulis* &c. Ita orabant Gentiles. Penula vero veſtis erat, qua pluviæ vel itineris gratia utebantur. Lampridius in Alexandro: *Penulis*, inquit, intra urbem frigoris cauſſa ut ſenes uterentur permiſit, quum id veſtimenti genus ſemper itinerarium, aut pluviæ fuiſſet. Juvenalis Sat.5.

Et multo ſtillaret penula nimbo.

Cicero in Orat. pro Mil. *Quum alter*, inquit, *veheretur rheda penulatus*. Penulam pro lacerna veteres poſuiſſe videntur. *G. Pancirol.*

5. *Paulum penulam ſuam*. Mandat enim Timotheo, ut penulam ad ſe deferat. 2. ad Timoth. cap.4. *Idem.*

5. *Paulum penulam ſuam*. Hæc ſunt Pauli verba: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*. Ironice itaque Tertullianus ait: niſi hoc faciendum eſt ad exemplum Pauli, qui penulam Troade penes Carpum reliquerat orationi vacaturus. Vide Octavium Ferrarium de Re Veſt. par.2. l.2. ubi de *Penulis* multa. *Murator.*

6. *Deus ſcilicet*. Ironice loquitur. *G. Pancir.*

7. *Cum ſarabaris*. De ſarabaris & tyaris dictum eſt in lib. de Reſurrect. carn. cap.58 num.601. *Idem.*

7. *Cum ſarabaris*. Tres pueri in fornacem *cum braccis ſuis, & tyaris, & calceamentis, & veſtibus* conjecti fuere. Septuaginta Interpretes pro femoralibus, ſeu *braccis* habent σὺν τοῖς σαραβάροις, *cum ſarabaris*. Quare non aliud hoc vocabulo ſignificari vides, quam quædam crurium, aut femorum integumenta. In libro etiam de Trinitate (ſi quidem Tertulliani ſit) & de Pallio hanc vocem uſurpatam invenias. *Muratorius.*

CAP.

CAP. XVI.

De aſſidendo poſt Orationem.

ITem quod (1) adſignata oratione, aſſidendi (2) mos eſt quibuſdam, non perſpicio rationem, niſi ſi (3) Hermas ille, cujus ſcriptura (4) fere Paſtor inſcribitur, tranſacta oratione non lectum aſſediſſet, verum aliud quid feciſſet, id quoque ad obſervationem vindicaremus. Utique (5) non. Simpliciter enim & nunc (6) poſitum eſt: *Quum (7) adoraſſem, & aſſediſſem ſuper lectum*, ad ordinem narrationis, non ad inſtar diſciplinæ. Alioquin nuſquam erit adorandum, niſi ubi fuerit lectus. Imo contra ſcripturam fecerit, ſi quis in cathedra aut (8) ſubſellio ſederit. Porro quum perinde faciant Nationes (9), adoratis ſigillaribus (10) ſuis reſidendo, vel (11) propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud Idola (12) celebratur. Eo apponitur & irreverentiæ crimen, etiam ipſis Nationibus, ſi quid ſaperent, intelligendum. Siquidem irreverens eſt aſſidere ſub conſpectu, contraque conſpectum ejus, quem quammaxime reverearis, ac venereris; quanto magis ſub conſpectu Dei vivi, Angelo adhuc (13) orationis aſtante, factum iſtud irreligioſiſſimum eſt, niſi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit.

ADNOTATIONES.

1. *Item quod adſignata oratione*. Perfecta, ut infra dicit, ac tranſacta. Damnat eos, qui ſedere poſt orationem conſueverunt. Non video, inquit, hujus inſtituti rationem, niſi forte trahunt hoc ex libro Paſtoris condito ab Herma, quem alibi de Pudicit. cap. 10. apocryphum eſse vidimus, in quo narrat ſe poſt orationem lecto aſſediſſe. Sed ibi narrat rem geſtam, non præcipit, ut id nos agamus. Quid ergo, inquit, ſi aliud feciſſet, hunc imitaremur? nequaquam. *G. Pancirol.*

1. *Adſignata oratione*. Abſolutam, & peractam orationem ſignificat, metaphora deducta e ſignis, & ſigillis, quæ tum epiſtolis, tum teſtamentis aliiſque tabulis jam confectis apponi ſolebant. *Muratorius*.

2. *Aſſidendi mos eſt*. Chriſtiani aut ſtantes, aut in genua procumbentes Deum adorabant, preceſque fundebant. Trita eſt obſervatio. Verum nonnullis eorum per orationem ſedendum eſse videbatur, non quod defatigati ſe-

di-

dibus indigerent, ſed ſuperſtitioſis fortaſse rationibus ducti. Eorum conſuetudinem Tertullianus redarguit. *Idem*.

3. *Niſi ſi Hermas*. Hic eſt Hermes, quem Paulus jubet ſalutari ad Rom. cap. ult. Dicitur compoſuiſſe librum, qui *Paſtor* inſcribitur, de quo Nicephorus ita loquitur lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. ult. *Accipimus inter ambigua quoque auctoritatis ſcripta eſſe Actorum Pauli librum, & eum, qui Paſtoris titulum habet, quem Hermæ quidam adſcribunt ei, cui in Epiſt. ad Rom. Paulus ſalutem nunciari jubet. Nonnullis autem is admodum neceſſarius eſſe videtur, eis præcipue, qui prima pietatis diſcunt rudimenta, multum afferens maturi fructus, & utilitatis. Non pauci quidem apud antiquos eo ſunt uſi*. Eumdem Euſebius Cæſarienſis commendat Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 3., & cap. 25., & lib. 5. cap. 8. Tertullianus vero in lib. de Pudicitia hunc librum impurum vocat, & ab Eccleſia etiam damnatum ſcribit. Quum vero heic illud opus non damnet, Catholicus fuiſſe credendus eſt, quum hæc ſcripſit. *G. Pancirol.*

3. *Niſi ſi Hermas*. Hermæ antiquiſſimi Scriptoris librum, cui titulus eſt *Paſtor*, Latine tantum habemus. Quanto in pretio fuerit, eruditis omnibus compertum eſt, ita ut quidam inter Canonicas Scripturas ipſum referrent, alii vero illum vel inter apocrypha & contemnenda rejicerent, modum excedentes utrinque; non enim librum hunc veluti Canonicum ſuſpicere fas eſt, ſed certe tamquam Fidei Catholicæ utiliſſimum, plurimique faciendum judicare debemus. Quod autem ad hunc locum pertinet, recte ex hujuſmodi verbis conjicimus, Librum de Oratione a Tertulliano, Catholico adhuc, fuiſſe conſcriptum. Nam quum ſibi *Paſtoris* auctoritatem objiciat, non damnando repellit, ſed explicando ſibi conciliat. Quin addit, ſi Hermas revera poſt orationem ex quadam religione conſediſſet, id *ad obſervationem vindicari*, ſcilicet ad ejus imitationem, fieri merito potuiſſe. Accedit quod infra *Scripturam* nominans, Hermæ librum Canonicis Scripturis conjungere videtur. Contra ipſemet Scriptor in Montani caſtra, hæreſimque delapſus, Paſtoris fidem, atque auctoritatem totis, ut ajunt, nervis elevare, & infringere conatur, ut ex ejus libro de Pudicitia cap. 10. & cap. 20. conſtat, quem certe poſtremum librum in Hæreticorum officina procudit. *Muratorius*.

4. *Scriptura fere*. Subaudiendum *ab omnibus*, aut addendum. *G. Pancirol.*

5. *Utique non*. Scilicet: illud non vindicaremus ad orandi obſervantiam; ergo neque morem in lecto ſedendi. *Idem*.

6. *Et nunc poſitum*. Lego: eſt hoc poſitum. Scilicet quod ſederit in lecto, eſt ſimpliciter poſitum; nec ut traderetur hæc obſervatio, ſed ut res prout geſta eſt exponeretur. *Idem*.

7. *Quum adoraſſem*. Sunt ipſa Paſtoris verba in Procemio lib. 2., quæ in editis ita ſe habent: *Quum oraſſem domi, & conſediſſem ſupra lectum, intravit vir quidam* &c. Hæc igitur, ut Tertullianus inquit, non refert Hermas, ut ſedendum poſt orationem nos doceat, ſed ut Hiſtoriæ ſuæ narrationem perſequatur. Et quid ſi, addit, *in cathedra*, *aut ſubſellio* poſt preces peractas quis ſedeat, num in Scripturam, hoc eſt contra Hermæ præceptum peccabit, qui in lectulo, & non in ſubſellio, ſive in cathedra ſedit? *Muratorius*.

8. *Aut ſubſellio ſederit*. Deridet eos, qui ex Paſtoris libro poſt orationem argumentum ſedendi ſumunt; quod quum ipſe in lecto ſederit, in ſcamno non ſit ſedendum; nam id eſſet contra illam ſcripturam, ubi ipſe in lecto ſedit, non in cathedra. *G. Pancirol.*

9. *Quum perinde faciant Nationes*. Similiter faciant Ethnici, qui ſedent adoratis ſigillaribus ſuis. Ita enim appellabant ſua Idola, & ſigna, ut alias dictum eſt lib. de Anima cap. 7. num. 114., & adverſ. Valentin. cap. 12. & cap. 18., & eſt apud Macrobium lib. 1. Saturnal. *Idem*.

10. Si-

10. *Sigillaribus ſuis*. Sigillaria, ſeu ſigilla, erant ſigna parva, ſeu icunculæ, & imagunculæ, ac ſimulacra Deorum modo palmaria, modo cubitalia, ita membris artificioſe compacta, ut nervis tracta, vel fidibus mota vivere, obambulare, & reliquos humani corporis motus exercere, atque imitari poſſent. Noſtro quoque ævo ſimilia habemus, quibus Romæ nomen eſt *Poppacci*, & in Gallia *Marionettes*, iiſque Comœdias interdum actas vidimus. Νευρόσπαστα Græci appellabant. Ad hujuſmodi ſimulacra alludens Horatius ajebat:

Tu mihi qui imperitas, aliis ſervis miſer, atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.

Præter Ariſtotelem, qui in lib. de Mundo *Sigillaria* eleganter deſcripſit, ut apud Apulejum illius interpretem videre eſt, de iis quoque mentionem fecerant Herodotus in Euterpe, Xenophon in Sympoſio, Lucianus de Dea Syra, Gellius lib. 14. cap. 1., & M. Antoninus Imperator in lib. 8. de ſeipſo; atque hic potiſſimum *Sigillaria* expreſſe appellat. *Sigillarium* autem in Ethnicorum ſacris multus erat uſus, nimirum Deos inſana eorum ſuperſtitio ſub hiſce icunculis plerumque ligneis exhibebat, movebat, rudem plebeculam ad venerationem ſimul concitans, atque adorationem. Hinc Arnobius lib. 6. contra Gentes hujuſmodi morem irridens ajebat: *Et abſtinetis a riſu, quum pro Diis immortalibus, ſigilliolis hominum, formis ſupplicatis humanis? Quinimo Deos eſſe ſigillaria ipſa cenſetis, nec præter hæc quicquam vim creditis habere divinam*. Infra vero addit: *Sæpenumero videmus ab artificibus hæc ſigna* (hoc eſt Deorum ſimulacra) *modo parvula fieri, & palmarem in minutiem contrahi; modo in immenſum tolli, & admirabilem in amplitudinem ſublevari. Ratione hac ergo ſequitur, ut intelligere debeamus in ſigilliolis parvulis contrahere ſe Deos, & alieni ad corporis ſimilitudinem coarctari*, &c. Tertullianus igitur ut falſa Numina, eorumque ſigna decenti nomine inſigniat, *Sigillaria* vocat, quod vera carerent anima, atque aliena tantum ope moverentur. Ab eodem Auctore in lib. adverſ. Valentin. cap. 18. *Sigillarius ductus* nominatur his verbis: *A qua occulto nihil ſentiens, & velut ſigillario extrinſecus ductu, in omnem operationem movebatur*. In libro etiam de Anima cap. 6. *ſigillarius motus* ſimili ratione appellatur, qui fit externa vi, & operatione impellente. *Muratorius*.

11. *Vel propterea*. Ob id ſolum a nobis eſt reprehendendus mos ſedendi, quia apud Idololatras id celebratur, ſeu frequentatur. His accedit, quod ſedere eſt irreverentiæ crimen, etiam apud Chriſtianos, ſi ſaperent. *G. Pancirol*.

12. *Apud Idola celebratur*. Non e Tertulliano tantum, ſed & e Pindaro, ac Plutarcho diximus, Gentiles conſueviſſe aſſidere, poſtquam ſtantes oraſſent. Pindarus enim Ode 6. Iſthm. deſcriptis precibus, quas Hercules ad Deos miſerat, hæc ſubdit:

Ὡς ἄρα εἰπὼν, αὐτίκα
Ἕζετο ———————

Sic loquutus, ſtatim conſedit. Plutarchus vero legem hanc a Numa promulgatam narrat: *Ut ſedeatur, poſtquam adoratum fuerit*. Hæc ille in ipſius Numæ vita; quorum etiam triplicem explicationem profert. In Quæſtionibus vero Romanis tradit, ſuo quoque tempore uſitatum, ut qui precati eſſent, ac adoraſſent, in templis perſtarent, ac ſederent. Quamobrem Tertullianus hac itidem ratione Chriſtianos poſt orationem ſedere ſolitos objurgat, quod Gentilium conſuetudinem imitari viderentur. *Muratorius*.

13. *Angelo adhuc orationis*. Sentit, nobis Angelum orationis adeſſe, cujus ratio eſt habenda. *G. Pancirol*.

CAP.

CAP. XVII.

De manibus elatis, & de vultu.

ATqui cum modeſtia, & humilitate adorantes, magis commendabimus Deo preces noſtras, ne ipſis (1) quidem manibus ſublimius elatis, ſed temperate ac probe (2) elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille Publicanus, qui non tantum prece, ſed & vultu humiliatus, atque dejectus orabat, juſtificatior Phariſæo procaciſſimo diſceſſit. Sonos (3) etiam vocis ſubiectos eſſe oportet. Aut quantis arteriis opus eſt, ſi pro ſono audiamur? Deus autem (4) non vocis, ſed cordis auditor eſt, ſicut conſpector. Dæmonium (5) oraculi Pythii: *Et mutum*, inquit, *intelligo, & non loquentem exaudio*. Dei aures ſonum expectant? Quomodo ergo oratio Jonæ de ventre ceti per tantæ beſtiæ viſcera, ab ipſis abyſſis per tantam æquoris molem ad cœlum potuit evadere? Quid amplius referent iſti, qui clarius (6) adorant, niſi quod proximis obſtrepunt? Imo prodendo petitiones ſuas, quid minus faciunt, quam ſi in publico (7) orent?

ADNOTATIONES.

1. *Ne ipſis quidem manibus elatis*. Attollere manus ad cœlum, & ad Deum, quum preces funduntur, vetuſtiſſimus fuit mos non a Judæis tantum, ſed & ab Ethnicis uſurpatus. Furius Camillus apud Livium lib. 5. cap. 21. *Dicitur manus ad cœlum tollens precatus eſſe*. Marius etiam apud Plutarchum Diis vota faciens νιψάμενος τὰς χεῖρας, καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀνασχών; *lotis manibus, ac in cœlum ſublatis*. Mitto alios teſtes, ac præſertim Latinorum Poetarum Principem lib.2. & 12. Æneid., Ariſtotele contentus, qui in lib. de Mundo, πάντες, inquit, οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐχὰς ποιούμενοι. *Omnes homines ad cœlum manus tollimus, preces facturi*. Porro antiquiſſimus iſte ritus a Judæis potius in Gentiles, quam a Gentilibus ad Judæos tranſiiſſe videtur: ſiquidem ut habetur Exodi cap. 17. n. 11. Moyſes ipſe ſublatis in Cœlum manibus orabat. *Quumque levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael; ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec*. Legimus etiam in Pſal. 133. *Extollite manus veſtras in ſancta* &c. Idem colligas e Pſal. 140, & ex Lament. Hierem. cap. 3. n. 41. Ceterum Chriſtianos manibus in cœlum ſublatis orare conſueviſſe, imo debuiſſe, Apoſtolo præcipiente, ſeu monente in cap. 2. Ep. 1. ad Timoth; patet.

tet. Inquit enim: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus*. Clemens Alex. lib. 7. Strom. iſtius moris fidem facit, ſcribens: *Dum oramus, manus in cœlum tollimus*: ὅις χεῖρας εἰς οὐρανὸν αἴρομεν. Ab aliis referendis abſtineo, quum & ævo noſtro in Eccleſiaſtica Liturgia, & in Sacris faciendis Chriſtiani Sacerdotes manus attollant Deum precaturi. Non quidem *ſublimius* attollunt, ſed *temperate, ac probe*, ut hoc in loco Tertullianus exigit, videlicet ſupra humeros non erigendo. Quem Sacerdotum ritum elevationem ne manuum, an extenſionem appellem, neſcio: Id quidem conſtat, antiquitus inter Chriſtianos promiſcuum fuiſſe, ut manus in precando aut attollerentur, aut in figuram Crucis expanderentur. *Muratorius*.

2. *Ac probe elatis*. Ideſt: paululum elatis, vel panſis. G. *Pancirol.*

3. *Sonos etiam vocis*. Ideſt: oportet vociferari, ſi vocem Deus inſpiceret. Non legendum eſt interrogative, hoc enim vult: ſi pro ſono vocis Deus exaudiret, eſſet clamandum; ſed non vocem, verum cor inſpicit. *Idem*.

3. *Sonos etiam vocis ſubiectos eſſe oportet*. Hoc eſt ſubmiſſos, & compreſſos, ne proximum quemque turbent; non enim voce eſt opus, ut a Deo audiamur: In hac ſententia fuerunt & alii Patres, quippe *clamorem*, quem ad Deum SS. Prophetæ mittebant, non oris, ſed mentis clamorem, ſeu *animæ alacritatem ac ſtudium*, τ̀ ψυχῆς προθυμίαν, ut cum Theodoreto loquar, intelligebant. Videndi Baſilius M. in Pſal. 33. v. 16., Clemens Alex. Strom. lib. 7., Chryſoſtomus Hom. 12. Tom. V. S. Auguſtinus, & alii, ac in primis Cyprianus, qui, ut in aliis, heic etiam Tertullianum deſcribere videtur cap. 2. de Orat. Quod reſtat, hæc de illis intelligenda ſunt, qui privata voce pro ſuo arbitrio in templis orant. Horum preces, ac orationes ne nunc quidem toleramus, ſi alta voce proferantur, ceteris demiſſa precantibus. At vocem attollere cum reliquis & fas & pium eſt, quando concorditer in templo ſacræ peraguntur preces, & una eſt multorum oratio. *Muratorius*.

4. *Deus autem non vocis*. Hæc ad verbum tranſtulit D. Cyprianus. G. *Pancirol.*

5. *Dæmonium oraculum*. Dæmon mutos audit; ergo magis Deus. *Idem*.

5. *Dæmonium oraculi Pythii*. Hujuſmodi reſponſum a Dæmone Pythio datum Crœſi legatis, auctor eſt Herodotus lib. 1. Hiſt. *Muratorius*.

6. *Qui clarius adorant*. Pro clarius *orant*, ſcilicet qui clara, atque altiori voce Deum precantur. Alibi verbum *adorare* pro ſimplici *orare* Tertullianus uſurpavit, idque etiam in ſuperioribus fecit, non ſine meliorum exemplo. Neque ſane eſt, cur Hadrianus Valeſius quemdam Virgilii verſum immutet, ubi verbum *adorare* eodem ſenſu occurrit. *Idem*.

7. *Quam ſi in publico orent?* Videntur vociferantes in publico orare, quod eſt contra illud Matthæi cap. 6. G. *Pancirol.*

CAP. XVIII.

De oſculo.

ALia jam (1) conſuetudo invaluit, jejunantes habita oratione cum fratribus, ſubtrahunt (2) oſculum pacis, quod eſt ſignaculum (3) orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax eſt, niſi quum oratio commendabilior aſcendit, ut ipſi de noſtra operatione participes, jam audeant de ſua pace (4) fratri tranſigere? Quæ oratio cum divortio ſancti oſculi integra? quem Domino officium facientem impedit pax? quale ſacrificium eſt, a quo ſine pace receditur? Quæcumque (5) operatio ſit, non erit potior præcepti obſervatione, quo jubemur jejunia noſtra celare. Jam enim de abſtinentia oſculi agnoſcimur jejunantes. Sed & ſi qua (6) ratio eſt, ne tamen huic præcepto reus ſis, potes domi, ſi forte, inter quos latere jejunium in totum non datur, differre pacem. Ubicumque autem alibi operationem tuam abſcondere potes, debes meminiſſe (7) præcepti: ita & diſciplinæ foris, & conſuetudini domi ſatisfacies. Sic & die (8) Paſchæ, quo communis & quaſi publica jejunii religio eſt, merito (9) deponimus oſculum, nihil curantes de occultando quod cum omnibus (10) faciamus.

ADNOTATIONES.

1. *Alia jam conſuetudo*. Aliqui quum jejunant, aut tempore Quadrageſimæ, peracta oratione nolunt fratres oſculari, quos Tertullianus reprehendit. *G. Pancirol.*

2. *Subtrahunt oſculum pacis*. Nihil apud eruditos magis vulgatum, quam quod in publicis precibus, & ſacris faciendis, quin imo & in viis, & in ædibus privatis Chriſtiani ſe oſculo pacis conſalutare, atque ad concordiam, ac pacem invitare ſolerent. Ideoque *ſignaculum orationis* appellatur a Tertulliano, quod Chriſtianorum preces, & omnia fere Eccleſiaſtici ritus Sacramenta, hujuſmodi pacis ſigno, veluti ſigillo quodam fraternitatis concluderentur. At invaluerat apud nonnullos conſuetudo, ac opinio, tum oſculum fratribus poſt orationem ſubtrahendum, quum ipſi jejunium aliquod ſua ſponte, ac privata religione obſervabant. Pluribus argumentis morem, ac ſententiam illorum improbat Tertullianus, oſten-

 dens

dens orationem ſine oſculo integram non eſſe : Quin tunc magis decere pacem orationi conjungere, quum oratio per jejunium *commendabilior* ad Deum *aſcendit*. Addit etiam, id a præcepto Domini abhorrere, quo jubemur jejunia noſtra celare; neque vero ii celabant, quos idcirco abſtinere ab oſculo apparebat, quod jejunarent. *Muratorius*.

3. *Quod eſt ſignaculum orationis*. Ideſt confirmatio. *G. Pancirol.*

4. *De ſua pace fratri tranſigere?* Optent de ſua pace fratri tranſigere, ideſt, cum fratre communicare? *Idem*.

4. *De ſua pace fratri tranſigere?* Hoc eſt: ut fratres cum fratribus jejunantibus convenire, certique fieri de mutua concordia ac pace poſſint. Oſculum enim pacis, ut cum Legum peritis loquar, tamquam tranſactio, & conventio erat, qua ab omnibus ſimultatibus atque odiis ſe receſſiſſe fratres teſtabantur. *Muratorius*.

5. *Quacumque ratio ſit*. Quacumque ratione movearis ad ſubtrahendum fratri oſculum, alia potior, aut melior ratio ſuadet, ut oſculeris, quia hoc modo manifeſtas te, non oſculando, jejunare: & jejunia jubet Deus celari Matthæi cap. 6. *G. Pancirol.*

6. *Sed & ſi qua ratio eſt*. Quæcumque ſit ratio, ut jejunantes non oſculentur, hujus ritus tu non ſis præceptor, nec inventor; ſed id obſerva domi, ubi domeſtici ſciunt te jejunare, & inter eos differas pacem in aliud tempus; ſed foris omnes oſculeris, ne te eo modo jejunare intelligant. *Idem*.

7. *Debes meminiſſe præcepti*. Quo jubemur celare jejunium. *Idem*.

8. *Sic & die Paſchæ*. Tempore Paſchæ; intelligo enim tempus, quod præcedit Paſcha, quo omnes jejunant: merito enim tunc non oſculamur, quia non curamus, quod depoſitione oſculi prodatur jejunium, quum illud omnes obſervent. Et hoc eſt quod dicit. *Idem*.

8. *Sic & die Paſcha*. Paſcha heic pro die Paſſionis, ſeu poſtremo die Veneris in Quadrageſima, quem ſacrum, & *in Paraſceve* appellamus, accipiendum eſſe, jejunii publici tunc ſervati mentio ſatis oſtendit. Ipſemet Auctor cap. 10. contra Judæos: *Paſcha*, inquit, *Paſſio Domini eſt*; eoque ſenſu aliis in locis hanc adhibet vocem. Itaque Feria ſexta in Paraſceve ab oſculo pacis Chriſtiani abſtinebant ævo Tertulliani, quod & noſtris temporibus in Eccleſiaſtica Liturgia ſervatur. Idem teſtantur antiqui Rituales, & rationem hujuſmodi conſuetudinis præter alios Scriptores adfert Berno cap. 7. de rebus ad Miſſam ſpectantibus. *In Paraſceve*, ait, *ab oſculo abſtinemus propter Judæ traditoris exemplum, qui per ſimulatæ pacis oſculum tradidit Dominum Jeſum Chriſtum*. *Muratorius*.

9. *Merito deponimus oſculum*. Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus lib. 1. Obſerv. de veter. Eccleſ. Rit. cap. 17. his Tertulliani verbis ductus in eam ſententiam ivit, ut crederet, *Oſculum pacis* antiquitus a Chriſtianis omiſſum diebus illis, quibus indictum & promulgatum eſſet plenum atque integrum jejunium. Si enim (ita ille ratiocinatur) die Veneris ſancto *Oſculum* non uſurpabatur, quia commune omnibus jejunium erat, neque periculum jactantiæ imminebat, quod ſe jejunantem proderet, qui cum omnibus jejunabat: ergo tum ſemper ab Oſculo abſtinebatur, quum ſolenne jejunium & commune erat. Ejus verba fuſe prolata non exhibeo. At vereor, ut vir doctiſſimus Tertulliani mentem, & vetuſtum Eccleſiæ morem fuerit aſſequutus. Primo enim S. Ambroſius, ac antiquiſſimæ Liturgiæ, Oſculum pacis in Chriſtianorum cœtibus uſurpatum omnibus jejunii diebus, atque ipſa in Quadrageſima teſtantur, exceptis tantum poſtremis diebus. Secundo quum conſtet, ad incruentum Sacrificium celebrandum neque Sacerdotes, neque populum accedere ſine Oſculo conſueviſſe; & præterea compertum ſit, multis jejunii diebus Sacrificium peragi ſoli-

tum:

tum: quis non intelligat, vel ipſis jejunii publici diebus Oſculum a Chriſtianis fuiſſe uſurpatum? *Quale*, nuper Tertullianus dixerat, *Sacrificium eſt, a quo ſine pace receditur*? Quum vero ſecundum communem Eccleſiæ ritum duobus poſtremis Quadrageſimæ diebus minime Sacrificium offerretur, nil mirum, ſi tunc Oſculo parcerent Chriſtiani. Ex hoc igitur Tertulliani loco aliter, ut mihi ſuborta ſuſpicio eſt, Albaſpinæus argumentari debuit. Scilicet ævo Tertulliani, in Africanis ſaltem Eccleſiis, duobus dumtaxat extremis Quadrageſimæ diebus, jejunium communi & publica religione fuiſſe obſervatum, quum reliquo anni, atque ipſius etiam Quadrageſimæ tempore liberum Chriſtianis eſſet jejunio vel operam dare, vel renunciare. Quare quamquam daremus (quod certe affirmare non audeo) nil aliud quam jejunium cauſſam fuiſſe, cur in Paraſceve, & pervigilio Dominicæ Reſurrectionis *Oſculum pacis* omitteretur; nihilominus quum nullis aliis anni diebus ex Tertulliani mente jejunium publicum haberetur, Oſculi omiſſio ad duos tantum illos Quadrageſimæ dies reſtringenda fuit. Verè itaque dici ab Albaſpinæo potuit, Chriſtianos iis diebus, quibus integrum ac plenum jejunium indicebatur, ab Oſculo abſtinuiſſe; ſed ſecundùm Tertulliani mentem addendum fuerat, eos dies non plures quam duos toto anno fuiſſe, & reliquis propterea diebus, quamquam privata religione jejunaretur, *Oſculum pacis* fuiſſe uſitatum. Quum autem fere omnibus perſuaſum ſit, ſaltem Quadrageſimale jejunium, veluti ex Apoſtolica traditione inſtitutum, primis etiam Eccleſiæ ſeculis religioſe ab univerſis Chriſtianis fuiſſe celebratum, neque ab eo ſine crimine quemquam abſtinuiſſe: facile videar audaci ſententia Tertullianum interpretari, atque inconſulto divinare, duobus tantum Quadrageſimæ diebus jejunia olim publica fuiſſe. Verum pro me Tertullianus ipſe ſtabit, qui in Montani hæreſim delapſus, hæc in lib. de Jejun. adverſ. Pſychicos (ita ille Catholicos invidioſe appellabat) cap. 2. ſcripſit: *Certe in Euangelio illos dies jejuniis determinatos putant* (Pſychici ſeu Catholici) *in quibus ablatus eſt ſponſus, & hos eſſe jam ſolos legitimos jejuniorum Chriſtianorum, abolitis legalibus & propheticis vetuſtatibus*. Tum pergit dicere: *Itaque de cetero indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ diſciplinæ, pro temporibus & cauſſis uniuſcujuſque. Sic & Apoſtolos obſervaſſe, nullum aliud imponentes jugum certorum, & in commune omnibus obeundorum jejuniorum*. En habes, quæ Catholicorum, in Africa ſaltem, ſententia, ac uſus tum foret. Nempe duos tantum, Dominico præeunte præcepto, dies jejunabant, quum Sponſus ablatus eſt, nimirum quando ſponſus Chriſtus in crucem conjectus, & in ſepulcro conditus fuit, quemadmodum veteres Chriſtiani verba Marci cap. 2. & Lucæ cap. 5. interpretari ſolebant. Ceteris vero diebus jejunia quidem Chriſtiani ſervabant, ſed ex arbitrio, non ex imperio. Quamvis enim iis quoque temporibus Quadrageſima celebraretur a Chriſtianis, eamque ex Apoſtolorum traditione originem habuiſſe unuſquiſque pro certo haberet, ut pluribus veterum teſtimoniis oſtendere facile foret, nondum tamen integri iſtius jejunii obſervatio lege & præcepto conſtituta, aut nondum ſaltem in omnibus Eccleſiis, invaluerat. Quatuor etiam Temporum, aliaque jejunia, & nonnulla diſciplinæ capita, licet ab ipſa Apoſtolorum Traditione manantia, non continuo in tota Eccleſia Dei recepta fuere, neque præcepto obligata. Id ſenſim per Concilia, Patrumque, ac Romanorum præcipue Pontificum decreta præſtitum fuit, ita ut quæ jejunia olim e ſingulorum arbitrio pendebant, concordi nunc religione & præcepto celebrentur. Iterum auctor eſt idem Tertullianus in eodem lib. de Jejun. cap. 13. Catholicos *præter Paſcha, & citra illos dies, quibus ablatus eſt ſponſus*, jejunaſſe, non quidem *ex lege præcepti*, ſeu *ex imperio*, ſed ex arbitrio. Quamobrem collige-

re hinc fortaſſe poſſumus, ideo a Tertulliano eorum conſuetudinem improbari, qui, dum jejunarent, ab *Oſculo pacis* abhorrebant, ne ſe jejunio operam dantes cum periculo modeſtiæ proderent, quando incertum erat, an reliqui fratres eodem die jejunarent. Hanc autem Oſculi omiſſionem in Paſchate tantum, iiſque diebus, quibus ablatus eſt Sponſus, videlicet Feria ſexta in Paraſceve, & Sabbato ſancto, admittere, ac laudare Tertullianus videtur. *Muratorius*.

10. *Quod cum omnibus faciamus*. Scilicet: jejunium. *G. Pancirol.*

CAP. XIX.

De Stationibus.

SImiliter (1) & Stationum diebus non putant plerique Sacrificiorum (2) orationibus interveniendum, quod Statio (3) ſolvenda ſit, accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit? An magis Deo obligat? Nonne ſolemnior erit Statio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris? Accepto (4) Corpore Domini, & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & exequutio officii. Si Statio de militari
2.Cor.10.4. exemplo nomen accipit (nam & *militia Dei ſumus*) uti-
1.Tim.1.18. que nulla (5) lætitia, ſive triſtitia obveniens caſtris, Stationes militum reſcindit. Nam lætitia libentius, triſtitia ſolicitius adminiſtrabit diſciplinam.

ADNOTATIONES.

1. *Similiter & Stationum diebus*. Stationem eſſe conventum Chriſtianorum, qui certis diebus fiebant cauſſa orandi, & producebantur a Catholicis uſque ad Nonam, a Montaniſtis uſque ad tenebras, dictum eſt in lib. de Jejun. cap. 10. n. 91. *G. Pancirol.*

1. *Stationum diebus*. Quid Stationes fuerint, ampliſſime proditum ab aliis; itaque paucis contentus ero. Hermas lib. 3. Paſtoris Similit. 4. *Quid eſt, inquit Paſtor, Statio? & dixi: jejunium*. Nihil aliud revera nomine *Stationum* Eccleſiaſtici Scriptores ſignificabant, quam Jejunium a Chriſtianis celebratum, ita ut Stationes quælibet Jejunia interdum fuerint appellata. Quum enim jejunabant Fideles, mane ſummo in ſacras ædes convenire, ibique perſtare ad horam uſque nonam ſolebant, precibus rerumque divinarum contemplationi operam dantes: unde Jejuniis *Stationum* nomen poſtea adhæſit. Quæſtio tamen inter quoſdam eruditos agitatur, num a Jejuniis Stationes differrent. Equidem arbitror diſcriminis aliquid interfuiſſe tum ſolum, quum ſtricte *Stationis* vocabulum accipiebatur. Tunc enim Jejunia dumtaxat quartæ & ſextæ Feriæ indicabantur, ac propterea Stationes ad horam uſque nonam, ut diximus, perdurabant; Jejunia vero

in

in veſperam uſque producebantur. Incertum porro, num hoc loco Tertullianus quælibet Jejunia ſignificare velit, an ea tantum, quæ Mercurii ac Veneris diebus celebrabantur. In poſteriorem ſententiam ego facilius concederem. *Muratorius*.

2. *Sacrificiorum orationibus*. Dic, hæretice, quid per hæc verba intelligatur? Quid aliud vis eſſe Sacrificii orationes, quam Miſſam, quam impie damnas? Ex his verbis notandum eſt, omnes, qui Miſſæ (ea Latine eſt Sacrificium) intererant, ſolitos fuiſſe ſumere ſacram Euchariſtiam, & quia ſtatim ea ſumta diſcedebant, ideo nec Miſſæ eo die intereſſe volebant, ne Stationem ſolverent. Id Tertullianus reprehendit. *G. Pancirol.*

3. *Quod Statio ſolvenda ſit* &c. Numquam a Statione Chriſtianus populus recedebat, niſi accepto Corpore Domini, cujus communicatione peracta abſolvebantur preces, & piis conventibus finis imponebatur. At a ſacra Synaxi abſtinebant delicatuli quidam, quod ſibi viderentur, accepto Corpore Domini, jejunium frangere, in quo cuſtodiendo certe antiquis maxima fuit cura, atque religio. Quantum autem hi fallerentur, Tertullianus heic probare nititur, oſtendens a cibo ſacræ menſæ non vitiari, ſed perfici atque ſacrari Chriſtianorum jejunia. *Muratorius*.

4. *Accepto Corpore Domini, & reſervato*. Et hoc eruditis compertiſſimum eſt, veteres Chriſtianæ Religionis cultores interdum conſueviſſe Corpus Chriſti a Sacerdote acceptum deferre ſecum, ut domi ac in privatis precibus manducarent: quæ conſuetudo a Conciliis poſtea ſublata fuit. Hoc igitur omiſſo, alia potius conſideranda occurrunt. Scilicet ex hoc Tertulliani loco recentiorum quorumdam Hæreticorum ſententia refellitur, qui Corpus Domini poſt Sacra peracta conſervare nefas putant. Verum quod nunc in Catholica Eccleſia præſtatur, antiquitus etiam factum, non hæc ſolum Tertulliani verba, ſed Cyprianus, aliique vetuſtiſſimi Scriptores apertiſſime probant, quorum teſtimonia ab aliis prolata repetere ſuperfluum foret. Secundo quum heic unius Corporis accepti mentionem Tertullianus faciat, & unum Corpus domum deferri, ac reſervari conſueviſſe intelligamus: diſcere poſſumus, ſat olim fuiſſe Chriſtianis, ſi Chriſti Corpore veſcerentur; atque hunc uſum ab Eccleſia Catholica ſervatum, & ſexcentis aliis veterum documentis confirmatum, male a nuperis Hæreticis improbari. *Muratorius*.

5. *Nulla lætitia, ſive triſtitia*. Sive lætum quid, ſive triſte nuncietur, milites ſtationem, ubi præſident, non deſerunt: nec nos milites Chriſtiani, ſive fuerit dies lætus, ſive jejunii, & afflictionis, noſtras Stationes deſeremus. Et heic notandum eſt, Stationes Chriſtianorum a ſtationibus militum dici: quum enim milites Chriſti ſimus, multa a militibus mutuamur. *G. Pancirol.*

CAP. XX.

De habitu feminarum.

DE habitu (1) vero dumtaxat feminarum, varietas obſervationis effecit, poſt ſanctiſſimum Apoſtolum, nos vel maxime nullius loci homines, impudenter retractare: niſi quod non impudenter, ſi ſecundum

 Apo-

Apoſtolum retractemus. De modeſtia quidem cultus & ornatus, aperta præſcriptio eſt etiam Petri, cohibentis eodem ore, quia eodem & ſpiritu, quo Paulus, & veſtium gloriam, & auri ſuperbiam, & crinium (2) lenonem operoſitatem.

ADNOTATIONES.

1. *De habitu vero* &c. De veſtibus etiam, quas feminæ ad orationem accedentes induere debebant, agendum ſibi Tertullianus cenſet. Ad hoc autem incitatum ſe ait, quod pro diverſitate locorum varius eſſet veſtium feminarum uſus, ideoque ſe de hujuſmodi argumento ſcribere velle, quod præcipue tamquam nullius loci homo, videlicet nulli locorum conſuetudini favens, rem æquiſſime pertractare poterat. At impudentia videbitur de hoc iterum agere, poſtquam Paulus Apoſtolus aperte egit in 1. ad Timotheum cap. 2. Se tamen impudentem non exiſtimat, quum poſt Apoſtolum quidem, ſed ſecundum Apoſtolum, hoc eſt ſecundum Apoſtoli mentem in eodem argumento verſetur. *Muratorius*.

2. *Crinium lenonem operoſitatem*. In Ambroſiano Codice legitur *criminum lenonem moroſitatem*. At in eo Codice, quo uſus eſt Rigaltius, quique in hæc verba deſinit, habetur *& crinium lenonem operoſitatem*. Quæ lectio mihi libentius probatur, ut ſignificetur ac damnetur immodicum feminarum ſtudium in crinibus componendis, & in cincinnos educandis, unde viri tamquam a lenonibus ſolicitati ad concupiſcentiam rapiantur. Hujuſmodi autem lectioni conſonat Apoſtolus uterque a Tertulliano laudatus. Petrus in ep. 1. cap. 3. ita de mulieribus ſcribit: *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus*. Paulus vero in 1. ad Timotheum cap. 2. *Similiter*, inquit, *& mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa*. Ubi crinium factam mentiones vides. *Idem*.

CAP. XXI.

De Virginibus.

SEd quid (1) promiſcue obſervetur per Eccleſias, quaſi incertum id retractandum eſt, velarine debeant Virgines, an non, Qui enim Virginibus indulgent capitis (2) immunitatem, hoc niti videntur, quod Apoſtolus non Virgines (3) nominatim, ſed mulieres deſignaverit velandas eſſe; nec ſexum, ut diceret *feminas*, ſed gradum ſexus, dicendo *mulieres*. Nam ſi ſexum nominaſſet, *feminas* dicendo, abſolute definiſſet de omni

1. *Cor.* 11. 5.

muliere. Aut quum unum gradum ſexus nominat, alium tacendo ſecernit. Potuit enim, inquiunt, aut & Virgines nominare ſpecialiter, aut compendio generaliter feminas.

ADNOTATIONES.

1. *Sed quid promiſcue*. Veſtes, & ornamenta feminarum modeſtiam ſpirare debere, certiſſimum ex Apoſtoli præcepto dixerat. Nunc velarine debeant Virgines, an non, tamquam res incerta, pertractandum ait. Erant enim, qui Virgines in Templo, atque in ſacris conventibus, non velatas ferebant; alii vero iis quoque, ut reliquis mulieribus, velum eſſe neceſſarium modeſtiæ cauſſa, & Apoſtolici præcepti auctoritate, ſentiebant. *Muratorius*.

2. *Capitis immunitatem*. Qui virginibus indulgent capitis nuditatem, atque immunitatem a velamine. *Idem*.

3. *Apoſtolus non Virgines nominatim* &c. Πᾶσα δὲ γυνὴ προσευχομένη, ἢ προφητεύουσα ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ καταισχύνει τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς: ἓν γάρ ἐστι καὶ τὸ αὐτὸ τῇ ἐξυρημένῃ: Sunt Apoſtoli verba in I. ad Cor. cap. II. n. 5., quæ ita exhibentur a vulgato Interprete noſtro: *Omnis mulier orans, vel prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum: unum enim eſt ac ſi decalvetur*. Qui contendebant, virginibus nequaquam præceptum fuiſſe, ut velatæ in Templo orarent, ex ipſis Apoſtoli verbis tale argumentum conflabant: Si Apoſtolus hoc præcipere in animum induxiſſet, vocabulo γυνὴ, quod *Mulier* Latine ſonat, non fuiſſet uſus; nam γυνὴ de nuptis tantum feminis uſurpari ſolet. Potius θήλεια dixiſſet, quo nomine feminas omnes tum nuptas tum innuptas Græci ſignificant; aut addidiſſet παρθένους quoque, ideſt *Virgines*. Ergo non totum ſexum, ſed gradum & partem feminei ſexus, mulieres videlicet nuptas, eo in loco Apoſtolus ſignificavit. Quin ipſe eadem in Epiſtola ad Cor. cap. 6. virgines a mulieribus diſtinxit, inquiens: μεμέρισται δὲ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, *diviſa eſt mulier, & virgo*. Non heic autem ſolum, ſed & in lib. de velandis Virginibus, quem poſtea conſcripſit in ſchola Montani, ſimile ſibi argumentum Tertullianus objecit. Inquit ibi cap. 4. *Opponitur nobis, nullam mentionem virginum ab Apoſtolo factam, ubi de velamine præfinit, ſed tantum mulieres nominatas: quum ſi voluiſſet & virgines tegi, de virginibus quoque cum mulieribus pronunciaſſet, quomodo illic, inquit, ubi de nuptiis tractat, quid obſervandum ſit etiam de virginibus, declarat. Itaque non contineri eas lege velandi capitis, ut non nominatas in hac lege; imo ex hoc revelari, quia non jubentur, quæ nec nominantur. Idem*.

CAP. XXII.

QUi ita concedunt, recogitare debent de ſtatu vocabuli ipſius, quid eſt mulier a primis quidem literis ſanctorum commentariorum; nam inveniunt ſexus eſſe nomen, non gradum ſexus. Siquidem Evam (1)

non-

Gen. 2.23. nondum virum expertam Deus *mulierem* & *feminam* cognominavit: feminam, qua ſexus generaliter, mulierem, qua gradus ſexus ſpecialiter. Itaque jam tunc innupta adhuc Eva mulieris vocabulo fuit, commune id vocabulum & virgini factum eſt. Nec mirum, ſi Apoſtolus eodem utique ſpiritu actus, quocum omnis Scriptura divinitatum, & illa Geneſis digeſta eſt, eadem voce uſus eſt, mulierem ponendo; quæ exemplo Evæ innuptæ & virgini competat. Cetera denique non ſonant. nam & hoc ipſo, quod virgines non nominavit, ſicut alio (2) in loco, ubi de nubendo docet, ſatis prædicat de omni muliere, & de toto ſexu dictum, nec diſtinctum eſſe inter virginem, omnino non nominat. Qui enim alibi diſtinguere meminit, ubi ſcilicet differentia poſtulat (diſtinguit autem utramque ſpeciem ſuis vocabulis deſignans); ubi non diſtinguit, dum utramque non nominat, nullam vult differentiam intelligi. Quid? quod Græco ſermone, quo literas Apoſtolus fecit, uſui eſt mulieres vocare tam (3) feminas, ideſt γυναῖκας, quam θηλείας. Igitur ſi pro ſexus nomine vocabulum iſtud frequentatur, quod eſt interpretatione pro eo, quod eſt femina, ſexum nominavit, dicens γυναῖκα. In ſexu autem & virgo contingitur. Sed & manifeſta pronunciatio eſt: *Omnis*, inquit, *mulier adorans*, *& prophetans intecto capite dedecorat caput ſuum*. Quid eſt *omnis mulier*, niſi omnis ætatis, omnis ordinis, omnis conditionis? Nihil mulieris excipit, dicendo *omnis*; ſicut (4) nec vir nec velandi; proinde enim *omnis vir*, inquit. Sicut ergo in maſculino ſexu ſub viri nomine etiam inveſtis velari vetatur, ita & in feminino ſub nomine mulieris etiam virgo velari jubetur. Æqualiter in utroque ſexu minor ætas majoris ſequatur diſciplinam: aut velentur & virgines maſculi, ſi non velantur & virgines feminæ, quia nec iſti nominatim tenentur. Aliud ſit vir, & inveſtis, ſi aliud eſt mulier, & virgo. Nempe *propter Angelos* ait velari oportere, quod Angeli propter filias hominum deſciverunt a Deo. Quis ergo conten-

Margin notes: 1. Cor. 11.5. (beside "tingitur"); Ibid. (beside "ris excipit"); Ibid. (beside "pter Angelos")

tendat, ſolas mulieres, ideſt nuptas jam, & virginitati (5) defunctas concupiſcentiæ, niſi ſi non licet & virgines ſpecie præſtare, & amatores invenire? Imo (6) videmus, quod non virgines ſolas concupierint, quum dicat Scriptura *filias hominum*, quia potuit uxores hominum nominaſſe, vel feminas indifferenter. Gen. 6.2. Etiam quod ait: *Et acceperunt ſibi in uxores*, eo facit, Ibid. quod accipiuntur in uxores, quæ vacant ſcilicet. De non vacantibus autem aliter enunciaſſet. Itaque (7) vacant tam viduitate, quam & virginitate: adeo ſexum nominando, generaliter filias, & ſpecies in genere commiſcuit. Item quum (8) dicit, naturam ipſam docere, feminas velandas eſſe, quæ capillum pro tegumento & ornamento mulieribus aſſignarit: Nonne idem tegumentum, & idem honor capitis virginibus quoque adſcriptus eſt? Si *mulieri turpe eſt radi*, 1.Cor.11.6. & virgini perinde. In quibus ergo una conditio capitis deputatur, una & diſciplina capitis exigitur, etiam ad eas virgines, quas pueritia defendit; a primo enim *femina* nominata eſt. Sic denique & Iſrahel (9) obſervat. Sed ſi non (10) obſervaret: noſtra Lex ampliata, atque ſuppleta defenderet ſibi adjectionem. Virginibus quoque injiciens velamentum, excuſetur. Nunc ætas, (11) quæ ſexum ſuum ignorat, ſimplicitatis privilegium teneat. Nam & Eva, & Adam, ubi eis contigit ſapere, texuerunt (12) ſtatim, quod agnoverant. Certe in quibus pueritia mutavit; ſicut naturæ, ita & diſciplinæ debet ætas eſſe munifica. Nam & membris, & officiis mulieribus reſignantur. Nulla virgo eſt, ex quo poteſt nubere, quoniam ætas jam in ea nupſit ſuo viro, ideſt tempori: Sed aliqua (13) ſe Deo vovit. Jam & crinem (14) exinde transfigurat, & omnem habitum ad mulieres convertit. Totum ergo (15) aſſeveret, & totum virginis præſtet: quod propter Deum abſcondit, plane obumbret. Intereſt noſtra, quod Dei gratia exerceat, ſolius Dei conſcientiæ commendare, ne quod a Deo ſperamus, ab homine compenſemus. Quid denudas (16) ante

Deum,

Deum, quod ante homines tegis? Verecundior eris in
1. Cor. 4.7. publico, quam in Eccleſia? *Si Dei gratia eſt, & accepiſti, quid gloriaris*, inquit, *quaſi non acceperis*? Quid alias oſtentatione tui judicas? an alias gloria tua ad bonum invitas? Atqui & ipſa periclitaris amittere, ſi gloriaris; & alias ad eadem pericula cogis. Facile eligitur quod affectione gloriæ aſſumitur. Velare virgo, ſi virgo es; debes enim erubeſcere. Si virgo es, plures oculos pati noli. Nemo miretur in tuam faciem; nemo mendacium tuum ſentiat. Bene (17) mentiris nuptam, ſi caput veles. Imo (18) mentiri non videris; nupſiſti enim Chriſto, illi carnem tuam tradidiſti. Age pro mariti tui diſciplina. Si nuptas alienas velari jubet, ſuas utique multo magis. Sed non (19) putet inſtitutione unuſquiſque anteceſſoris commovendam. Multi (20) alienæ conſuetudini prudentiam ſuam, & conſtantiam ejus addicunt, ne compellantur velari. Certe voluntarias (21) prohiberi non oportet, quæ ſe etiam virgines negare non poſſunt, contentæ abuti in fama ſuæ conſcientiæ apud Deum ſecuritate. De illis (22) tamen, quæ ſponſis dicantur, conſtanter ſuper meum modulum pronunciare, conteſtarique poſſum, velandas ex ea die eſſe, qua ad primum viri corpus oſculo & dextera expaverint. Omnia enim in his prænupſerunt, & ætas per maturitatem, & caro per ætatem, & ſpiritus per conſcientiam, & pudor per oſculi experimentum, & ſpes per expectationem, & mens per voluntatem. Sa-
Gen. 34.65. tiſque nobis exemplo Rebecca eſt, quæ ſponſo demonſtrato, tantum notitia ejus nubendo velata eſt.

ADNOTATIONES.

1. *Evam nondum virum expertam* &c. Ut oſtendat Tertullianus, nomine γυναικὸς nuptas ac innuptas feminas ſignificari, e Geneſis cap. 2. n. 23. exemplum profert; ibi enim de Eva loquens Deus: αὕτη, inquiunt LXX. Interpretes, κληθήσεται γυνή, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη. Scilicet: *ipſa vocabitur mulier*, *quia de viro ſuo ſumta eſt*, ut alibi aptiſſime interpretatur idem Tertullianus, verſionem τῶν LXX. ſequutus. Vulgatus autem Interpres habet: *quæ vocabitur virago*, *quoniam de viro ſumta eſt*. Supra etiam dixerat divinus Scriptor: *Aedificavit Dominus Deus coſtam*, *quam tulerat de Adam*, *in mulierem*, εἰς γυναῖκα. Utrobique Eva, quamquam adhuc virgo,

go, neque virum experta, γυνὴ, *mulier* appellatur. Igitur per hoc vocabulum non gradus ſexus, ſeu nuptarum ordo ſignificatur, ſed generaliter femineus ſexus: atque adeo tum virgines, tum nuptæ ab Apoſtolo jubentur velari. *Muratorius*.

2. *Sic alio in loco*. Eamdem Epiſtolam 1. ad Cor. cap. 7. n. 34. innuit, ubi ita loquitur Paulus: *Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ vero nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro*. Si, inquit Tertullianus, innuptas a nuptis diſtinguere voluiſſet Apoſtolus, velari mulieres jubens, eas aliquo diſtinxiſſet vocabulo, quemadmodum fecit, ubi revera illas diſtinguere voluit. Apparet igitur, tum nuptas, tum innuptas uno *mulieris*, ſeu γυναικὸς nomine fuiſſe comprehenſas, quando eas Paulus diſtinguere noluit. Eadem ratione reſpondet idem Tertullianus in lib. de vel. virgin. cap. 5. *Idem*.

3. *Quam feminas*. Ideſt potius quam feminas. Eſt elegans in Hebræo ſermone dicendi formula, & aliis in locis a Tertulliano uſurpata. *Idem*.

4. *Sicut nec vir, nec velandi*. Apoſtolus in laudata Epiſtola 1. ad Cor. cap. 11. n.4. *Omnis*, inquit, *vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum*. Infra vero addit: *Vir quidem non debet velare caput ſuum*. Cuicumque igitur viro, quando orat, turpe eſſe velari, ait Paulus, & *omnem virum* nominans, omnes cujuſcumque ordinis, ætatis, & conditionis maſculos intelligit. Igitur ſub nomine *omnis mulieris* feminas omnes tum virgines, tum nuptas, ac viduas complectitur. Ceterum quin hæc verba ſint in Codice noſtro vitiata, nemo dubitabit. Fortaſſe reſtitui poterunt, aut ſaltem iis lux aliqua affulgebit, ſi quod ille in lib. de vel. virgin. cap.8. refert, nos quoque referamus. *Apoſtolus: omnis, inquit, mulier. Quid eſt omnis? niſi omnis generis, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis? Siquidem omne, totum eſt, & integrum, & nulla ſui parte defectum. Pars autem mulieris & virgo eſt. Æque & de viro non velando omnis, inquit. Ecce duo diverſa nomina vir, & mulier. Omnis uterque. Duæ leges obnoxiæ invicem hinc velandi, inde nudandi. Igitur ſi eo quod dictum ſit omnis vir, commune eſt nomen viri etiam nondum viri, maſculi inveſtis: commune autem quum ſit nomen ſecundum naturam, communis eſt & lex non velandi ejus, qui inter viros virgo eſt* &c. *Idem*.

5. *Et virginitati defunctas concupiſcentiæ*. Heic mihi verbum aliquod deſiderari videtur, cujuſmodi eſſet *ignes excitare*, aut quid ſimile, ut ſit ſenſus: num nuptæ tantum, ac virginitate carentes, Angelorum hominumque concupiſcentiam accendere poſſunt? neque virginibus licet forma corporis excellere, ſibique amatores invenire? *Idem*.

6. *Imo videmus*. Imo, inquit Tertullianus, Angeli virgines potius quam nuptas concupiiſſe videntur, ſiquidem Scriptura teſtante cap.6. Gen. n. 2. *Videntes filii Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant*. Igitur non uxores hominum, non feminæ indifferenter a filiis Dei, ſive ab Angelis, ut Tertullianus interpretatur (quam ſolide non quæro) expetitæ fuerunt, ſed virgines, & quæ *vacabant*, hoc eſt nondum conjugatæ. Quamobrem ita legendus mihi videtur Tertulliani locus: *Imo videmus, quod virgines ſolas concupierint*. Infra etiam *uxores* pro *uxorem* legendum eſſe, nemo neget. Hunc eumdem Geneſis locum a Tertulliano tractatum videas in memorato libro de vel. virgin. cap.7. *Idem*.

7. *Itaque vacant*. Ideſt: illæ dicuntur vacare, quæ aut virgines, aut viduæ ſunt. *Idem*.

8. *Item quum dicit* &c. In eodem cap.11. Ep. 1. ad Cor. n.14. *Ipſa natura*, inquit Apoſtolus, *docet vos, quod vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi. Mulier vero ſi comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt*. Igitur quum virginibus quoque capilli pro velami-

ne

ſe a naturâ ſint dati, velo & ipſæ uti debent. *Idem*.

9. *Sic denique & Iſrabel obſervat*. Judæis etiam feminis in uſu fuiſſe, ut velato capite incederent, idem Tertullianus alibi teſtatur, nempe cap. 4. libri de Cor. Militis, cujus hæc ſunt verba: *Apud Judæos tam ſolemne eſt feminis eorum velamen capitis, ut inde noſcantur*. Tum addit exemplum Rebeccæ adhuc virginis, quæ velata ad ſponſum profecta eſt, & Suſannæ, quæ quum judicio ſiſteretur, operta erat velamine pro more ceterarum mulierum Hebræarum. Similia repetit in lib. de vel. virg. cap. 11. Rabbi etiam Nathan in Aruch *Veli* cujuſdam *tenuis* mentionem facit, *quo feminarum capita obtegi ſolebant*. *Idem*.

10. *Sed ſi non obſervaret*. Quamquam virginibus Judæis velandi capitis conſuetudo non eſſet, nihilominus in lege Chriſtianorum ſervandus foret hujuſmodi ritus; nam in novo Teſtamento veteres leges & ampliatæ, & ſuppletæ ſunt. *Idem*.

11. *Nunc ætas, qua ſexum ſuum ignorat*. Hinc patet, puellis, quæ nondum rationis uſum attigerant, intecto capite procedere licuiſſe. *Simplicitatis privilegium* Tertullianus appellat. Verum in iis, quæ ad adoleſcentiam creverant, quum natura mutaretur, mutari quoque diſciplinam decebat. Vide ipſum citato cap. 11. de vel. virg. *Idem*.

12. *Texuerunt*. Lego *texerunt*, ut Gen. cap. 3. n. 7. *Idem*.

13. *Sed aliqua ſe Deo vovit*. Et ab ipſis Eccleſiæ incunabulis virgines fuiſſe, quæ ſuam virginitatem Chriſto dicarent, cum e nonnullis Tertulliani locis in memorato lib. de vel. virg., tum ex hoc capite oſtendi evidenter poteſt, ut ſubeat mirari quorumdam aut in re aperta cæcitatem, aut in improbanda re tot ſeculorum uſu probata audaciam; negant enim hunc morem aut in antiquis Chriſtianorum Eccleſiis viguiſſe, aut in recentioribus eſſe laudandum. At heic legimus, *Aliquas ſe Deo vovere*, ſanctumque hoc inſtitutum *Dei gratia exerceri*. Infra ait: *Nupſiſti Chriſto, illi carnem tuam tradidiſti. Age pro mariti tui* (ſcilicet Chriſti) *diſciplina*. Si *nuptas alienas velari jubet* Chriſtus, *ſuas utique multo magis*. His adde quæ doctiſſimus Pamelius habet præfat. in eumdem lib. de virg. vel. Ego in argumento ſatis explorato aliis veterum teſtimoniis parco. *Idem*.

14. *Crinem exinde transfigurat*. Ubi virgines Chriſto caſtitatem dicaverant, crinem transfiguraſſe diximus. Neque, ut arbitror, hoc nomine comas tonderi Tertullianus ſignificat; auctor enim ipſemet eſt, virginibus quoque turpe eſſe tonderi. *Si mulieri*, inquit, *turpe eſt radi*, *& virgini perinde*. Idem repetit in lib. de vel. virg. cap. 7. Me quidem non fugit, nonnullis in regionibus a ſacratis virginibus crinem deponi conſueviſſe, ac præcipue in Syria & Ægypto, uti Hieronymus in Epiſt. 48. ad Sabinianum, aliaque monumenta teſtantur. Sed hujuſmodi conſuetudinem in Africa tribus ſaltem prioribus Eccleſiæ ſeculis obtinuiſſe, nuſquam invenio. Cenſeo itaque nil aliud heic intelligi, niſi modeſtam crinium compoſitionem, quam virgines tum ſervare incipiebant, quum ſe Chriſto dicabant. Et quidem antiquitus uſitatum fuit, ut crine ſoluto, ac libero virgines incederent. Simul ac autem conjugio ſeſe obligabant, comæ illis coactæ, & compoſitæ erant, ut jam in matronarum gravitatem tranſirent. Quæ igitur divino ſponſo nubebant, par erat, ut crine compoſito, compreſſo, ac transfigurato proderent ſe Deo nuptas, *omnemque habitum ad mulieres convertendo*, hoc eſt matronalibus ſe veſtibus induendo, matronis, ſive mulieribus nuptis accenſerentur. Reliquæ vero virgines in ſpem ſecularium nuptiarum educatę, vix pueritiam tranſgreſſæ *vertunt capillum*, *& acu laſciviore comam ſibi inferunt*, *crinibus a fronte diviſis*, *apertam profeſſæ mulieritatem*. Hæc ſunt Tertulliani ipſius verba in cap. 12. de vel. virg. At quum cap. 11. dicat:

Aſpi-

Aſpice nuptam illam tuam virginem & animam expectatione, & carnem transfiguratione, neſcio an huic loco tenebras addat, an illa verba hinc ſint corrigenda. Si quis *crinem transfigurare* heic ſumere velit pro memorata virginum laſcivia in componendis, interſerendis, ac dividendis crinibus, oſtendat in hac periodo Tertullianum de virginibus Deo dicatis non loqui. *Idem*.

15. *Totum ergo aſſeveret*. Verum de virginibus ſacris heic agi, magis per iſta perſuadeor; ſenſus enim eſt: Si ex quo virginitatem Deo dicavit, crinium licentiam comprimere, & gravitatem in veſtibus præ ſe ferre virgo debet, cur poſtea intecto capite in ſacris hominum conventibus conſpiciendam ſe præbet? Omnino igitur oſtendat ſe Chriſto nuptam, & totam ſacræ virginis modeſtiam ſervet, plene obumbrando virgineum caput, *quod propter Deum abſcondit*. *Idem*.

16. *Quid denudas ante Deum?* En quod Tertulliano minime ferendum videbatur. Sacratæ Chriſto virgines non ſecus ac matronæ velato capite *in publico* procedebant, *in Eccleſia* vero nequaquam. Ab oſtentationis culpa immunes non credit has virgines Tertullianus, quæ veluti gloriabundæ, ſe a divina gratia ad continentiæ votum electas, in reliquarum virginum conſpectu jactare propriam virtutem videbantur. Quumque id a ſe fieri quædam reſponderent, ut exemplo ſuo alias ad ſacrum virginitatis votum incitarent, ne hoc quidem ambitionis periculo carere Tertullianus ait. *Idem*.

17. *Bene mentiris nuptam*. Exploratum eſt, cunctas mulieres nuptas, ut Apoſtolo obtemperarent, tum in publicis locis, tum in ſacris ædibus velo capita obduxiſſe. Proinde hoc nuptarum indicium erat. Quum virgines ſacræ pro nuptis Chriſto haberi vellent, iiſdem veſtibus, ornatibus, & velamentis *in publico* utebantur, quibus matronæ, ac nuptæ mundo; *in Eccleſia* vero velum ad earum differentiam deponebant. Inquit igitur Tertullianus: *Nemo miretur in tuam faciem, nemo mendacium tuum ſentiat*. Scilicet mendacium appellat, pium utique, ſe fingere nuptas, quum adhuc virgines eſſent. Si & in Eccleſia velo uſæ fuiſſent virgines, nemo eas a nuptis diſtinxiſſet; & *bene* ſolum ſe *nuptas mentiri* poterant virgines, ſi *caput* ubique velaſſent. *Idem*.

18. *Imo mentiri non videris*. Se corrigit Tertullianus, quod a ſacris virginibus nuptias ſimulari dixiſſet: nam revera Chriſto nupſere, illique ſuum corpus dicavere, ideoque ad inſtar nuptarum velato capite divinis officiis intereſſe debebant. Eadem habet cap. 16. de virg. velandis. *Adimple*, inquit, *habitum mulieris, ut ſtatum virginitatis ſerves. Mentire aliquid ex his, quæ intus ſunt, ut ſoli Deo exhibeas veritatem. Quamquam non mentiris nuptam; nupſiſti enim Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam, illi ſponſaſti maturitatem tuam. Incede ſecundum ſponſi tui voluntatem. Chriſtus eſt, qui & alienas ſponſas, & maritatas velari jubet: utique multo magis ſuas*. Quare nullus dubito, quin Tertullianus heic de virginibus, non omnibus, ſed Chriſto tantum dicatis loquatur ab iis verbis: *Sed aliqua ſe Deo vovit*, uſque ad ſequentia *Sed non putet*. *Idem*.

19. *Sed non putet*. Latere mendum in his verbis ſentio, ſed reparare non audeo. Fortaſſe legendum *uniuſcujuſque*. Senſus autem eſt: non eſſe virginum, quæ anteceſſerunt, conſuetudinem pro ratione adducendam. *Idem*.

20. *Multi alienæ conſuetudini*. Et heic verba corrupta exiſtimo. Legere mallem *multæ*. Inquit autem, complures virgines, ne in templo velari compellerentur, præcedentium virginum conſuetudine ſeſe tueri, ſatis ſe prudentes arbitratæ, ſi quod illæ conſtanter fecerunt, & ipſæ facerent. *Idem*.

21. *Certe voluntarias*. Ita ego interpretarer. Velari feminas nuptiis ſeculi, aut Chriſti addictas, omnino neceſſarium eſt. At quæ virginitatem voluntariam colunt, donec maritum ſibi comparent, his prorſus interdicenda non

eſt

eſt capitis nuditas, ſed monendæ tantum, ut meliora diſciplinæ conſilia amplectantur, quamvis ſe virgines interdum mentiantur. Mendoſum Codicem explicare per ſolas conjecturas cogimur. *Idem*.

22. *De illis tamen*. Nihilominus, quæ virgines voluntariæ dicuntur, adhuc velandas eſſe, Tertullianus arbitratur ex eo die, quo viris deſponſæ fuerunt, ſeque ad futuras nuptias parare cœperunt. Has a vere nuptis nihil differre contendit. Similia habet cap. 11. de virg. vel. Sponſalia vero a Chriſtianis dato oſculo, & dextera conjuncta peragi ſolita diximus. Ceterum quæ in iſto capite adferuntur compendioſe, ea fuſius poſtea ab ipſo Tertulliano pertractata fuere in ſæpe memorato libro de Virginibus velandis. *Idem*.

CAP. XXIII.

De genu ponendo.

DE genu quoque ponendo varietatem obſervationis patitur Oratio per pauculos quoſdam, qui Sabbato (1) abſtinent genibus. Quæ diſſenſio quum maxime apud Eccleſias cauſſam dicat, Dominus dabit gratiam ſuam, ut aut cedant, aut ſine aliorum ſcandalo ſententia ſua utantur. Nos vero, ſicut accepimus, ſolo (2) die Dominico Reſurrectionis non ab iſto tantum, ſed omni anxietatis (3) habitu, & officia cavere debemus, differentes etiam negotia, ne quem Diabolo locum demus. Tantumdem & ſpatio Pentecoſtes, quæ eadem exultationis (4) ſolemnitatem diſpungimur. Ceterum omni die quis dubitet proſternere ſe Deo vel prima (5) ſaltem oratione, qua lucem ingredimur. Jejuniis autem & Stationibus nulla oratio ſine genu, & reliquo humilitatis more celebranda eſt. Non enim oramus tantum, ſed & deprecamur, & ſatisfacimus Deo Domino noſtro. De temporibus orationis nihil omnino præſcriptum eſt, niſi plane omni in tempore (6), & loco orare.

ADNOTATIONES.

1. *Sabbato abſtinent genibus*. Antiquiſſimus eſt ritus genua flectendi in Oratione. Exempla habemus in lib. 1. Regum cap. 8. n. 54., in Euang. Lucæ cap. 22. n. 41., in Act. Apoſt. cap. 7. n. 60., & cap. 20. n. 36., & cap. 21. n. 5. Quin Euſebius Cæſarienſis hunc morem Chriſtianorum proprium appellat Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 5., ubi Chriſtianos milites oraſſe

ait

ait γόνυ θέντας ἐπὶ τὴν γῆν κατὰ τὸ οἰκεῖον τοῖς χριστιανοῖς τῆς εὐχῆς ἔθος: *genu in terram uſque flectentes ſecundum conſuetudinem Chriſtianis in precando propriam*. Quidam vero a genu flectendo Sabbato abſtinebant, quum Eccleſiæ reliquæ contrarium uſum tuerentur. In poſteriorum ſententia erat Tertullianus, qui idcirco hujuſmodi ritus differentiam tolli cupit. Et certe ſublatam arbitror, quum ex antiquis neminem offendam, qui Sabbato genua flectere prohibeat. Græcis tamen recentioribus eamdem placuiſſe opinionem, auctor eſt Joannes Monachus in Canonario ſubjecto libris Morini de Pœnit. Ibi hæc habentur: εἰς πάσας σαββατοκυριακάς, καὶ ἑορτὰς δεσποτικὰς, καὶ δωδεκαήμερον, ὁμοίως δὲ καὶ εἰς ἀπὸ τοῦ Πάσχα ἡμέρας ἕως τῶν ἁγίων πάντων μὴ γονυκλιτεῖν ἐν ταῖς εὐχαῖς. *Omnibus autem Sabbatis, & diebus Dominicis, & Dodecahemero, ſimiliter & diebus a Paſchate uſque ad Feſtum omnium Sanctorum in orationibus genua flectere non licet*. In Juris etiam Græco-Romani lib. 3., ubi de Luca Patriarcha, num. 9. legitur: οἱ ἀποστολικοὶ κανόνες κολάζουσι τὸν ἐν τῷ τυχόντι σαββάτῳ, ἢ τῇ κυριακῇ γονυκλιτοῦντα, ἢ νηστεύοντα. *Apoſtolici Canones eum puniunt, qui quovis Sabbato, vel Dominica die genu flectit, vel jejunat*. Quamquam Græculus hic fallatur (non enim in Apoſtolorum Canonibus quid tale reperitur) nihilominus palam fit, in Oriente multis poſt Tertullianum ſeculis hujuſmodi conſuetudinem iterum invaluiſſe. *Muratorius*.

2. *Solo die Dominico*. In libro quoque de Cor. mil. eadem affirmantur, veluti e traditionis penu, atque auctoritate accepta. *Die*, inquit, *Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paſchæ in Pentecoſtem uſque gaudemus*. Communis autem inter Chriſtianos tum erat hic ritus; quare quum nonnulli ab eo deſciviſſent, placuit Patribus Concilii Nicæni primi rem ſtatuere in Can. ult., ne Eccleſiæ in eo diſſentirent. De intermittenda genuflexione tum ſingulis diebus Dominicis, tum diebus a Paſchate ad Pentecoſtem, mentionem faciunt S. Hilarius Prologo in Pſalt., S. Hieronymus cap. 4. contra Luciferianos, Auctor Quæſt. ad Orthodoxos inter opera S. Juſtini quæſt. 115., S. Baſilius cap. 17. lib. de Spir. Sancto, S. Auguſtinus Epiſt. 119., Caſſianus, Germanus Conſtantinopol., Balſamon, Zonaras, aliique non pauci. *Idem*.

3. *Sed omni anxietatis habitu*. Deſiderari heic verbum *abſtinere* mihi videtur. Quum genu flectere, & jejunare, mœſtitiam atque pœnitentiam ſpirarent, Dominico die, nempe exultationis die, abſtinendum ab eo more fuit. *Idem*.

4. *Qua eadem exultationis ſolemnitatem diſpungimus*. Diximus & in Pentecoſte genua non flexiſſe Chriſtianos. Neſcio an legendum: *quæ eadem exultationis ſolemnitas eſt, diſpungimus*. In lib. de Patientia *expunxit* pro *præſtitit* uſurpatum eſt a Tertulliano; & *diſpuncta eſt* pro *abſoluta* cap. 5. de Carne Chriſti; & *expunget* pro *perficiet* in lib. de Reſurr. carnis. In lib. etiam adverſus Judæos: *Itaque*, ait, *diſpungamus ordinem cœptum*, hoc eſt *abſolvamus*. Igitur *tantumdem diſpungimus* hoc loco nil aliud ſignificet, quam *præſtamus*, & *abſolvimus*. *Idem*.

5. *Vel prima ſaltem oratione*. Celebres ſunt apud antiquos ἑωθιναὶ, ſeu *matutinæ* preces. De iis conſule Conſtitut. Apoſtol. lib. 8. cap. 34., Chryſoſtomum Homil. in Pſ. 119. & alibi, ac Baſilium in Regulis fuſius diſputatis Interrog. 37., ut alios omittam. *Idem*.

6. *Omni in tempore*. Alludit ad cap. 2. Ep. ad Timoth., ubi inquit Paulus: *Volo ergo viros orare in omni loco*. At de tempore nullam habet mentionem. *Idem*.

CAP. XXIV.

De Loco.

SEd quomodo *omni loco*, quum prohibeamur in publico? Omni, inquit, loco, quem opportunitas, aut etiam neceſſitas importaret. Non enim contra præceptum reputatur ab Apoſtolis factum, qui in carcere audientibus cuſtodiis orabant & canebant Deo, apud (1) Paulum, qui in navi coram omnibus Euchariſtiam fecit.

1. ad Tim. 2.2.

ADNOTATIONES.

1. *Apud Paulum*. Legendum videretur *aut a Paulo*. Reſpicit Act. Apoſt. cap. 27. n. 35. Paulus enim quum eſſet in navi, *ſumens panem, gratias egit Deo in conſpectu omnium, & quum fregiſſet, cœpit manducare*. *Muratorius*.

CAP. XXV.

De Tempore.

DE tempore vero non erit otioſa extrinſecus obſervatio etiam horarum quarumdam. Iſtarum dico communium, quæ diei interſpatia ſignant, Tertia, (1) Sexta, Nona, quas ſolemniores in Scripturis invenire eſt. Primus Spiritus Sanctus congregatis diſcipulis hora Tertia infuſus eſt. Petrus, qua die viſionem communitatis omnis in illo vaſculo expertus eſt, Sexta hora aſcenderat orandi gratia in ſuperiora. Idem cum Johanne ad Nonam in templum adibat, ubi paralyticum ſanitati reformavit ſuæ. Etſi ſimpliciter ſe habeant ſine ullius obſervationis præcepto, bonum tamen ſit aliquam conſtituere præſumtionem, qua & orandi admonitionem conſtringat, & quaſi lege ad tale munus extorqueat a negotiis interdum, ut quod Danieli quoque legimus obſervatum utique ex Iſrahelis diſciplina, ne

Act. Ap. 2. 15.
Ibid. 10. 9.
Ibid. 3. 1.
Dan. 6. 10.

ne minus ter die ſaltem adoremus, debitores Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Exceptis (2) utique legitimis orationibus, quæ ſine ulla admonitione debentur ingreſſu lucis & noctis. Sed & cibum non prius ſumere, & lavacrum non prius adire, quam interpoſita oratione, Fideles decet. Priora enim habenda ſunt ſpiritus refrigeria & pabula, quam carnis, & priora cœleſtia, quam terrena.

ADNOTATIONES.

1. *Tertia, Sexta, Nona.* Tempora, quibus orationi vacandum eſſet, alia alii conſtituerunt. Conſtitutionum Apoſtolicarum Auctor lib. 8. cap. 34. *ſexies* quotidie orandum ait, nempe *circiter auroram, hora tertia, ſexta, nona, veſpere, & circiter gallicinium*. Chryſoſtomus Homilia in Pſal. 119. *ſexies* itidem orandum eſſe docet, ſed non eadem horarum diviſione utitur. S. Baſilius *ſepties* in die preces ad Deum fundendas eſſe ſtatuit. Clemens vero Alexandrinus Strom. lib. 7. hujuſmodi horarum diviſionem laudat quidem, ſed alia ſubdit non contemnenda. *Nonnulli*, inquit, *certas & definitas horas conſtituunt precationi, ut verbi cauſſa Tertiam, Sextam, Nonam. At is, qui eſt cognitione præditus, per totam orat vitam, dum per preces ſuas cum Deo verſari ſtudet*. Tertullianus autem alibi, in libro nempe de Jejun. cap. 10. Tertiam, Sextam, & Nonam orationi deſtinatas repetit, ſuamque ſententiam iiſdem confirmat exemplis. In Synagoga quoque ter die quolibet precibus dari operam auctor eſt Maimonides in lib. de prec. & benedict. Sacerdot. cap. 1. Idemque & in Eccleſia Dei ter ſolitum fieri teſtatur S. Cyprianus in lib. de Orat. & S. Hieronymus in Epiſt. ad Lætam & Demetriadem. *Muratorius*.

2. *Exceptis utique legitimis orationibus*. Preces matutinas, ac veſpertinas a lege præſcriptas ait. De iis loquitur Chryſoſtomus Hom. 22. in Epiſt. ad Hebr. Vide & Cyprianum cap. ult. de Orat., ubi *mane, & recedente ſole neceſſario orandum* ait. *Idem*.

CAP. XXVI.

De fratrum digreſſu.

FRatrem domum tuam introgreſſum ne ſine oratione dimiſeris. Vidiſti, inquit, fratrem, (1) vidiſti Dominum tuum: maxime advenam, ne Angelus forte ſit. Sed nec ipſe a fratribus exemtis priora fecerit refrigeria terrena cœleſtibus. Statim enim judicabitur fides tua. Aut quomodo ſecundum præceptum *pax huic domui* dices, niſi & eis, qui in domo ſunt, pacem mutuam reddas? *Luc. 10. 5.*

ADNOTATIONES.

1. *Vidiſti*, *inquit*, *fratrem*. Hæc e ſacris Scripturis citari videntur: locum vero innuere neſcio. Quod patet, reſpicit ad cap. 13. n. 2. Epiſt. ad Hebræos, ubi Apoſtolus hoſpitalitatem commendans ait, interdum Angelos hoſpitio recipi. Sunt ejus verba: *Et hoſpitalitatem nolite oblivisci*, *per hanc enim latuerunt* (*placuerunt* habent alii) *quidam*, *Angelis hoſpitio receptis*. Alludit autem ad Angelos, qui ſe hoſpites Abrahamo & Lot obtulerunt. Hinc S. Ambroſius in lib. de Abraham cap. 5. *Quei ſcis*, inquit, *an Deum ſuſcipias*, *quem hoſpitem putas? Abraham dum peregrinantibus defert hoſpitium*, *Deum atque Angelos ejus ſuſcepit hoſpitio. Quamvis & quum hoſpitem ſuſcipis*, *Deum ſuſcipis* &c. Idem ab eo repetitur lib. 2. cap. 21. de Officiis. At in verbis Tertulliani aliquid fortaſſe deſideratur. *Muratorius*.

CAP. XXVII.

De ſubjungendo Pſalmo.

DIligentiores in orando ſubjungere in orationibus (1) Alleluia ſolent, & hoc genus Pſalmos, quorum (2) clauſulis reſpondeant, qui ſimul ſunt. Et eſt optimum utique inſtitutum omne, quod proponendo & honorando Deo competit, ſaturatam (3) orationem velut optimam hoſtiam admovere.

ADNOTATIONES.

1. *In orationibus Alleluia*: De hujus vocis antiquitate, ac repetito uſu in precibus ſacris jam alii ſatis egere, deque illa mentionem faciunt S. Auguſtinus in Pſal. 106. & 110. S. Ambroſius in Apologia pro Davide, Sozomenus lib. 7. cap. 15. & 19., S. Paulinus, S. Hieronymus, Iſidorus, Sidonius, & alii. A Judæis ad Chriſtianos tranſiit: eſt enim in Davidicis Pſalmis frequens, eamque olim potiſſimum in Eccleſia Hieroſolymitana uſurpatam diſcimus a S. Gregorio lib. 2. Epiſt. 63. *Muratorius*.

2. *Quorum clauſulis reſpondeant*. Legentium eruditioni facerem injuriam, ſi poſt doctiſſimum ſummeque pium Cardinalem Bonam de antiquiſſimo pſallendi, ac Davidicos Pſalmos aut recitandi, aut canendi uſu loqui vellem. Ejus librum de Pſalmodia conſulat quiſquis ſaturari cupit. Heic tranſiens animadverto, quam vetuſtus ille etiam ſit ritus, quo Pſalmi alternis in Choro, aliiſque Eccleſiaſticis ſupplicationibus recitantur. *Idem*.

3. *Saturatam orationem*. Sicuti *jejuna oratio*, alio tamen ſenſu, a Cicerone dicta eſt, ita & *ſaturata* a Tertulliano dicitur, quæ preces cum recitatione Pſalmorum conjungit. Hæc eſt optima, hæc eſt pinguis hoſtia, quam ad aram divinam perducimus. *Idem*.

CAP. XXVIII.

HÆc eſt enim hoſtia ſpiritalis, quæ priſtina ſacrificia delevit. *Quo mihi*, inquit, *multitudinem ſacrificiorum veſtrorum? Plenus ſum holocauſtomatum arietum; & adipem agnorum, & ſanguinem taurorum & hircorum nolo. Quis enim requiſivit iſta de manibus veſtris?* Quæ ergo quæſierit Deus, Evangelium docet. *Veniet hora*, inquit, *quum veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Deus enim ſpiritus eſt*: & adoratores itaque tales requirit. Nos ſumus veri adoratores, & veri Sacerdotes, qui ſpiritu orantes ſpiritu ſacrificamus orationem Dei propriam, & acceptabilem, quam ſcilicet requiſivit, quam ſibi proſpexit. Hanc de toto corde (1) devotam, Fide paſtam, veritate curatam, innocentia integram, caſtitate mundam, Agape (2) coronatam cum pompa operum bonorum inter Pſalmos, & Hymnos deducere ad Dei altare debemus.

Eſaia 1. 11.
Jo. 4. 23.
2. *Cor.* 3. 17.

ADNOTATIONES.

1. *De toto corde devotam*. Orationi, quam hoſtiam ſpiritalem appellat, ſingula tribuit, quæ victimis carneis conveniebant, nimirum ut de toto corde voveatur Deo, ut ſit paſta, curata, integra, munda, coronata. *Muratorius*.

2. *Agape coronatam*. Etſi Agaparum nomine convivia illa fere ſemper ſignificari ſoleant, quæ a primis Chriſtianis in ſacro conventu celebrari ſolebant in pauperum ſolatium, in mutuæ dilectionis communionem: interdum tamen ipſam Euchariſtiam, atque incruentum Sacrificium ea voce ſignificarunt Patres. Neque vero ab Agapis olim disjungebatur Dominici Corporis, & Sanguinis miniſtratio. Priore ſenſu intellexiſſe videtur Tertullianus in Apologia cap. 39. *Cœna noſtra*, inquit, *de nomine rationem ſui oſtendit. Vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt*. In lib. etiam ad Martyres cap. 2. *Agapen fratrum* vocat. Hinc autem conſtat, poſt orationem celebrari ſolitam fuiſſe Agapen, quum hæc orationis corona dicatur. De Agapis ſublatis Diſquiſitionem ſubdidi Carminibus anecdotis S. Gregorii Nazianzeni. *Idem*.

CAP. Ultimum.

De vi & affectu (1) Orationis.

OMnia (2) nobis a Deo impetraturam. Quid enim orationi de ſpiritu & veritate venienti negavit Deus, qui eam exigit? Legimus, & audimus, & credimus, quanta documenta efficaciæ ejus. Vetus quidem oratio & ab ignibus, & a beſtiis, & ab inedia liberabat, & tamen non a Chriſto acceperat formam. Ceterum quanto amplius (3) oratur oratio Chriſtianorum, non roris (4) Angelum in mediis ignibus ſiſtit, nec ora leonibus obſtruit, nec eſurientibus ruſticorum prandium transfert, nullum ſenſum paſſionis delegatâ gratiâ avertit; ſed patientes, & ſentientes, & dolentes ſufferentia inſtruit, virtute ampliat gratiam, ut ſciat fides quid a Domino conſequatur, intelligens quid pro Dei nomine patiatur. Sed & retro oratio plagas irrogabat, fundebat hoſtium exercitus, imbrium utilia (5) prohibebat. Nunc vero oratio juſtitiæ omnem iram Dei avertit, pro inimicis excubat, pro perſequentibus ſupplicat. Mirum ſi aquas cœleſtes extorquere novit, quæ potuit & ignes impetrare? Sola eſt oratio, quæ Deum vincit. Sed Chriſtus eam nihil mali novit operari. Omnem illi virtutem de bono contulit. Itaque nihil novit, niſi defunctorum animas de ipſo mortis itinere vocare, debiles reformare, ægros remediare, Dæmoniacos expiare, clauſtra carceris aperire, vincula innocentium ſolvere. Eadem diluit delicta, tentationes repellit, perſequutiones extinguit, puſillanimos conſolatur, magnanimos oblectat, peregrinantes deducit, fluctus mitigat, latrones obſtupefacit, alit pauperes, regit divites, lapſos erigit, cadentes ſuſpendit, ſtantes continet. Oratio murus eſt Fidei, arma & tela noſtra adverſus (6) hominem, qui nos undique obſervat. Itaque numquam inermes incedamus. Die Stationis, nocte (7) Vigiliæ meminerimus. Sub armis orationis ſignum noſtri Imperatoris cuſtodia-

mus,

mus. Tubam Angeli expectemus. Orantes orant etiam Angeli omnes. Orat omnis creatura. Orant pecudes, & feræ, & genua declinant, & egredientes de ſtabulis ac ſpeluncis, ad cœlum non otioſi (8) ore ſuſpiciunt, vibrantes (9) ſpiritu ſuo movere. Sed & aves nunc exurgentes eriguntur ad cœlum, & alarum crucem pro manibus extendunt, & dicunt aliquid, quod oratio videatur. Quid ergo amplius de officio orationis? Etiam ipſe Dominus oravit, cui ſit honor & virtus in ſecula ſeculorum.

ADNOTATIONES.

1. *Et affectu*. Scribendum reor *effectu*, ita enim quæ ſequuntur perſuadent. *Muratorius*.

2. *Omnia nobis impetraturam*. Cum ſuperioribus conjungenda erant hæc verba. Nempe orationem hoſtiam ſpiritalem deducere ad Dei altare debemus, omnia nobis a Deo impetraturam. *Idem*.

3. *Ceterum quanto amplius* &c. Vim & efficaciam Chriſtianæ orationis commendans quorumdam objectiones prævertere videtur, qui miracula per orationem fieri non conſpiciebant, qualia in veteri lege facta accepimus. Reſpondet igitur, non ea quidem ipſa prodigia, ſed alia non minora per orationem Chriſtianis præſtari. Legendum quinimo arbitror *Non roris Angelum dumtaxat* &c.; *ſed etiam patientes* &c. ut ſit ſenſus: Non ea tantum Chriſtianorum precibus miracula impetrantur, quæ Synagoga impetravit; ſed alia etiam majora, quum longe majus prodigium ſit patienter ferre tormenta, quæ ſentiuntur, quam a tormentis liberari. Cui interpretationi conſentire videntur tum ſuperiora, tum ſubſequentia verba, atque exempla. Utcumque tamen e vitioſo Codice conjicere poſſimus, certum eſt a Tertulliano eximia commemorari prodigia, quæ per Chriſtianos orantes e Cœlo impetrabantur. *Idem*.

4. *Non roris Angelum*. Eum Angelum, qui tres pueros, veluti roſcido imbre perfuſos, in fornace ſervavit, *roris Angelum* appellat. Eodem ſcilicet modo aliis Angelis ab aliqua re geſta, aut aliquo munere nomen impoſuit. *Angelum Orationis* ſupra nominavit. *Angelos* matrimonio præpoſitos memorat lib. 2. ad uxor. cap. ultimo. *Angelum Baptiſmi* lib. de Bapt. cap. 5. & 6., & *Angelum*, cui hominis in utero formandi eſt cura, nominat lib. de Anima cap. 37. *Idem*.

5. *Imbrium utilia prohibebat*. Quando heic mendum non lateat, explicare poſſumus, orationem in cauſſa fuiſſe, ne utiles imbres e cœlo in hoſtium arva fluerent. *Idem*.

6. *Adverſus hominem* &c. Hæc revera de Diabolo dicenda erant, qui ſemper *circuit quærens quem devoret*. Sed quo jure *hominem* Tertullianus appellaſſet? De Ethnicis ergo Principibus loqui mihi videtur Auctor, qui nihil non curabant, atque obſervabant, ut Chriſtianorum Reipublicæ nocerent. *Idem*.

7. *Nocte Vigiliæ meminerimus*. Actum agerem, ſi de Vigiliarum in Eccleſia Dei antiquitate mandare literis aliquid vellem. Ad eam tamen lu-

culentius probandam non parum conferet hic Tertulliani locus. Eorum autem confidentiam præterire non poſſum, qui Vigiliarum inſtitutionem ex neceſſitate factam, ac ſervatam tribus primis Eccleſiæ ſeculis ſcribunt; quum enim (ajunt illi) convenire interdiu Chriſtiani non poſſent præ Paganorum timore, hinc factum eſt, ut noctu conventum celebrarent, vigilantes in oratione, & in laudibus divinis. At quid evidentius, quam & diurno tempore ad Eccleſiam coiiſſe Chriſtianos vel ipſis tribus a Chriſto nato ſeculis? Id ſatis probant, quæ de Stationibus breviter ego, fuſius alii adnotarunt. *Idem*.

8. *Non otioſi ore*. Scribendum eſt *non otioſo*, aut *non otioſa*. *Idem*.

9. *Vibrantes*. Si quidem ita ſcripſerit Tertullianus, hoc verbum explicarem hac ratione: conantes ſpiritu ſuo ora ad laudandum Deum, atque orandum movere. *Idem*.

FINIS.

STEPHANARDI DE VICOMERCATO

Ordin. Prædicator.

Poema

De geſtis in Civitate Mediolani
ſub Othone Vicecomite
Archiepiſcopo.

IN STEPHANARDI De Vicomercato

Poema de Geſtis in Civitate Mediolani.

OTHO Vicecomes, cui potiſſimum ſuæ magnitudinis & gloriæ fundamenta debuit illuſtris Vicecomitum familia, ad Archiepiſcopatum Mediolanenſem evectus fuit An. Ch. 1263. Varia fortuna uſus, multiſque laboribus devoratis, ſedem ſuam tamdem An. 1277. & una cum ipſa imperium Mediolanenſis Urbis obtinuit, poſtquam inde Turrianos cedere coegit. Ejus mors in Annum 1292. Gualvaneo Flamma teſte cadit, ſive in 1295. ut Corius in Hiſtoria Mediolanenſi teſtatur, relatis verſibus ejus ſepulcro ſub Johanne Vicecomite Archiepiſcopo inſcriptis. Atque ea ipſa tempora fuere, quibus floruit Stephanardus de Vicomercato, cujus nunc Poema Hiſtoricum damus de rebus geſtis ſub Othone Vicecomite uſque ad memoratum Annum 1277. Scriptori huic Patria Mediolanum, familia de Vicomercato, quæ & nunc inter Mediolanenſes nobilitate ſua conſpicua eſt. Ordini Prædicatorum nomen dedit, atque Othoni Archiepiſcopo carus, inter vivos deſiit eſſe Anno 1297.

Exſtant Mediolani apud PP. Prædicatores Conventus Gratiarum Chronica MSS. Fratris Ambroſii Taegii antiqui Scriptoris, de quo mentionem facit Leander Albertus Lib. IV. de Viris illuſtr. Ord. Præd. Hæc autem ibi ſcripta inveni ad Annum Ch. 1296. *Dominus*

Otto Vicecomes Mediolanenſis Archiepiſcopus præbendam centum Florenorum conſtituit pro Lectore Majoris Eccleſiæ Mediolani, quæ lectio data fuit Fratribus noſtris, & uſque præſens perſeverat. Inſtituit autem dictus Dominus Archiepiſcopus pro Lectore dictæ Eccleſiæ Fratrem Stephanardum de Vicomercato Mediolanenſem, & obtinuit, qui legit Anno uno. Hic fuit in ſeculo honorabilis Clericus, & magnus præbendatus, & doctus, qui compoſuit Chronicam, & Summam Juris Civilis, & multa, quæ ſunt in Bibliotheca Conventus Mediolani D. Euſtorgii. Fuit quoque dicti Domini Archiepiſcopi amiciſſimus ac familiariſſimus. Hæc Taegius, qui & Anno ſequenti commemorat mortem Stephanardi.

Vidi inſuper in Ambroſiana Bibliotheca Tractatum MS. *de irregularitate compilatum per Fratrem Stephanardum Ordinis Prædicatorum.* Ejus etiam nomen occurrit inter teſtes adhibitos in Proceſſu MS. confecto propter cædem S. Petri Martyris Ord. Prædic. cujus fragmentum habetur in eadem Ambroſiana Bibliotheca, a Puricello quoque memoratum. In Notis autem MSS. ad hanc ipſam Hiſtoriam, quam nunc edimus, Stephanardus alium libellum concinnaſſe dicitur Carmine Elegiaco. Ceterum præter Paulum Morigiam Philippus Picinellus in Atheneo Literator. Mediolan. refert a Stephanardo compoſitum *Dialogum de Apprehenſione*, *uti etiam Librum Periarchon Nominum*, *atque itidem Chronicon metricum ſuper Lucam*, quæ numquam vidi. De hoc eodem Auctore videndi Leander Albertus de Vir. illuſtr. Ord. Prædic. Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro, Johannes Jacobus Friſius in Bibliotheca, & laudatus Puricellus in vita Laurentii Littæ pag. 217. ut alios omittam. Frater vero *Gualvaneus de la Flamma* Ordin. Prædic. celebris circiter An. Chr. 1330. Mediolanenſium rerum Hiſtoricus, cujus Opera MSS. adſervantur in memorata Ambroſiana Bibliotheca, ſæpe Stephanardi mentionem facit, cujus etiam verſus ex hac eadem Hiſtoria deſcriptos in *Manipulum Florum* derivavit. Et heic emendandus Paulus Jovius, cujus verba ſunt in Vita Othonis Vicecomitis: *Refert Stephanardus Flamma*,

ma, *qui eam Hiſtoriam conſcripſit* &c. ubi vides cum Gualvaneo Flamma confundi Stephanardum noſtrum, quæ res Gerardum Johannem Voſſium Lib. 2. cap. 62. de Hiſtoricis Latinis in ancipiti poſuit, num alius a *Stephanardo de Vicomercato* foret *Stephanardus ille Flamma*. Sed & ipſe Voſſius deceptus eſt, quum ibi ſcripſit, Manuſcriptum Chronicorum Stephanardi exemplar eſſe apud V. Cl. Laurentium Pignorium, atque inſcribi *Manipulum Florum*; nam Hiſtoria, cui hic titulus, non metrica ſed ſoluta oratione compoſita eſt, & Gualvaneum Flammam, non verò Stephanardum noſtrum, Auctorem habuit, ut oſtendemus, quum ipſum *Manipulum Florum* evulgabimus.

Quod reſtat, Stephanardo neque ingenium, neque eruditio defuerunt; quare ejus Hiſtoriam, quam ex Cod. MS. Bibliothecæ Ambroſianæ Lit. S. num. 35. deſcriptam nunc juris publici facio, non ingratam eruditis futuram puto, quamquam in calce mutilam; neque enim eorum temporum Scriptorem mihi reperias, qui res ſub oculis ſuis in Inſubria geſtas uberius ac fidelius, quam Stephanardus, memoriæ mandarit. Erant in MS. Codice lacunæ quædam, & Notæ in priores verſus, quas retinui. Lectoris autem erit alia emendare, aut ſupplere ſphalmata ex ipſo Codice derivata, quibus inferre manum mihi non placuit.

STEPHANARDI DE VICOMERCATO

Ordinis Prædicatorum

De geſtis in Civitate Mediolani ſub Othone Vicecomite Archiepiſcopo Mediolanenſi

Poema.

Incipit Liber de geſtis in Civitate Mediolani.

AD poſterorum cautelam geſta in Civitate Mediolanenſi tempore Domini Othonis de Vicecomitibus tunc ejuſdem Civitatis Archiepiſcopi, per quem & magna fuerunt peracta negotia, cogitavi ſcribere metricè ad ornamentum operis; metri enim neceſſitas quamdam habet venuſtatem annexam. Nec declinavi a fundamento Hiſtoriæ, licet tantum quædam majora proſequar, omittens minora quam plurima, arbitrans ſingula colligere vanum, & ſine fructu. Aliqua etiam, tam poeticæ quam rhetoricæ artis morem ſequendo, addita ſunt alicubi ornatus cauſa, non tamen veritati derogantia geſtorum. Quoniam vero ex auditu iſta percepi, quæ meo ſunt expleta tempore, nunc me longe diſtante plus forte aliquid, vel minus ad meam devenit notitiam, ideo ſine præjudicio veritatis hæc ſcripta accipiat, qui legerit, quoniam in hoc Opuſculo nec veritati detrahere animus eſt, nec falſitati favere; fidelis enim ſcriptor velut æquus arbiter affectui privato renunciare debet, & ipſis adhærere rebus. Ut autem ſubſequentium intelligentia ſe facilius offerat, proſaica dicendorum brevis explicatio premittitur.

In

In duos enim Libros opus diviſi, quorum primus continet ea, quæ ante conflictus ſunt acta, licet in eo unus conflictus, qui inter Cremonenſes, & Veronenſes fuit in Inſula Fulcherii, breviter percinatur. In ſecundo vero Libro plures deſcribuntur pugnæ, & aliqua etiam pauca, quæ pugnam ultimam ſecuta ſunt, tanguntur. In primo itaque Libro in principio prelibatio totius operis tangitur, cui invocatio, ſeu divini auxilii imploratio annectitur. In primo paragrapho innuitur multiplex commendatio Civitatis Mediolani. In ſecundo paragrapho mutatione facta in pejus multiplex ejus mala conditio exprimitur, & maxime civile diſcidium ex ambitione aliquorum civium ſibi adverſorum, quærentium dominium in Civitate, quorum uni parti militia adhæret, alteri populus. In tertio paragrapho prævalente populo, & ejus duce in Civitate, Cremona fœderatur populo Mediolanenſi, ſed Verona militiæ jungitur, cujus Princeps veniens in militiæ Mediolanenſis ſubſidium, tranſito fluvio Abdua, cito eſt regreſſus, inſequentibus eum Mediolanenſibus, & pugnavit cum Cremonenſibus ei obviantibus, & vulneratus & captus ſuccubuit cum ſuo exercitu. Quo facto militia Mediolanenſis patriis laribus ceſſit, & trans Abduam fluvium fugit, quæ ſtatim redire nitens in Caſtro Tebiago nomine capta fuit, & in duro carcere recluſa. Qui autem Caſtrum non intraverunt, ad loca ſeceſſerunt diverſa. In quarto paragrapho deſcribitur gemitus eorum, qui capti fuerunt. In quinto paragrapho ponitur querela Actoris hujus operis ſuper ſui generis ruina. In ſexto paragrapho dicitur, quomodo vacante Sede Metropolitana Dominus Otho de Vicecomitibus Civis Mediolanenſis a Papa Urbano IV., duobus aliis excluſis, Eccleſiæ præficitur. Quo facto Prætor populi Dominus in Civitate Mediolani, dolens de ſui fratris amotione, Caſtra, & poſſeſſiones Archiepiſcopatus invadit. Sed dictus Dominus Otho Archiepiſcopus creatus jura repetit Eccleſiæ ſuæ a Papa Clemente IV. qui ſucceſſit Urbano, qui etiam multum fervens fuit pro reſtitutione facienda, & occu-

occupatores coram ſe citat. In ſeptimo paragrapho præfati Clementis ſublimatio a ſorore carnali prophetice prævisa, & eidem prædicta, cum recommendatione Ordinis Fratrum Predicatorum, cui devota erat, inſeritur. In octavo paragrapho Legatos de Mediolano veniſſe ad Papam Clementem docetur, qui & licentiavit eoſdem; niſi primo parere jurarent; qui hoc recuſantes vadunt ad Regem Karolum Dominum Apuliæ, qui ad eorum preces Legatum miſit, qui pro eis intercederet apud Papam. Ipſi vero cum Legato Regis redeuntes a Domino Papa ſunt recepti, & audientia eſt eiſdem conceſſa. In nono paragrapho ponitur Oratio Legati Regis pro Mediolanenſibus. In decimo paragrapho Oratio Legati Communis Mediolani, & iſti duo contra Dominum Archiepiſcopum, & proſcriptos de Mediolano loquuntur, quorum primus breviter ſe expedit, ſed ſecundus prolixe obloquitur de eiſdem. In undecimo texitur Oratio Domini Archiepiſcopi, qui maxime intendit excuſationi ſuæ, & proſcriptorum, & aliqualiter contra Cives etiam de Mediolano aliqua allegat. In duodecimo paragrapho Oratio habetur Legati proſcriptorum, qui maximè Cives de Mediolano accuſat, & excuſat proſcriptos. In decimo tertio paragrapho dicitur, quomodo concionibus quatuor præfatis coram Papa, & Cardinalibus recitatis, Dominus Papa non revocat ſententias excommunicationis, & interdicti latas in Civitatem Mediolanenſem, niſi Legati Communis Mediolani jurent obedire, qui cognita conſtantia Papæ juraverunt, & redierunt Mediolanum. In decimo quarto paragrapho ſubinfertur, quomodo Legatus Papæ ſequitur Legatos redeuntes, qui veniens Mediolanum coram Civibus proponit mandata Papæ, quæ recepta fuerunt, & juramenta obedientiæ patrantur a Civibus per plateas. In decimo quinto paragrapho ponitur Oratio Legati Domini Papæ in Conſilio generali recitata, in qua hortatur Cives ad amorem, & obedientiam Eccleſiæ, eos mirè laudans, & recipit juramenta, & relaxat omnes ſententias in Commune Mediolani latas, & omnia jura Eccleſiæ Mediolanen-

nenſis repetit, & recipit Domini Archiepiſcopi nomine.

LIBER II.

IN ſecundo Libro multa deſcribuntur bella. In primo paragrapho agitur de repullulatione iræ primatum Civitatis Mediolanenſis contra Dominum Archiepiſcopum, & contra eum injuſto Statuto edito, cum iret per Placentiam Lugdunum ad Concilium generale ſequens Papam Gregorium, qui Archiepiſcopus in reditu ſtetit Bugellæ in Diœceſi Vercellenſi, quia Papa rediens per Mediolanum noluit, quod cum eo veniret. In ſecundo paragrapho narratur, quod Archiepiſcopo ſtante Bugellæ Comes Guifredus de Languſco, Poteſtas Proſcriptorum, invaſit cum proſcriptis militibus Caſtrum Seprii, & arcem Engleriæ cum Burgo, & deſcriptio continetur Caſtri Seprii, & Engleriæ, & arcis ejus, & de exitu Civium Mediolanenſium contra dictum Comitem, & conflictu facto juxta fluvium Guaſſam nomine, in quo conflictu Comes & multi de militibus proſcriptis occiſi fuerunt, & alii in fugam converſi, & multi capitis ſententia plexi. In tertio paragrapho agitur de exhortatione, quam proſcripti milites faciunt Archiepiſcopo, ut veniat, & ei eorum Principem eſſe placeat, & de reſponſione Archiepiſcopi, & adventu ejus in Novariam, & inde in Caſtrum Seprii, & de exitu Mediolanenſium contra Archiepiſcopum, & expugnatione Caſtri, & de repulſa, & ſuga Civium, & de fuga tandem Archiepiſcopi, & ſuorum in Cumas, & inde in Zuriugum. In quarto paragrapho agitur de adventu Archiepiſcopi de Zuriugo in Canobium, & de præparatione claſſis contra hoſtes, & de bello navali habito juxta Zerminagam in Lacu Majori, & de victoria Archiepiſcopi, & ſuorum, & eorum reditu ad Archiepiſcopum. In quinto paragrapho habetur de reparatione adhuc belli navalis, & de miſſione Symeonis de Locarno, quem Ducem fecit exercitus ad obſidionem Aronæ, & de adventu Domini Marchionis Montisferrati, & Novarienſium, & militum proſcriptorum, & Papienſium ad obſidionem eandem,

dem, his obſidentibus ex parte terræ, & Symeone ex parte Lacus, & de ſubita fuga Domini Marchionis, & exercitus ejus & Symeonis, & exercitus ejus ad adventum, ſeu ſuccurſum Civium Mediolanenſium, qui his, qui in Caſtro Aronæ erant obſeſſi, ſuccurrebant, & de ſpoliatione, quam fecerunt obſeſſi egredientes poſt hoſtes, & receſſu Symeonis ab obſidione, quæ erat ex parte Laci, & reditu Caſtrorum, & Locorum ad Civitatem, quæ rebellaverant, & item de intentione Symeonis, & ſtudio ad bellum campeſtre, qui in navali ſuccubuit cedendo ab Arona, & de exhortatione Archiepiſcopi, quam facit ad ſocios ſuos proſcriptos deſolatos ex fuga. In ſexto paragrapho recitatur de reditu Archiepiſcopi cum militibus proſcriptis in Novariam, & de ejus ſtudio iterum ad reditum in patriam ſuam, & de lite orta in Cumis, & bello civili Cumano, & victoria partis Archiepiſcopi. In ſeptimo paragrapho de introitu Archiepiſcopi in Cumas, & de ſubſidio ei a multis partibus veniente, de invaſione plurium locorum Diœceſis Mediolanenſis a Comite Ricardo facta, Duce militum proſcriptorum conſtituto, de ipſius Comitis reditu in Cumas, & de adventu ejus cum Archiepiſcopo in Deſium, & de prœlio ibi facto, & victoria ibi obtenta, & captione hoſtium. In octavo paragrapho de exhortatione, & Oratione, quam fecit Dominus Archiepiſcopus in introitu Civitatis poſt victoriam. In nono paragrapho de introitu ipſo in Civitatem, & lætitia Civium, quam oſtenderunt exeuntes obviam Domino Archiepiſcopo. In decimo paragrapho agitur de quadam exclamatione contra inſtabilitatem fortunæ, & commendationem virtutis, quæ caducis non innititur, ſed ſemper manet. In duodecimo deſcribitur laus virtuoſi, ſcilicet Johannis Baptiſtæ, qui fortunæ non innitens, ſed virtuti vivit adhuc in laudabili memoria hominum, & Herodes habitus eſt reprobus. Et hæc deſcriptio facta eſt per metrum Jambicum, quod maxime laudi convenit. Ultimo imponitur ſilentium ipſi Calliopæ, ut deſiſtat, & gratias referat, cujus ope hoc opus eſt expletum.

Inci-

Incipit liber de geſtis
IN CIVITATE MEDIOLANI

Editus a Fratre

STEPHANARDO DE VICOMERCATO

De Ordine Fratrum Prædicatorum.

METropolis lacrymas, civilis prœlia litis,
Præſulis exilium dubium cedentis in orbem,
Militię reducis partum mucrone triumphum,
Diva refer. Rupes vati Pegaſea faveto.
Heroicis cedant Elegi, quia ſata relinquo
In patrios bacchata lares. Nunc geſta ſuperſunt
Mæonio pangenda metro. Pete Muſa ſuperni
Numinis afflatum, vires aſpiret amicas
Quod metro: fient & ſic cudenda labori
Pervia, Pierius percurret & obice moto
Ardor opus, litus contingent vela ſecundo
Flamine, pigra manus celerem vertetur in uſum.
Heroibus pollet populi fœcunda potentis
Urbs nota, & felix, longoque celebris ab ævo
Imperii quondam ſedes, ac æmula juris,
Lanea ſus medio, quam prætulit eſſe futuram
Miram, viſa loco, quo ſtructor mœnia jecit,
Nactaque prodigio eſt divino nomen ab ipſo.
Ipſo ſive ſitu medio amnum condita, dives
Quin etiam ſcatebris arentes irrigat agros
Jugibus, ut gratos ſic dent pro gramine flores,

Heroicis, ideſt metris Hexametris, qu e ſunt de Geſtis Nobilium, *Cedant Elegi*, ideſt metra Hexametra, & Pentametra, quæ ſunt de miſeria, quæ Actor hujus operis fecit in alio libello.

Lanea. ſicut dicit Iſidorus Orig. lib. 15 in loco, quo Mediolanū, erat conſtruendum, apparuit ſus medio lanea, ex quo prodigio, quod apparuit, Civitas eſt dicta Mediolanum. *Ipſo ſive*, vel dicitur Mediolanū, quia eſt in medio duorum amnium, ſcilicet Ticini, & Abduæ ſita.

Deliciis miranda ſuis hæc plena decoris.
Hanc tenuit forti Gallorum Marte juventus,
Tuſcis deletis, patriis prius ipſa fugata
Sedibus, haud patiens fraterni pondera belli.
Urbs honor Italiæ, Liguriſque potentia ſævi,
Ambroſii decorata fuit fulgoribus almis,
Juſtitiæ fomes, cœleſti ſedula cultu;
Conſilii radios Latium diffundit in omne,
Urbibus & reliquis ſolita eſt præbere ducatum.
Prudentem, ingentes & opes effundere ſumptu
Magnifico, cujus victricia ſigna rebelles
Auditis tremuere minis, aciemque coruſcam
Armis innumero conſertam milite florens.

Tuſcis deletis ſecundum Iſidorum Galli propter diſcidium habitum inter ſe quidam expulſi venerunt Mediolanum, & expulſis Tuſcis, quos ibi invenerunt, habitaverunt ibidem.

Urbibus, ideſt ex Mediolanenſibus multi ſolent eligi in Poteſtates.

§. I.

Aſt in ea fervent civilia jurgia, ſævit
Nuper livor edax, tractant privata Coloni,
Et neglecta perit res publica, jura Tribuni
Eſſe putant facinus, exlex regnatque voluntas.
Succumbit ratio, cædes viget, atque rapina.
Juſtitium infelix Urbis dominatur in aula,
Diripit ambitio immeritos temeraria faſces,
Gurges avaritiæ nullo ſatiabilis hauſtu
Fundamenta quatit; titubant hinc mœnia, caſum
Inclinata gravem quaſi jam ruitura minantur.
Importuna ſitis, quamvis ſe proluat auro
Toto, ſemper avet; diſcrimina nulla veretur
Gloria dulce malum; dominandi ſæva cupido
Ad prærupta ſuos cives rapit, ardor ad ima
Præcipites quos ſæpe facit lugubris honoris.
Liber adeſt aditus ſceleri, correptio cedit,
Corruit excuſſo ſuperum reverentia collo,
Conſilium periit, ſuus eſt dementia princeps;
Vix ibi quid tutum eſt, ſedes Aſtræa ſupernas
Secedens petiit; fraudes ſubiere, tumores.
Nulla fides veterum fidei, ſucceſſit & atrox

Infræ-

Infrænisque loco priſci moderaminis ira.
Delituere ſacræ leges, & jura, patrumque
Abſtulit infelix claros oblivio mores.
Te ſuper adduxit vecors inimicaque pacis
Ambitio cladem, populi quæſita poteſtas,
Quam quoque civili plures petiere tumultu.
Vix verum patitur conſors conſortis honores:
Hinc Urbs concutitur, hinc bellis acta tabeſcit,
Dantur & adverſis ducibus confinia juſſis
Contemptis; repetit populi ſed mœnia Prætor
Feſtinus, vicoſque capit, non obviat ullus.

Dantur. Nam capita partium fuerunt extra Civitatem miſſa. Sed qui erat Prætor ſeu Dominus populi rediit ad Civitatem non obſervato mandato Communitatis & cepit Urbem.

§. II.

Arma ſilent, ſibimet Cremonam fœdere junxit;
Militiæ Verona favet, dominuſque vocatur
Ipſius, ad litem civilem milite ſeptus,
Metropolis qui invaſit agros. Concuſſa pavore
Corda tremunt Ligurum; vires animumque reſumunt
At Cives, acies ut norunt eſſe paratas,
Fulgentemque armis celeri ſuccurrere greſſu
Cremonam, arma petunt, egreſſi bella minantur.
Metropoli ſed terga dedit Verona ſequenti.
Cremonæ occurrit venienti; pila cohortes
Miſcent oppoſitæ; ceſſit Verona, fugaque
Spem, Duce percuſſo, ſola poſuere ſalutis.
Non etenim dudum eſt cunctatum, Principe capto.
Confractas acies ut miles vidit amicas
Metropolis, gratam gemebundus deſerit Urbem,
Non hoſtile ferens robur, ſeceſſit & ultro
Ædibus a patriis, lacualem tranſiit amnem,
Abdua cui nomen: conatur protinus inde
Ad reditum; ſed fata vetant. Capiuntur in arce
Nomine Tebiago plures, quæ prominet undis
Lambri. Nobilium poſt prœlia dura ligatos
Plauſtra vehunt milites, clauduntur carcere duro;
Ignotas reliquos fatum diviſit in oras.

 Nec

Nec ſævire ferox ac implacabile ſemper
Ut cœpit miſeris, ſed nec deſiſtere novit,
Ni tandem innumeris craſſato cædibus enſe.
Gaudent victores, mœror perfundit amicos
Vinctorum, triſtes lacrymæ delubra frequentant
Liminibus devota ſacris, ac oſcula fundunt
Inſontes animi. Nunc illic pectora fundunt,
Flectunt inde genu, nec immerguntur ad aras;
Pulſant vota Deos, & munera templa coronant;
Gaudia ceſſarunt miſeris annalia fatis,
Læta juventutis jam non conſortia florent,
Horrida mutata eſt jam ſerica veſtis in arma,
Prœlia pro ludo fraterna parantur equeſtri,
Milites occidit mutuæ jam ſplendor atroces
Gratus amicitiæ patrii ſomenta gemendi
Excidii; ceſſant jam Symbola; luctus in ædes
Funditur, ac riſus lugubri fugit ab ore.
In te flagrantem pinum dejecit Erynnis,
Jamque Megera ſuæ demens nec immemor artis
Hoſpes adeſt animi priſci furata rigorem,
Inde litigioſos vomuit clamoſa tumultus,
Tiſiphoneque tuis ululavit mœnibus ultrix.
Impia bacchatur nullo ſatiata cruore,
Implevit laniata comas gemebunda theatra
Flebilis Alecto. Turbantis Regna cometis
Sidus ſigna dedit caudam fundentis ad Auſtrum
Axe ſub Arctoo viſum, nam cladis amaræ
Parte vel occidua micuit quod nuper Ibero
Se mergens pelago, fumumque effudit Eois,
Prodigium majoris erat ſtragiſque futuræ.
Patria proh miſerum læſiſti vulnere grandi
Vatem, conſpicuum quem fecit ſæva ruina;
Exitio nam fama ſuo fit notior ejus;
Fulmineo nomen Capanei civit ut ictu,
Progenies facta eſt ſic hujus fabula vulgi,
Et pro cæde ſua lucrum ſuſcepit honoris,
Flebilis in læto patruelis flore juventus
Languit, ac geminos hinc tu ſolatia fratres

Cara

Cara recidiſti. Probitas ornaverat ambos,
Arridebat eis fallax fortuna, deditque
Præcipites, duro conſumpſit carcere. Cædit
Semper ſucceſſus injuſto vulnere, livor
Sævior exarſit poſtremo patre perempto
Jam ſene, quem mœror, quem jam confecerat ævum,
Longaque pauperies, quem triſte fugarat in urbes
Fatum, judicium quem tandem perculit atrox.
Cur in tam miſeram gladium ſævire ſenectam
Non puduit? Canos heu non miſeratio juvit,
Non antiquus amor patriæ, non ſudor amicæ
Militiæ exhibitus & juvenilibus armis,
Infauſto nam nulla ſeni ſuffragia proſunt.
Spiritus æthereas cujus ſubvectus in auras.
Luciferas præſtante Deo conſcenderat ædes.
Ultima fortunæ non ſit ſententia concors,
Dii faciant fato felici triſtia cedant,
Interea Divo cum ſedes alma vacaret
Metropolis, natu clarus ſuſcepit honorem
Otho, flamineum quem prætulit Aula duobus
Electis; ſacris præfecit faſcibus ipſum
Urbanus, qui tunc faſtigia ſumma tenebat
Eccleſiæ. Præceps heic laxis fertur habenis
Ira potens Urbis Prætoris, & occupat agros
Protinus Eccleſiæ. Fit vis, menſuraque juris
Præſuleum pro fratre ſuo, culmenque negatum
Quærit, ſed votis obſtat conſtantia Patrum.
Invaſas Antiſtes opes, fructuſque refundi
Otho petit raptos ſupplex. A ſede citantur
Metropolis Cives, Quartus parereque juſſit
Clemens, juſtitia percinctus, fata ſynedris
Quem poſuere ſacris, quem juſti ſecta Catonis
Extulit, huicque fidem faciunt reſponſa futuri
Numinis. Alma ſoror, ſtudiis intenta ſupernis,
Hæc quæ viſa refert; Fratrem vocat illa laborans
Extremo languore ſuum: Sermone reconde,
Inquit, quæ didici quondam luſtrata ſuperni
Luminis afflatu, longo celata ſed ævo.

Conſilium cœleſte quidem reverentia ſervat
Interdum, fortaſſe ſuo ne vileat uſu;
At tumulis tandem non id cum funere claudit,
Ne pereat divinus honos. Faſtigia, frater,
Te complura manent; virtus te famaque faſces
Efferet ad lætos; conſcendes alta per almos
Ipſe gradus, mores pariter cum numine creſcent;
Virtutiſque datos ſtudio complebis honores.
Ordo tibi bicolor doctrinæ ſemina ſpargens
Divæ carus erit. Superis hic ſedulus offert
Obſequium gratum; cœleſtia lumina vidi
Deſcendiſſe polo, ſubito luſtraſſeque ſanctum
Ignem Cœlicolas, ac ipſos eſſe probatos
Oſtendit famulos, & amoris plena calore
Almi divorum ferventia pectora Fratrum.
Phœbus & occiduas cum jam contingeret undas,
Lucis adhuc terris ſplendore ſuperſtite, cum jam
Antiphonam devota cohors cantaret in unum
Virginis excelſæ, ſolito de more ſalutans
Chriſtiferam Cœli Reginam plebis aſylum,
Alma Dei genetrix coram me ſubſtitit, inquit:
A pedibus noſtris diſcedere filia noli,
Inde chorum laudes luſtravit utrumque canentem,
Cuilibet inclinans, ſancti reverenter amoris
Signa dat, & placide demiſſo vertice laudis
Cantica dant Fratres, & vocibus æthera pulſant;
Inclinata caput grates & Virgo rependit.
Singulus antidotum jubilans accepit honoris
Exhibiti, dum ſic pia Mater viſitat omnes.
Denique maturo greſſu proceſſit ad aram,
Et delata ſtetit pauliſper lumina juxta;
Mox ſubito ſedes petiit feſtina ſupernas,
Quam ſequor affectu mira dulcedine fuſo.
Viſio cœleſtis triduo me fovit eadem
Hora, Virgineam curam teſtata Deique
Erga Cœlicolas locupletes munere Divum.
Ut pater his aderis, jugique fovebis amore
Illos, hos ſerva, numquam fiducia deſit

His

His tua, jamdudum ſincero pectore ſovi
Quos ego. cum cara ſit idem tibi velle ſorore.
Hæc germana tulit, mox jam non fata morantur
Prævisas offerre viro cœleſtia Sedes.
Claviger aſſumptus nutu non jura ſuperno
Non munire poteſt, non impugnare rebelles;
Quem ratio, quem lexque regit, naturaque format
Ipſa rei; privatus amor, fortunaque cedit.
Nam nec honor, nec opes, nec vota domeſtica juſti
Judicium evertunt, caris amplexibus hæret
Qui quoque juſtitiæ, puro quam prætulit auro.
Urbis Legati veniunt ad limina miſſi ....
Judicis ætherei, qui ſunt a Sede repulſi,
Ni parere velint; renuunt ſed juſſa penatum.
Sceptra petunt Caroli, quærunt Regiſque favorem.
Regia Majeſtas miſit, qui numina flectat,
Legatum. Rediere ſimul, petiere ſynedras,
In quibus ima regens reſidet Clementia Præſul.
Jam datur acceſſus, permiſſa licentia fandi eſt,
Non conceſſa prius, tunc .... luce ſtatuta
Convocat Antiſtes claros ad ſceptra penates.
Conſedere patres . . . .
Eminet æthereus. Caroli ſic nuncius orſus
Hæc ait: O mundi Sol Clemens, voſque verendi
Patres, prima quibus funduntur lumina Phœbi,
Aures contingat brevis hæc oratio ſacras.
Sidera Phœbæis radiis perfuſa ſuperno
Infima vivificant dono, diſtincta per almos
Sic apicis probitas proceres hunc confovet orbem.
Urbi vos igitur veſtræ conferte fideli
Præſidium, ſuperi doni ne ſola ſit expers.
Gratia præcellens, ac indelebilis ullo
Tempore, mente Patrum vivat, quam Sede jubente
Prona tulit parens dilectæ filia matri.
Nonne vias Regi gratas ad juſſa paravit
Pontificis, multi diſcriminis immemor, unde
Contigit Eccleſiæ libertas? Apula Regna
E manibus direpta Ducis, ſunt reddita....

Ita-

Italiæ quæſita togâ eſt, hæc ſola ſuperſtes
Subjiciet Ligures aulæ, ſervireque coget.
Non bene Metropolis gladios in viſcera mergens
Propria nobilitas ..... cum ſigna tyranni
Erigere in tanta vult formidabilis urbe,
Othoque præficitur cur Præſul ſanguinis alti
Sit licet invito populo, qui nominis extat
Tanti, pro Superis qui ſemper tanta peregit:
Vota preceſque Ducis ſacris infundo potentis
Numinibus coram; Divæ Clementia Sedis
Metropolis precibus faveat, qui promptus in omni
Re parere ..... vobis eſt, hocque placebit * illi,
Quod ſemper ...... decreverit alma poteſtas,!
Dum non poſſe neget ſors, cui eſt velle paratum
Veſtrum juſſa dari Caroli complere peroptat
Sedes, cui numquam deerit fiducia Regis.
Hæc ait, & precibus dimiſſo vertice ſedit.
Alter Metropoli ſic fatur miſſus ab ipſa:
Orbis apex, cui aſtra favent, quem terra veretur,
Almi voſque Patres, conſortes culminis alti,
Vera loquar, patiens dignatio præbeat auſum.
Longa quidem ſeries brevibus conferta patere
Neſcit, cura tamen reſecare ſuperflua ſolers
Nunc erit, o Superi, nar ....,
Metropolis Ligurum, clarum cui nomen ab ævo
Multo, Numinibus ſacris quæ ſemper adhæſit,
Sit memor aula potens, quantos eſt paſſa labores.
Hoſtibus Eccleſiæ conſtanti lite rebellis
Quondam dira tulit, priſco quaſſataque numquam
Deſtitit a voto, nec enim olim matris amorem
Deſeruit, majora pati pro jure tuendo
Eccleſiæ, numquam vitabit damna, ſed una
Vobiſcum gaudere cupit, ſentireque dira.
Sors ſemper communis erit, nec habere putaret
Lætos ſucceſſus, ſi Numina diva jacerent.
Juſſa libens explet Superum, decretaque ſervat,
Ut juſſere Patres. Gallorum nonne maniplis
Pandit iter Sicula petentum Regna, periclum
Con-

Contempſitque ſuum , quo fata dedere triumphum?
Nos moveatque fides vos quædam pacta tyranno
In propriam citius naturam ficta redivit
Fœdere qu.. rupto patrium revocavit amorem,
Non oblita ſui moris compulſa voluntas,
Cum licet uſque ſtatum repetit natura vetuſtum
In ſcelus inviſum , nam nos timor impulit ingens
Civibus infandis reliqui cum dextra tyranni
Se junxit, Syllam, nec non ſuperaſſe Neronem
Sanguine qui fertur, ferro deſævit iniquo.
Hic pietatis inops, urbes populatus, & ipſas
Ingreſſus metas noſtræ regionis, ut Urbis
Mœnia non modico tremerent concuſſa pavore,
Speravit populos Ligures viciſſe ſubacto
Robore Metropolis. Fuit obvia Cœlica virtus
Illi, libertas ne tunc Lombarda periret
Vulnere. Roma metus tanti non languuit olim,
Vicinas Pœnus tranſcendit ut Annibal Alpes,
Innumero ſeptus plena tyrone cohorte,
Cæſar ut Heſperiis tumidus conſedit in arvis
Agmine Gallorum comitatus in arma furente
Nobilis Urbs quanti ſubito percuſſa . . . .
Internis excita dolis, nam vulnus amicum
Plena pericla parit, ſemper lethalius hærens.
In patrias leges... Cives arte profani
Commiſere ſcelus veſani mente parentes
Arſuras in tecta faces, patriamque lareſque
Igniferi dum castra viri ſummeque rebellis
Aulæ conducunt, nam nulla piacula poſcent
Hoc debere nefas ſuperat genus omne rigoris,
Non privata petunt hi, dum nituntur in Urbe
Tanta devicto ſoli regnare Senatu, ...
Non ſatis id facinus juncti voluere tyranno,
Quem quoque reppulimus ſceleri connectere....
Tam pravos venia quis dignos judicet auſus?
Crimina quid tanta ..... meruere penates?
In patrios agros jurata quis arma fovebit?
Excidium civile pium ſed cenſuit eſſe

Ambro-

Ambroſii Succeſſor, opum, non Urbis amator
Natalis veterum non degener ipſe ſuorum.
Illius in patrias ſemper conata ruinas
Eſt quoque progenies; damnato milite fultus
Nuper & ipſe ruit civilia fuſus in arma.
Arma ſacræ movere manus, non faſcibus apta
Nempe ſuis, ipſi maculam fuditque parentum
Impietas, potuit merito qua a Sede repelli.
Infames nec honor ..... cum vota ſororis
Eccleſiæ junxit comiti fideique rebelli:
Hinc exoſa dati plebs numen Præſulis horret
Ipſius adventum, potius paſtore carere
Quæ cupit, hoſtili quam ſe ſupponere curæ.
Nobilitas patriæ tutrix, fortuna ſuperno
Cui favit juſſu, ſuperumque intenta favori,
Zelatrix Fidei, quæ debet munera tantis
Sumere pro meritis Patres? Meruitne repelli
A pedibus ſanctis? propelli tamque ſevero
Divorum gladio? merces hæc debita tantis
Ergo viris? veteri patriæ, fideique, Deumque
Pro cultu meritum numquid debebitur ingens?
Serpſerit incautus licet illis error, at ipſi
Verberibus poni patientia terga parantes
Ut libet a matris numquam vellentur honore.
Hæc ubi ſic fatus ſedit Legatus, utrinque
Inconcuſſa fides, alternaque murmura certant,
Majeſtas immota ſilet, ſed fata recondit
Pectore cœleſti. Mox ſupplex Otho ſedili
Aſtitit Antiſtes veneranda voce penates
Alloquitur ſacros: Vos, orbis lumina, clari,
Inquit, & in varios nutantis regula mundi
Caſus juſtitiæ, fautores lora . . . .
In præceps hominum ſermones exulis almæ
Suſcipiant aures, affectu condita ſemper
Urbs nativa fuit tenero, communis honorque
Eſtque dolor, cujus tantum mea portio major.
Hoc caput o utinam civiles tollere clades
Damnatum poſſet, totius vulnera litis

Exci-

Exciperem lætus, ſedarem jurgia cari
Ipſe libens populi juguli finita cruore
Devoti; data non hæc ſors, injuria ſaltem
Nulla fuit, quis ſit læſus niſi forte
Non placuere mihi cædes, nec mœnia quondam
Libera tam multis dominis ſervire, carebit
Quod numquam livore truci, qui ſemina belli
Profert civilis, ſemper merſere potentes
Quæ populos; degit nam Principe tuta ſub uno
Urbs omnis; ſi forte biceps, diſciſſa fatiſcit.
Nutat in oppoſitos odio ſuccenſa tumultus
Civili, caſum citius triſtemque minatur.
Hinc odiſſe feror recte patriam ne, ſalutem
Cujus ego totis amplector viribus exul?
Quid genus? Urbis onus noſtræ ſi forte petatur
In teſtem, non plus ipſam delator amabit,
Non aliud mihi crimen erit, niſi forte quod olim
Paruerim Sedi, captis ut faſcibus audax
Judicer oblatis. Veniam concedite Patres,
Si qua tacenda loquor; potius me noſcite læſum;
Cum petitur venerandus apex precibuſque miniſque,
Aulaque diſſentit juris vallata vigore,
Præſul & inſtituor per Sedem, protinus ipſos
Invadunt fructus, inhibent & nomen honoris.
Poſt modo ſanguineas inhiant immittere palmas
In patrem, conceſſa mihi cum miſſus ab almo
Jura peto ſolio, nam ſpes irritat honoris
Irrita quæſiti livorem. Bella parantur,
Impigre caſtra ſtruunt celeres, invador & ipſe
Præſul. In Arona confligunt faſque nefaſque.
Heu fas ſuccubuit, quotiens Aſtræa ruinam
Suſtinet, & numquam cedit quæ more reſurgit
Antæi, perpes ſucciſum pullulat ejus
Germen, & in frondes ſuccreſcere novit.
Denique conveniunt patres, caſtrumque reliqui
Conceſſum, mediat fœdus, quia ſedula certat
Impietas auro ferroque, ſed acrius auro;
Nam foris inſultus, intus ſed munera pugnant.

Erui-

Eruitur Caſtrum, mox Oppida cetera ſtrage
Eccleſiæ celeri ſternuntur funditus, uno
Servato colubris, idem non incola novit.
Non arſere meis patrii popularibus agri;
Non in damna rui prædo; mea jura petebam.
Hæc grandis mea culpa fuit, quod ſolus inermis
Non veni, fauces hoſtiles ſanguine fuſo
Ut ſic implerem. Quid ſi vicina renitens
In juga Nobilitas dudum fugitiva per orbem,
Conjugibus natiſque ſuis compaſſa volebat
Ad proprium remeare ſolum, num luctus eorum
Perpes erit? Crimen pęniſne piabitur umquam?
Sola quidem manuum neſcit damnatio finem.
Acer inextinctos cives heu prœlia tandem
Movit delator, fidei quos tramite lapſos
Aſſerit. Eſt teſtis, quæ matrem condidit, urna,
Quod poſtrema ſuæ concluſit tempora vitæ
Relligio. Sed ego teſtis pro patre fideli.
Non fuit errori quondam germana ſceleſto
Tradita? ſed generi claro ſine labe favoris.
Non fuit in patrem tantum violenta poteſtas?
Quin in ſumma tumet. Subjecto nonne gygantum
Terrarum ſpatio terris veſtigia tentat
Impugnare poli? ſed tanto corruit auſu.
Proh ſcelus, o ſuperi, ſimili num ſtrage carebit?
Det pœnas meritas, veſania plexa rigorem
Sentiat æthereum, ſimilis ne prodeat error.
Libera quæ totum currunt reſcripta per orbem,
Non audent intrare ſuam quondamque fidelem
Metropolim; quid enim perhibent edicta potentum?
Eccleſiæ ſpoliantur opes, exactio crebra
Nempe gravat Clerum, libertas debita ceſſit,
Afflixere pedes Clericorum pondera ferri.
Sermones cuperet longos injuria grandis,
Pauca ſed ex gravida ſatis hæc ſint edita mole;
Colligat ex ſerie prudentia diva minori
Preſſuras reliquas. Miſeram defendite cauſam
Exulis, o Patres; auſus compeſcite diros.

Vulne-

Vulnera fortunæ veſtrum eſt injuſta mederi.
Hæc ait, & Patrum eſt ardor ſuccenſus ad almi
Præſulis auxilium, prolataque crimina damnat.
Ultima proſcripti ratio eſt, quo ſtante rogavit
Orandi ſpatium: Tutum clementia reddit
Me Clemens, inquit, quamquam pavor irruat artus,
Me tantis adſtante viris. Expreſſit amorem
Urbis non totum, quem ſemper geſſit ad aulam;
Oppoſitus ſermo, potuit nam plura referre.
Audeo ſic fari, quoniam non ultima verax
Pars eſt ſermonis. Clades exercuit unquam
Quis tam ferales dilecta Civis in Urbe?
Aures nam veſtræ nuper ſtupuere penates
Cædibus auditis, quæ Ditis ſemina, Cœlum
Quas pavet, & tellus, quas commiſere parentes
Urbis in interitum, & Regalis dedecus aulæ.
O furor infelix, o quanta licentia diri
Auſus immites violant ſacra, juraque calcant,
Publica res premitur, communia commoda vertunt
In proprios uſus, Clerique invaditur arvum.
Concives vellens caret obice ſæva voluntas,
Ædificant turres alienis ſumtibus altas,
Diripiunt & opes plebejo robore fulti,
Lucra volunt ſoli, reliquis at damna refundunt;
Conſortes renuunt, ſoli dominantur, honores
Uſurpant ſoli, veteres bacchantur in urbis
Fautores, alios cogunt exire paternis
Ædibus, ac alios recludunt carcere tetro.
Exitii crudele genus, cum vita negatur,
Et mors tarda venit, nam tetra vorago colonos
Affligit miſeros, dum lumen & aera tollit,
Publica dona viris etiam conceſſa nefandis,
Quod tegit obſequium vivos crudele ſepulcrum.
O ſtygiæ feritatis imago, ſtipendia p. . . . .
Proſcriptis opibus, nequeunt quæ reddere cogunt.
Solvere captivos, prohibentque cibaria vinctis;
Non licet & caris accedere; longa miniſtrat
Chorda dapes; fertur fuſo quandoque veneno;

Purga-

Purgamenta vetat feces, miſerabile dictu,
Naribus infeſtas emitti carcere fœdo.
Heu miſeris vitæ ſolatia cuncta negantur,
Lætitiæque loco ſpes mortis ſola relicta
Eſt ipſis, dulcem quam fecit carceris horror.
Hoc habet infelix oppreſſio muneris, atrum
Ne metuat funus, præſentes deſerit auras
Uſque libens, experſque metus. Hoc culmine gaudet
Longa nimis ſeries, ... ingerat auribus almis
Tœdia, materia eſt grandis noſcendaque vobis,
Qui ſcelerum juſta libratis pondera lance.
Curribus imponunt eductos carcere demum
Innocuos, luctus plenam vectantur ad Urbem.
Tempore quid longo miſeri meruere ſepulti?
Murmurat hinc gemitus, lacrimis ora inde rigantur,
Mœſta dies tanti maculam polluta rigoris;
Corda pavent, nullique audent obſiſtere cædi.
Attamen inducti populo ceſſere tribuni,
Ne tribuat tanto ſceleri præſentia robur.
Vota metus reprimit, conducunt æra ſceleſtos
Ac odium ſpeciale, daturque licentia ferro,
Curritur ad facinus, vibratur mucro, bipennis
Illinc exeritur, plauſtrique in fruſta ſecantur.
Murmura non reſonant, non eſt audita querela,
Seu vox, fata manent taciti poſtrema, nec ictus
Declinant, gladiis ultro quin colla furori
Nuda parant, nec enim revocans miſeratio ferrum,
Excipiunt animo patiente volantia tela.
Impetitur facies, hinc cervix, indeque vertex,
Hinc feriunt guttur, illinc at brachia frangunt.
Servato nullo fit ſævior ordine cædes,
Victa jacet pietas, ſtatuunt ferale macellum.
Funera quinque quidem decies & quatuor una
Occubuere truci primatum cæſa furore,
Quorum diva duos a mortis faucibus atræ
Sors rapuit, cladis teſtes, & ſigna ſceleſtæ.
Alter ego quorum, quem cernitis, alta reduxit
Exanimem virtus ad vitam, ſæva referrem

Hæc mox ut vobis , quibus eſt commiſſa ſuperni
Judicii cenſura , ſcelus ne impune lateret.
Sanguine nobilium diffuſo terra madeſcens
Lubricat , & rivi diſcurrunt fluminis inſtar.
O dolor immenſus totam diffuſus in Urbem ,
Viſceraque inconcuſſa manent ! res magna dol...
..... cum miſeris & eorum vulnere cædi.
Cur impune ſcelus par eſt ? junxere tyranno
Se quoque damnati, reliquo junxereque dextram
Cives , prima fuit quorum connexio junctus
Proſcriptis ſocius, patribus parere ſpopondit
Duratura fides . Nec erit ſecus ; illa ſalubri
Conditione caret civilis pactio, matris
Immemor Eccleſiæ , contemnens ſedis honorem ,
Obvia quæ tandem virtus intrare volenti
Mœnia militiæ gladio dilecta cruento
Lędere nobilitas detractis noluit Urbem
.... Dominis , patriæ libertas ſola petita eſt.
Arguimur , quia dextra fuit data noſtra tyranno ;
Qui dimiſit eos , cui vere fœdere juncti
Inviſo fuimus , natos ſecus ire neceſſe eſt
Rebus in ignotum vacuos cum matribus orbem.
Si crimen , veniam tam triſtia fata merentur ;
Parcendum eſt ; quem non placat miſerabile vulnus?
Numina nunc moveant clades , non flebilis error,
Quas non fama ſilet, quid enim n... crimina clamant,
Murmura plura gemunt , violataque jura queruntur ?
Civilis patitur timor omnia , viribus hauſtis
Nec fulcire poteſt illos promiſſa meatus
Libertas , cum tuta cohors data Regna petivit ;
Gallica cum Siculas acies tranſivit ad oras,
Montanę fuit Urbis opus , cui gratia digne
Eſt reddenda .... comitis quæ fœdus inivit,
Regis & in faciem commiſſa protervia tanti
Obſequium vacuat , dum ſic contemnitur ejus
Nuncius, enormis dum ſic præſumitur auſus,
Dum ſic bacchatur , dum ſic diſcerpitur ordo
Juris , non illos retrahit reverentia Regis,

Aut amor, aut virtus, ſeu Regia magna poteſtas:
Non parvam maculam Siculæ invexere Coronæ,
Quæ nota eſt cunctis, & vix delebilis ullo
Tempore, dum titulus Regalis foverit illos.
O Patres Urbi citius ſuccurrite veſtræ;
Non paret auxilium, preſſuræ fluctus inundat;
Turbo furit validus, laxatur rima carinæ,
Pars immerſa ratis periit, nutatque ſuperſtes
Tempeſtate gravi caſum concuſſa minatur.
Pœniteat ſævos ſcelerum, tam perfida facta
Eventus ſolet iſte ſequi. Sic fatus, ut horror
Invadit gelidos artus, cum monſtra perurgent
Cognita, ſuſpenſæ ſic obſtupuere coronæ
Aſtantis populi, ſic territa pectora divum
Cladibus auditis, quas nullum noverit ævum:
Quem prius æthereum gladium vibraverat Orbis
Claviger in cives ſontes, patriǫque rebelles
Non revocat; ſubeant aulæ niſi lora potentis,
Gramine cum tellus, & ſidus luce carebit;
Piſce ſalum, ventis aer, ſeu flamma calore,
Summus apex Divum tunc non curabit honorem
Juſtitiæ, nec fautor erit, ſed jura negabit.
Ut norunt conſtans & implacabile pectus
Pontificis ſummi, Cives diſcrimina cernunt;
Corda pavent, patriis & ſe ſubmittere juſſis
Coguntur concuſſa metu, gladiique rigore
Ætherei; licet his ſors proſpera præbeat auſum,
Ambitione ſua vires ſenſere minores.
Ut nubes oriens radius diſpergit Eoas,
Aut Boreas ſubito vehementes diffugat imbres,
Sic timor in vanum rediit probitatis ad umbram,
Conſtantiſque animi pereunt faſtigia nutu.
Legati remanent, non illos æqua reduxit
Gloria, colla jugo referunt obnixa penatum.
Nec mora, quos ſequitur ſolio Legatus ab almo
Ad Ligures miſſus, domuit quos nulla poteſtas,
Non fortuna potens, & inexpugnabile fatum,
Non vis, colla ſacris vinclet qui ſi juga loris,
Am-

Ambroſii celeri petiit qui mœnia greſſu.
Conſilium generale vocat, mandataque pandit
Præſulis ætherei: ſecum delata ſalutis
Nuncia, grata piis animis, vinctura rebelles
Suſcipiunt Cives, juſſis & in æthera lętus
Aſſenſit clamor, ſedi gaudetque ſubeſſe.
Uno conveniunt animo, non diffidet ullus,
Confluit Urbs ſubito, fit mane, & ſacra plateis
Juramenta fidem, quæ non exacta, ſed ultro
Edita parendi votum teſtantur amicæ
Aulę. Sic etiam pacis civilis amorem
Ac reditus Patris, qui longis abfuit exul
Temporibus, lætantur oves, quia Paſtor ovile eſt
Venturus nutrire ſuum, renovareque ſancta,
Et quia divinæ ſolvenda ſilentia laudis.
Mox exacta datur vicinis Urbibus ipſi
Cautio Legato, fidei ſit ſponſio factæ,
Ut rata ne violent titubantes juſſa Legati,
Poſtmodo facta ſibi dirimant ne patria loca.
Hinc ſuppreſſa diu ſolvuntur Cantica; lætum
Dant delubra melos, myſteria diva colonis
Redduntur, ſacras populi concurſus in ædes
Fit quoque, ceu longa liquidos deſiderat hauſtus
Faux exuſta ſiti, ſic plebs diffunditur hymnos
Exhauſtura novos, jubilus jam pullulat ingens,
Et prope jam finis ſperatur adeſſe malorum.
Ut ſuffuſa genas lacrymis oppreſſa timore
Mater in interitu nati complexa rigentes
Artus dilectos oculiſque cadentibus hærens
Febribus exhauſtum corpus repente calore
Anxia cum ſentit vitali cedere morbum,
Lumina nectenti jam ſomno laſſa ſalubri,
Ad ſolitum vena callem redeunte tenoris,
Erigitur, ſperatque trucem vitare dolorem,
Reddendam citius priſcæ prolemque ſaluti,
Excutiturque prior facies, quæ nubila plauſus
Exerit & lætos; Sic Urbs civilibus armis
Preſſa diu longo diri concuſſa pavore

Excidii, compaſſa ſuis & civibus actis,
Clade gravi gaudet, modicam non excutit artem
Quod vulnus; coeunt dudum diſciſſaque membra.
Jam ſperata ſalus ad gaudia corda reducit.
Hæc ubi ſigna dari Legatus juſſit in Urbe;
Nobiliumque vocat pariter populique ſenatum.
Pace reformari ſperantes mœnia Cives
Confluxere cito greſſu, quibus orſus ab ore
Pendenti eſt populo ſic fari. Dedita ſacris
Hæc aulæ uſque potens fama virtuteque fines
Orbis ad extremum diffundit nomina præpes
Libertas Ligurum, Patribus devotaque divis
Extitit Urbs olim multis ornata triumphis.
Conſilii decor eſt ejus diffuſus in omnem
Italiam. Erepta novis erroribus alte
Corruit, at nuper moriſque oblita vetuſti
Se dedit in præceps, patrios deſpexit honores,
In caros bacchata ſinus ſua contulit arma
Matris in opprobrium; radiis luſtrata ſupernis
Sed modo jam rediit. Deflet confuſa priores
Exceſſus. Plenis jam votis lora reſumunt
Eccleſiæ. Veteres jam læta reducit amores;
Evigilant etenim lethali preſſa ſopore
Lumina, præteritam ſuperat nova gratia culpam.
Vos ad juſſa patres devotio magna paratos
Reddidit. Ut cerno, nihil eſt jam ponderis ultra,
Quod metuant animi devoti. Muneris ardor
Divini grave neſcit onus, ſed dulcia ſentit
Omnia; priſcus amor rediit, culturaque Divum.
Jam quoque non vobis patriis parere moleſtum eſt
Juſſis, ad vitæ felix converſio callem
Devia peſtiferi erroris funeſta relinquens.
En ego jam fidens vobis mandata refundo
Præſulis eximii: video vos namque paternis
Obſequiis promtos, patrem cognoſcere veſtrum
Ottonem. Jubet hoc fas, & jus. Alta poteſtas
Hoc quoque decrevit; ne ſit fugitivus in orbem
Ulterius, ſtatuere Patres. Ad ſceptra redibit

Col-

Collatæ ſedis ; vos hinc parebitis illi.
Vos hinc ſubjecti dignos reddetis honores,
Prædia reddetis, conceſſaque jura tenebit
Præſul, & in Clerum proſcriptio facta linetur:
Reſtituentur opes raptæ, fraudabitur ære
Nemo ſuo. Non hinc Chriſtos injuria lædet.
Lex exacta meo faſtis delebitur omnis
Judicio, veſtræ ſi forſan matris honori
Obviet, in reliquo libeat ſi plura jubere
Tempore, libertas mihi ſit ſervata. Loquutus
Hæc ſiluit. Cives una favere jubenti.
Ut jurata fides illos, & cautio juſſa
Edita junxerunt, his impiger omnia complens
Legatus connectit opus, repetitaque jura
Occupat Eccleſiæ. Traduntur jura petenti.
Corrigit & faſtos, ac liber redditus omnis
Clerus, deletur proſcriptio. Nulla moleſta
Jam lex, nulla premens exactio, nulla tyrannis
In Clerum. Nondum ſed pax ſperata ſequuta eſt
Civilis, cujus jamjam fiducia major;
Neſcit enim ſubito conduci magna cicatrix,
Et ſemper languoris iners eſt cura vetuſti,
Artis ſi medicæ morbum primordia grandis
Non renuat cedens, pars eſt parva ſalutis.
Sic antiqua nequit dirimi, ſuccenſaque parvo
Tempore lis turgens; opus eſt conamine longo;
Spem parit ingentem; cujus conventio quamvis
Cœperit ex illis, ſed non heu vota ſequuntur.

LIBER II.

PUllulat ira latens ſub pectore, proditur ulcus
Exterius multis; iterato priſca tumore
Turget enim labes, intra mentita ſalutem,
Non exterſa prius ſanie conducta cicatrix,
Sub cute ſordenti recidiva panditur unda.
Agmine Lugdunum ſacro properante penatum
Dum foret Antiſtes ſummus, comitanſque caterva
Urbe Placentina, ſententia promitur atrox.
Metropolis ſtatuunt Cives, ut præmia dentur
Plurima, lethali ſi vulnere decidat exul
Archipater, propriam præſumens viſere ſedem.
Dedecus hoc aulæ eſt, grandiſque injuria deni
Gregorii, tantum facinus qui ſidere clauſo
Diſſimulat, legi metuens obſiſtere ſævæ.
Deſerit Italiam feſtinus, tranſmeat Alpes.
Axe ſub Heſperio Rhodani pervenit ad undas,
Urbs quibus incumbit Lugdunum nomine, nuper
Acta ubi divorum Patrum celebrata fuerunt.
In reditu celeri ſequitur quem Præſul: at ille
Ipſius renuit comitatum, ſtare Bugellæ
Elegit profugus, Seprii ſe fudit in arva.
Hinc Comes arma petens Gufredus nomine, clara
Ortus progenie, cuneo vallatus & enſe
Exule. Dux Equitis natali limine pulſi
Robore magnanimo Caſtro conſedit Aronæ
Hærenti rivo, pariter quod lucis ab Urbe
Diſtat, & eſt humili locus hic ſuſpenſus in arcem
Aggere, ceu ſedes illis quæ præminet oris.
Regia. Vaſta latus communit utrumque vorago;
Clivus at a tergo præceps deſcendit in amnem.
A valvis aditus non arduus, atque vetuſto
Frons ejus muro eſt olim munita, ruinam
Cujus congeries reficit nova. protinus omnis
Plebs montana favet, parent & mœnia lati

An-

Angleriæ vicina laci ; munitur & arcis
Præſidium . Ligures hæc quam tenuere coloni
Urbs antiqua fuit , antiquis diruta bellis,
Ipſa redacta ſolo , pauco contenta colono ,
Nobilitatis habens priſcæ veſtigia , ſervat
Delubra , quæ reficit prope mœnia ſparſa per agros.
Cingitur Occiduis nunc , non Auſtralibus undis.
A Borea erigitur collis , qui culmina præfert
Invia , murali quondam præcincta corona:
Hoſtibus eſt ullis vix expugnabile caſtrum.
Planities illi ſpectabilis hæret ab Euro,
Inde tamen locus eſt valli munimine tutus.
Hæc loca bina tenet tutiſſima miles ab Urbe
Pulſus , & his patrias ædes ſe viſere ſperat.
Hæc ſpatii nimius non dividit oppida jactus,
Auxilium ſibimet propereque impendere poſſunt.
Urbs excita novis rumoribus exilit , ira
Infremuit , catulis ut ſæva leæna furore
Evehitur raptis . Micuerunt ſigna potentis
Metropolis , properat ſonipes phaleratus , & armis
Contectus Miles , pariter vexilla Quiritis
Germani pretio conducti ad bella feruntur.
Angleriam invadunt ſeu fraudis ſive favoris
Auxilio : ſplendens gladius vibratus in hoſtes.
Pars Comitis non dura ferens molimina Martis,
Innumero cedens equiti ſeceſſit in arcem.
Fama leves tendens alas ſe tollit in auras
Non contenta ſolo , Comitis pervenit ad aures,
Engleriam captam eſſe , & amicos arce recluſos.
Tunc armis animaque potens Dux impiger agmen
Congerit , armatos Seprioque reliquit ephebos
Caſtro , feſtinans obſeſſis marte potenti
Subſidium præſtare citum . Fit proximus undis
Stagni . Metropolis conſpexit Præſes ut hoſtes
Acceſſiſſe, parat promtas ad bella cohortes;
Obvius egreditur , prope fit occurſus ; utrinque
Amnis erat medius , parvis qui labitur undis,
Sed nec ab Angleria ſpatium diffunditur ingens

Ad fluvium Guaſſam ; dextras hortatur in hoſtes
Prẹſes belligeras , cui eſt fiducia major
Teutonicus miles ; ſeries diſtincta , phalangas
Ordinat , umbones flavent , galeæque relucent ;
Expantæ fulgent Aquilæ , ſonipeſque furorem
Efflat , belligeroque tubæ ſpiramine clangunt.
Inde Comes patria proceres ad prælia voce
Proſcriptos acuit , genus his proponit, & ædes ;
Virtuteſque patrum , felices Urbis honores .
Audaces equites animo congeſſit in unum ,
Ac pedites . Non ſic acies hæc ſplenduit armis ,
Impar & hæc numero , ſed ſpe , quam robore major ;
Ipſa pericla cavens potuit nam cedere bellis ,
Sed ſuperare ſolet magni fiducia cordis
Conſilium . Clamor ſubito miſcetur utrinque ,
Pẹne leves agitat nubes . Conflictus initur.
At latus adverſæ Germanus tiro cohortis
Tranſiliens undas petiit , jam mixta geruntur
Prœlia , deſævit mucro , demittitur haſta ,
Excipiunt ictus galeæ , configitur umbo.
Cæditur hinc miles , cadit alter & inde ſupinus ;
Conferuere manus , lethalia ſpicula miſcent ;
Nunc hunc nunc illum gladius conſumit atroci
Vulnere , bacchantur Mavortia tela viciſſim ,
Armorumque fragor ſemotis funditur oris .
At Comes adverſos cuneos ferit , atque laboris
Belligeri patiens ſuſtentat pondera belli
Sævi , non hoſti parcit , ſtragemque minatur.
Virtus tuta viri laxis audacter habenis
Obliquaque haſta medios prorumpit in hoſtes .
Ictu ſtratus eques poſtremo fata ſopori
Junxit ; ſed Comitis ſonipes demerſus in unda
Limoſa cecidit ; coram producitur hoſte
Detentuſque Comes , nomen qui nobile faſſus
Confoditur ſubito diri mucrone furoris .
Tunc damnata cohors ceſſit , tam triſtia cernens
Fata ducis , latebras quærit , campumque relinquit .
Eſt fuga divulſæ fiducia ſola phalangi ;

Pars defenſa manu ſeceſſit in abdita Diva,
Poſtmodo Novaria quæ ſe collegit in urbe.
Pars jacet in frutices, pars triſti fune ligatur,
Quos ſubduxit atrox capitis ſententia luci.
Funera terna jacent decies, & quatuor icta
Gutture. Cladigeri maduerunt flumine campi
Sanguineo, Galarate, tui; ſed in horrea mœſtæ
Luxuriant fruges, replentes aera fletu
Ac gemitu lacrymis tantæ ſpectamine cædis
Qui tenuere ſuas redeunt ad mœnia Cives.
Victores gaudent, lætum referuntque triumphum.
Magnanimus Præſul mox linquens arva Bugellæ
Vercellas petiit, dubiam ſuſpenſus in artem
Fortunæ ſperans poſt triſtia fata beatos
Succeſſus, nec enim novit ſors fixa morari.
Advenit proſcriptus eques, ſuffragia poſcit,
Pontificemque rogat: damnatæ ſigna cohortis
Sumere Divum opus eſt, inquit, quod convenit almis
Hoc manibus macula purgare tyrannidis Urbem.
Juſtitium patriam oppreſſit, viduæque vagantur,
Exulat incerto pupillus, & orphanus orbe,
Sacratæ ſpoliantur opes, latique cruore
Rivi civili maduerunt fluminis inſtar.
Trina quidem cædes quaſi bis centena peregit
Funera nobilium: pars bello concidit atro,
Judicii pars falce fuit conciſa ſceleſti.
Proh dolor! Engleriæ, Vercellis, geſta Carate
Prœlia tam diræ cladis fecere ruinam.
Mors infauſta animum Gufredi tangit amici,
Infandi libeat juguli meminiſſe nepotis
Cari; nobilitas ſuſpenſis te manet armis;
Ipſa quidem patriæ te propter mœnia nutant,
Plebs cupit adventum Patris devota. Quid hæres?
Eia rumpe moras, te Cœli oracula poſcunt,
Ad vetitam te fata vocant felicia Sedem.
Tunc Antiſtes ait: Fuſi non ſanguinis ultor
Eſſe volo; ſacri non hoc patiuntur honores,
Faſces quippe jubent ſcelus omne remittere Divi.

Hæc

Hæc vindicta mea eſt, cunctis ignoſcere culpis.
Iſta Sacerdotis plena eſt victoria. Pacem
Exopto patriæ, cives viduaſque reduci
Ad natale ſolum, primique ad jura redire
Urbem priſca ſtatus, & plene libera reddi
Sacra. Paratus ero noſtrum patrare Ducatum
Sic vobis. Numen pariter cœleſte petamus,
Quod ſolet oppreſſis invictum ferre juvamen.
Non animos odium corrumpat: quiſque virilis
Miles erit, quemquam armigerum ſuccendat ad arma
Fas, propriique lares. Tunc juſſit cuncta parari
Bellica.. Novariam venit, mox Oppida cepit
Plurima, qui Seprii parva comitante caterva
Mœnibus Antiſtes vicinis ſedit Aronæ;
Eſt etenim tutus locus hic, & nobile Caſtrum.
Aſt ubi fama citis Urbi denunciat alis
Præſulis adventum, Boreales inſuper oras
Archipatri parere ſuo, reliquaſque paratas
Ad Patris amplexus celeres: formidine preſſi
Arma movent, & amica vocant ſuffragia Cives.
Hinc Cremona venit: ſuccurrit Lauda repente:
Parmaque tirones mittit; vaguloſque per arva
Ad prædam doctos equites dat Crema; Quiritis
Aſſiſtit mucro Germani Civibus audax,
Conductus pretio Papia miles ab urbe
Pulſus in auxilium celer atque expertus in armis.
Metropolis phalerata acies non defuit illis.
Planities vallata jacet, tentoria figunt
Non longo ſpatii jactu prope mœnia. Fultus
Præſul magnanimus non multo milite, forti
Spe tamen accincto, pedites congeſſit agreſtes
Munitos animo, pro libertate paratos
In gladios & bella ſuas committere dextras.
Plebejos lorica viros non plurima texit
Ferrea, diploidis contentos agmine ſolo.
Circuit Antiſtes ſolerti mœnia cura,
Et jubet excubias, vigili cuſtodeque ſervat
Caſtra, trabes clauſere vias, ne callidus hoſtis
Irruat,

Irruat, ut requie ſolvuntur membra ſoporis,
Et ſubito madeant nocturno ſanguine feſſi.
Intrepidus celeri circumſpicit omnia motu
Præſul, moxque dato promtos ad prœlia ſigno
Convocat armatos, quos hortans voce paterna:
Hæc ait, o ſocii magnorum mole laborum
Preſſi, vos patriæ libertas, vos decus Urbis,
Vos natalis honos, Ligurum vos nobile germen,
Juſtitiæ titulis moveat jam pectus ad arma.
Non habeat ſervos ſine vulnere ſedulus hoſtis,
Non vos ſervabit civilis mucro retentos,
Cervices celeri tingentur ſanguine triſtes.
Pro natis pugnare licet, pro conjuge cara,
Pro laribus, patriæque ſtatu, pro jure paterno.
Geſta patrum moveant animos antiqua, timebat
Roboris Italici quos lata potentia, quorum
Grande fuit longo diffuſum nomen ab ævo.
Vos non degeneres thalami, non eſſeque prolem
Furtivi, non vos peregrino ſanguine natos
Audax dextra probet. Patriæ probitatis imago
Teſtetur vos eſſe genus laudabile. Miles,
Quem mihi ſtravit apex, veniat, mea ſigna ſequatur.
Feudali ſi jure cupit gaudere, relinquat
Impia Caſtra, meis vexillis pareat, omnem
Faſcibus antiquis privant mea juſſa rebellem.
Metropolis cuneos non multus transfuga miles
Se patris expoſitis fato belloque maniplis
Jungens deſervit: anceps fortuna timetur,
In civile paret Civis ſe opponere robur;
Nititur interea montes invadere ſacri
Militiæ pars magna ducis, quo pene relicto
In ſeriem jungunt Cives, ad bella cohortes
Inſultum faciunt, ingens & ad æthera clamor
Tollitur, & tentant vacuatum irrumpere Caſtrum.
Exteriora cadunt munimina ſtrata furoris
Raptu. Tunc miles dubia ſub ſorte duellum
Singulus aggreditur; cadit hinc adverſus, & inde
Alter confoditur; ſtrages contrivit utroſque,

Qui

Qui ſteterant. Populus tandem confugit in arcem
Cuſtodire locum, nitens defendere vallum,
Impigra quod pugilum circumdat læta corona.
Spicula miſcentur, ſaxum hinc volet, inde ſagitta
Turbine rapta truci baliſtæ morte relicta
Lancea belligeris illinc excuſſa lacertis.
Hinc ruit armatus, vallique crepidine ſtrati
Ima petunt, pugnax miles cadit inde ſoluto
Arcu, ſanguineus mucro deſævit utrinque.
Dum multo geritur bellum diſcrimine; curſu
Militiæ cuneus celeri redit, atque repente
Currit in auxilium; reſonat tuba, ſigna coruſcant,
Incluſi gaudent, hoſtilia corda paveſcunt,
Archipaterque ſuos hortatur, currit ad arma
Quilibet, & vallum flaventia tela coronant.
Pontificiſque acies mox ut pervenit, equeſtris
Miles in arma fremit. Præceps dimiſit habenas,
In denſos agitur cuneos, quæritque per hoſtes
Tutus iter, pavidi ſubito qui terga dederunt.
Incumbit gladius fugientibus, haſta perurget,
Et ſonipes ſeſſore carens hinc inde vagatur.
Stratus eques rapidis pedibus calcatur equorum,
Alter inire fugam tentat ſudore pedeſtri,
Ejectis latebras armis deſiderat alter,
Et pars cæſa cadit, rediitque ad caſtra ſuperſtes.
Ceſſit eques campis, convertit fræna furoris.
Heu pubes oblita ſui, gladiumque veretur
Militiæ ingentis, nam ferrum ſanguine fumat
Cædibus impreſſum. Pietas commota paterna
Obviat, & jugulos fraterni ſanguinis horret,
Civiles metuens clades, intecta furenti
Militiæ occurrens opponit pectora, tantæ
Bacchantes prohibet gladios inſiſtere cædi,
Ac odiis ad caſtra vocat civilibus actos,
Præcipites ne fraude ruant, in ſepta recludit.
Reſtaurare jubet feſtino cuncta labore
Diruta, ſupponit ſacratos ipſe lacertos
Quin operi; largos aer licet eſſet in imbres
Denſa-

Denſatus, tonitrus crebros, & fulgura nubes
Funderet, hos animat, cuſtodes inſtruit, omne
Officium luſtrat, fit ſedulus omnia Præſul.
Felix illa dies ingenti læta triumpho;
Sed timor invaſit victores luce ſequenti;
Plebs etiam montana trucis diſcrimina pugnæ
Præteritæ timuit, quærit concuſſa pavore
Devia, pars latebras, pars ſe convertit ad Alpes.
Nobilitas prohibere fugam conatur, & enſes
Exerit, Antiſtes revocat, ſed transfuga claudit
Aures, præcipiti curſu quęritque ſalutem.
Plus valet enſe timor, vox ſacri Patris inanis
Nil agit, inde cohors omnis cum plebe fugatur,
Atque petit Cumas; valvæ clauduntur in Urbis
Introitu, renuunt profugos admittere Cives.
Dum rogat ingreſſum ſibi ſupplex Otto patere,
Hunc ſequitur foribus reſeratis tota caterva,
In quam civilis ſubito furor arſit, & urbem
Cogunt. Cumani laſſos exire Quirites.
Quin alios ſpoliant, alii cæduntur, in ædes
Pars latet, Antiſtes ſemotas ceſſit in Alpes,
Quem quoque nobilitas ſtimulo concuſſa doloris
Flebilibus comitata oculis conſedit in ipſo
Zurnigi Caſtro, valles ſibi ſubdere nitens,
Ac montes. Populum legit non pluribus armis
Tectum, pars arcum læva, pars miſſile dextra
Vulgus inerme gerit, caput arcta caſſide preſſum,
Cingitur enſe femur; vix puri pondere ferri
Quis tegitur, cordis tamen omnis robore freti,
Diplois at reliquos artus tegit, umbo ſiniſtram.
Poſtmodo Canobium Præſul ſe contulit, oris
Terricolis exire novus compellitur hoſpes.
Eſt fuga ſola ſalus, ajunt, tecumque neceſſe eſt
Ædes deleri patrias, quas incola reddis
Infauſtas. Fruſtra quid niteris omnia legem
Non explere ſuam? fatorum cede furori.
Perſequitur fortuna nocens tua numina; fatum
Te crudele premit, Superis tibi bella moventur.

Præ-

Præſul ait: languent ingenti membra labore,
Sed nec abire queunt, requie niſi fota leventur.
Sumere vel biduo liceat confracta vigorem.
Conceſſere moram; laſſi reverentia Patris,
Eſt admiſſa loco, comitans excluſa caterva eſt.
Interea precibus tentat placare colonos.
Pars ad amicitiam trahitur clandeſtina blandis
Promiſſis, occulta petit munimina ſtatim,
Arma viroſque vocat, clam nobile congregat agmen
Sedulus Antiſtes fuſum per plana per Alpes.
Nobilitas commenta ſacri Paſtoris obaudit,
Quæ cito belligero ſociata eſt robore Patri,
Canobio ingentis quod ſtagni fluctibus hæret,
Ac montis radice ſito de fonte Ticini
Quod ſcaturit, qui ſit tandem genitoris origo.
Antiſtes jam tranſtra parat, violata bipenne
Robora cæduntur, claſſi remos & ſilva miniſtrat.
Roſtra ligant clavi, ſternuntur ſtagna carinis.
Protinus armorum ferrum laxatur ad uſus.
Ad bellum navale rates armavit ephœbis
Grandæviſque ſimul. Reſidebat pervigil hoſtis
Engleriæ; locus hic extremo litore ſtagni
Eſt ſitus, impulſus declivi tramite gurges
Ad quem declinat; collecta claſſe propinqui
Litoris, armatis majori robore naves
Munit, plure quidem conſtravit remige ſtagnum,
Amovit ſtatione rates, ſulcatque profundum
Gurgitis. Appropians vicinas contigit oras
Pontificis claſſi, ſtatuitque adducere prædam.
Sed pelago ingentes orbi quum Phœbus Ibero
Induxit tenebras, & nox jam feſſa ſopori
Membra daret, molles lectos armata caterva
Quærit, deſertis ratibus, diffuſa per ædes.
Noxia mollities nimis eſt, ac diſſona bellis,
Prœlia pectus amant durum, patienſque laboris,
Eventus dubios vigili quod præcavet aſtu.
Zerminaga viris luxum laqueoſque paravit;
Fama ſed expaſſis errorem detulit alis

Ponti-

Pontifici, celeres qui naves invehit undis.
Currit ad arma; pedes ſubito, mileſque carinas
Implent, non illos patrii ſecernit honoris
Gratia; communes faſces, communeque bellum,
Communis labor eſt, & opus commune; nec ullus
Juſſa manet. Remis pulſæ tremuere carinæ,
Per medias verruntur aquas; at celſior omni
Puppe præit reliquis armorum navis amictu
Reſplendens commiſſa Duci. Non verbere grandi
Remorum fluxere rates, ne forte ſepultos
Somno ſollicitet ſonus: omni voce remiſſa
Ora ſilent, dulces non reddit fiſtula cantus,
Conticuere tubæ, vaſto nec in æthere voces
Ullæ miſcentur, condicta ſilentia nullum
Admittunt ſtrepitum. Mediis inſtructa gregatim
Fluctibus invehitur Neptuni laſſa per agros
Claſſis, & appropians hoſtilia robora quærit.
Humentes nec dum tenebras ejecerat orbe
Oceano perlata dies, nec lampada Phœbus
Protulerat, Stygiis nec dum ſeceſſerat umbris,
Ut claſſis vicina fuit. Fragor undique motus
Tollitur, & claſſem præciſo fune repertam
Litore ſejungunt, cuſtodum pectora remis
Pulſant, emiſſis texerunt aera telis.
Æra ſonant, aucto clamoreque bella geruntur.
Hinc hoſtes in tranſtra cadunt, hinc cuſpide fixi
Puppibus exanimes hærent, hinc gurgite merſos
Accipit unda rubens, hoſtilis fitque ſepulcrum
Funeris, ac reliqui victrici fune ligantur.
Dum bello fluctus miſcentur, & æthera voces
Turbant, armorum concuſſio litora replet.
Experrecta gravi ſomno diſperſa juventus
Per thalamos ſurgit, diſcuſſa nube ſoporis,
Arma petit, ſed tempus abeſt; nam ſedulus hoſtis
Pugnam dimiſſo ratibus cuſtode pedeſtrem
Intentat, latebras, & lectos enſe cruento
Perquirit, nudos invadit, ſanguine rivi
Labuntur, ſine Rege cohors diſperſa vagatur;

Eſt

Eſt fuga communis cunctis fiducia vitæ:
Victores redeunt, & raptæ grandia claſſis
Lucra Patri referunt, & ovant, viciſſeque ſtagni
Oppida totius fidunt, mox eſſe paratos
Omnes eſſe jubet, clypeos galeaſque rateſque
Inſtaurant, terſa lorica rubigine ſplendet.
Copia conſeritur navalis Simone claſsis
Præfecto, ſtatuit cui cuncta negotia belli
Antiſtes, cui fidus erat, certaminis uſu
Expertus ſiquidem longo, jugiſque laboris.
Aronam celeri jubet hunc invadere bello
Navali, juſſis qui conſerit agmina parens
Claſſica; ſignifera ſublimi puppe reſedit
Prætor, diducunt remos, dant carbaſa ventis
Nautæ, ſternuntur late ſic navibus undæ.
Fluctibus in mediis labuntur robora claſſis.
Cunctas præcedit naves prætoria puppis,
Planities & operta lacus navalibus alis
Remigis intumuit concuſſis verbere lymphis.
Aronam propero venit conamine Simon
Navigio fultus grandi, virtute potenti.
Armigeris acies ſtetit undis claſſica juſſu
Prætoris modico diſtans prope mœnia jactu;
Spes omnis periit clauſo navalis ab hoſte.
Milite belligero ſtipatus Marchio promte
Ferrato de Monte venit, mileſque pedeſque
Urbis Novariæ, juncta his proſcriptaque virtus
Metropolis, nec non Papiæ nobile robur,
Qui cingunt lunare latus, quod collibus hæret;
Aggeris erecto tellus deföſſa coronat
Quod tumulo; crates denſos innexa ſudeſque
Pro muro paries ſtat ligneus. Arma coruſci
Militis in gyro rutilant muniminis alti.
Una quidem clauſtris clauſa eſt pars altera claſſe,
Nec patet egreſſus illis, & pabula deſunt.
Munitus vallo locus eſt in litore ſtagni;
Hic ſitus, hinc alte ſceptrum ſuper eminet arcis;
Miles ubi Germanus adeſt, montanaque turba
Metro-

Metropolique equitum cuneus tranſmiſſus ab ipſa.
Pugna ferox agitur, nunc hinc, nunc inde feruntur
Exanimes; ſed dura fames infeſtius angit
Obſeſſos, quos fata juvant, dum juge redundat
Imbris diluvium, totuſque reſolvitur aer.
Effudit Neptunus opum ſine lege ſuarum
Theſauros, Euro laxas dimiſit habenas
Eolus, ac Auſtro, Zephyro, Boreaque recluſis
Carcere, Caſtra natant, cœno jacuere jumenta,
Vixque boves alimenta trahunt, vix explicat alto
Seque luto ſonipes. Clauſis civile propinquat
Robur in auxilium; metuuntur militis arma,
Metropolis grandis venientis copia plebis.
Marchio concutitur, turbantur caſtra pavore,
Celatuſque timor denſi velamine nimbi
Quærit ab obſeſſis cedens vitare periclum.
Nobilis obſtat eques, ſperans munimine victo
Mox patriam proprioſque lares ſine Marte ſubactos.
Nititur at fruſtra, ſubito nam caſtra leguntur,
Novariamque petunt macula ſuffuſa pudoris.
Quonam ſigna ferunt imbelli victa timore?
Læta cohors incluſa diu petit arma, foraſque
Egreditur, ſtimulis ſonipes poſt terga cohortes
Impreſſis ſequitur, quę non revocantur ab hoſte.
Indeque regrediens acies diffuſa per agros
Spargitur, & rediit ſpoliis intenta relictis.
Subſidium fit præda famis, dimiſſa reducunt
Plauſtra, & lætitiæ voces tolluntur in altum.
Claſſis abit triſtis, fit libera navibus unda,
Obſeſſæ plebis præciſo fune carina
Per medios fertur jam tuto remige fluctus.
Nec mora: Cuncta lacus Urbi mox litora parent,
Et naves. Fruſtrata ducis fiducia ſtagno
Ceſſit, campeſtri vult ſe committere fato.
Jam remum mutare vacat tironis in haſtam,
Ac Cumanorum pulſat prece vota latenti,
Præſidioque novo ſperat virtutis, amice
Antiſtes, nullo belli diſcrimine motus,

Fortunam ſufferre potens, ſolatur amicos;
Quos dolor oppreſſit, ſpes quorum languit; inquit:
Noſtis an, o ſocii, dubii ludibria fati?
Humani eſt curſus ſemper mutabilis ordo.
Non idem fatis tenor eſt. Poſt dira ſequuntur
Omnia ſucceſſus, emortua ſpeſque vireſcet.
Corda cadunt duris? paſſi graviora timetis?
Eſſe viros ultor ſcelerum patietur inultos?
Hoſtes, qui patriæ civili cæde foventur,
Non animos, frangat res iſta. Reſumite vires:
Jam vos ad proprias ædes remeare neceſſe eſt.
Hinc quoque nobilitas patriis congeſta ſub alis
Cum Patre Novariam petiit, tentatque redire
Ad natale ſolum, cujus dulcedinis umquam
Immemor eſſe nequit. Mentem inclinare laborat
Præſulis Antiſtes Cumani fœdere. Pandit
Ingreſſum Cumis lis orta, & amica precantum
Sedulitas, & opus conſtantis Simonis expers
Fraudis. Mox geritur bellum civile per urbem.
Archipatri pars una favet, pars altera civi
Hæret Metropolis. Cumanus Marte potenti
Bella juvat Patris exulis. Arma fragores
Excutiunt, ictus crebreſcunt, omneque ferrum
Vulnere civili craſſatum ſanguine flavet,
Miſſile lethiferum, grave ſaxum, dira ſagitta
Aere concurrunt; & nubis more nitentes
Pæne tegunt radios, in cædes verſa feruntur
Deſcenſu ſociata ſuo, ſonus inde relictus
Vulnera vix ſuperat. Turres armata coronat
Plebs altas, humileſque domos, ac robore vici
Sternuntur denſo, pilis intexitur aer;
Ictibus arma ſonant crebris percuſſa, caduntque
Plures, alternis impletur vocibus æther.
Vim belli non paſſa trucis, pars denique ceſſit
Oppreſſis adverſa viris, Patrique rebellis,
Omneque communi congeſſit robur in aula.
Munimen celeres tunc hoſtes denique cingunt;
Denſus at ex alto lapidum demittitur imber,

Omne

Omne nocens jacitur ; & ſpicula fulguris inſtar;
Caſſis, & umbo * graves ac certos excipit ictus.
Sed labor ima petens ſtructuræ ſolvere muri
Tentat compagem ſolidi, foſſoria mergens,
Deſuper exceptæ contemnit ſpicula cædis.
Fundamenta quatit aries ſuſpenſus in altum,
Impulſuque ſuo forti muralia frangit,
Denique fumiferis explentur prœlia flammis,
Et bellatores captos munitio reddit.
Protinus adverſa bello virtute ſubacta
Archipater Cumas conſerto venit equeſtri
Robore, congeſſit peditumque equitumque catervas.
Exul nobilitas Aquilis collecta ſub almis
Exulis eſt Patris, properat mileſque Ticino
Novarienſis eques, Cumani roboris ingens
Virtus, lethiferas & turba accincta pharetras,
Ricarduſque Comes venit, qui ſigna ducatu
Sumto ſuſcepit profugæ damnata cohortis.
Nobilis huic ortus, genitus de ſtirpe Lomelli,
Qui ſe montanæ fudit regionis in oras.
Quam citius Clavate ſubeſt, ac mœnia Leuci,
Viciniquc lacus ſita litore caſtra patenti
Oppida multa duci parent; & plurima ſpondent
Archipatris ſe ſigna ſequi, Comitique favere.
Rumor it, atque ſtatim magnus fit in Urbe tumultus;
Ingens civilis pugnæ ſuccenditur ardor,
Fraternæque acies ad bellum utrinque parantur.
Ad Patrem rediit Comitis vexilla ſequuta
Nobilitas Cumas, ſe ut pugnatura maniplis
Jungat Cumanis, uno mox agmine pergat
Ut Præſul. Phalerata cohors at prodiit Urbe
Ambroſii, Deſioque ſtetit. Civilis utrinque
Sævit in arma furor, Procerum vexilla propinquant,
Archipatris Crux alma præit, ſpeculator ab alto
Proſpicit, atque Duci feſtinos nunciat hoſtes
Metropolis non eſſe procul, ſpirare furorem.
Cives concuſſi tunc contremuere pavore;
Attamen arma petunt, pugnax audacia texit

*grues, ac crates

Incuſſumque metum: clypei cervicibus hærent,
Reſplendens galea obvolvit caput, haſta vibratur,
Enſiferique pedes equitis flectuntur in orbem;
Impatiens ſonipes phaleratus naribus iram
Efflat, & hortantur pavidi ſe ad bella viciſſim.
Sanguinis oblitus naturæ fœdera neſcit
Quilibet, in fratrem convertit vulnera frater.
Prævius accedens Deſii prope mœnia Præſul
Pectus inerme gerit, & munitus mente virili
Magnanimus tanti Pater eſt diſcrimine belli
Tutus, nuda fuit cui Crux protectio fortis:
Humanę non tam virtutis robore fidit,
Quam Divæ, Patris cui ſpes innititur almi.
Inſonuere tubæ, voces tolluntur in altum,
It fragor armorum diffuſus in aera late,
Pæne ſoni nubes agitantur verbere denſæ.
Curritur ad bellum, ſolvuntur turbine magno
Baliſtæ, lapides jaciuntur grandinis inſtar.
Ad valli manibus correpunt culmina, molis
Fragmine lethiferæ galeis clypeiſque recepto;
Hoſtili cedente viam mucrone pararunt
Obice; terribili dant hoſtes terga furori.
Aggeris expulſo munimine mœnia fortes
Intrant armati, pugnæ concurſus utrinque
Fit trucis, at cedunt adverſi Præſulis almi.
Agmine ſed redeunt converſo, pila vibrantes
Incumbunt victi dorſis fugientibus. Acris
Vi pugnæ fugiunt victores, fitque ruina
Aggeris a ſummo per præceps uſque deorſum.
Hoſtis ab impulſu verſis cervicibus agmen
In ſe compreſſum declivi labitur orbe.
Pugna ſub ancipiti fato committitur atrox.
Enſibus in faciem exactis revocatur ad arcem
Valli turba fugax; vice verſa mittit in hoſtes
Spicula propulſos. Deſii diffunditur oris
Alterius; fumo civilis ſanguinis exul
Mucro madet; foditur primo certamine Rector
Metropolis, clarusque cadit victoribus obſtans

Ci-

Civis magnanima dudum virtute rebellis.
Militiæ generiſque fuit decoratus honore,
Hinc quoque litigera princeps & in Urbe ſecundus.
Milite cinguntur proſcripto mœnia; valvas
Fregit Cumanæ plebis violenta ſecuris,
Quæ Deſii vicis diſpergitur enſe cruento.
Hic cadit, ille pedes tremulos ad vincula tendit,
Hicque fugam quærit fruſtra concluſus in arcto,
Nam vetuere fores obſtruſæ robore firmo.
Conſilio periere ſuo, dum mœnia claudunt
Cives, dum Vallum nullo violabile firmant
Ingenio, fit opus proprium ſic carcer eorum;
Sæpe ſagax in cæde ſua prudentia fiet
Infelix hominis, quotiens deluſa perire
Auctores facit ipſa ſuos, traditque ruinæ.
Scrutatur latebras quiſquis, ſolaque ſalute
Contentus jacit arma pavens: fortuna ruina
Involvit varia Cives. Prętorius inde
Plebis apex capitur, dominus qui primus in Urbe
Extitit; ingenuæ quem ſtirpis gloria fecit
Conſpicuum. Cæno jacet hic, Antiſtes amicè
Quem petit, ingrediens diri diſcrimina belli,
Quem patria pietate videns, oblitus amaræ
Cædis, dilecti quam colla tulere nepotis,
Infremuit, lacrymiſque genæ maduere ſolutis.
O fallax, inquit, quotiens fortuna revolvis
Imis ſumma gradu: nam ſidera ſplendida tangens
Volvitur ecce luto; flos eſt tua gloria vanus.
Inde ſupervenit fraterni ſanguinis ultor
Mucro nitens Comitis, petiit qui membra ſecari
Hoſtis humi luteæ reſidentis, verſus in iram.
Quod prohibet Præſul, ſed eum ſine vulnere ſervat.
O bonitas immenſa Patris, quæ ſanguinis expers
Eximium victis putat indulgere triumphum.
Heu totum de Turre genus vel carcere ſquallet,
Aut periit gladio, patulum vel oberrat in orbem,
Cujus fautores ſimili periere ruina.
Stirpis at infauſtæ majores vincula ſtringunt

Ferrea ſex numero . Spoliis ditantur amici
Archipatris . Veniunt legati ſtrage peracta
Metropolis Deſium , vexilla reducere Patris.
Tunc Antiſtes ovans ingentis lucra triumphi
Numine lata ferens ſupero , feſtinat in Urbem ,
Accedens natale ſolum . Mucrone cruento.
Læta acies multis olim conata periclis
Ad proprios remeare lares , comitatur herile
Vexillum . Juſſit prope ſtare ad mœnia cohortes
Præſul , amor patriæ cujus præcordia caræ
Commovit, qui ſic inquit: Jam vulnera ceſſent,
Sanguineo ſudore madens jam mucro quieſcat.
In fraterna rubet bacchans heu vulnera cędes ,
Hinc trucis a gladii jugulis deſiſtite : finis
Quæratur bello civili : patria lucro
Sit ſatis hæc veſtro , longo ſperata labore
Hactenus ; hänc vetuit ſemper fortuna rebellis,
Quam modo corridens offert victricibus armis.
Jam furor , atque minæ , jam dira licentia ferri
Cedat , & ad lætos ſucceſſus hoſte ſubacto
Omine pax dudum adverſo quæſita reducat
Victores . Felix , ſocii , victoria non eſt
Roboris hæc veſtri , non armis parta , nec enſe:
E Cœlo micuit , vobis hanc fata dederunt
Legibus arcanis ſupero manantia nutu.
Ipſa manus opus eſt ſuperæ ; cenſura rebelles
Cœleſtis ſtravit . Inſonti parcite plebi,
Non ædes ſpolietur inops , non horrea : ditis
Nullus lædatur , nullique injuria fiat
E populo , quem nos ulnis geſtamus amoris,
Quem colimus , titulis dignis efferre volentes,
Cui fuit antiquo venerabile nomen ab ævo.
Conducat fraternus amor , quæ priſca tuliſtis,
Vulnera ; præteritæ nullum meminiſſe jubemus
Offenſæ , cujus felix oblivio judex
Optimus eſt : genus hoc vincendi nobile , clari
Nonne viri ? fiet veſter ſic hoſtis amicus.
Irarum fluctus humili ſub pectore fervent

Omni-

Omnibus infeſto ; cui non eſt longa poteſtas,
Nec fortuna favens, ſubiti diſcriminis expers
Non erit in Cives aſper ; propriæque ruinæ
Jam ſatis eſt ; veniæ jam tempus ; deſinat omnis
Impetus, & pietas expellat amica furorem.
Hinc odii civilis atrox diſcedat acredo.
Num ſcelerum rabies caræ dominabitur Urbi?
Diſcurrent vicis num rivi cæde rubentes?
Sanguinea num læta dies maculabitur unda?
Quid ſi tecta gemant? madeant ſi delubra fletu?
Sive lares ululent, & ſparſo crine marito
Exanimis coniux incumbat? ſive parentes
Oſcula pignoribus fundant mœrentia cæſis?
Num ſceleri tanto ſuperum miſcebitur ingens
Gratia? num tantis lacrymis, ſeu funere triſti
Gaudia lædentur dono conceſſa ſuperno?
Non erit hoc, proceres, non hoc felicibus aptum
Fatis; vobiſcum non hac comitabitur hora
Mœror in ingreſſu ; non hæc ſunt conſona divis
Heroibus ; nam vos vetus, & generoſa propago
Edidit, & venia eſt ſemper conjuncta triumpho.
Sic ſceleris gladium deponat læta juventus,
Gratas jam tollat palmas ad ſidera miles.
Lætetur triſtem rugas poſuiſſe vetuſtas
Fortunam, facies cujus placabilis ad vos
Arridet; renovata novis ſucceſſibus ora
Nubila mutavit, veterem poſuitque rigorem.
O Pietas immenſa Dei, quæ ferrea tetri
Vincula cœleſti virtute reſolvit Averni,
Tempore quo longo Proceres gemuere ſepulti
Metropolis, ſed jam reſerantur clauſtra doloris.
Extulit ad Cœlum jam vos ſublime, nec ultra
Deſinet auxilium ſuperum, ſervata per ævum
Gratia ſi fuerit, memor aut ſi muneris hujus
Sit damnatus eques, quem gloria tanta reducet.
Pacifice reſonent fauces, donaria reddat
Quiſque Deo, ſolvat laudes, ac oſcula civi
Offerat, & dudum Reſpublica preſſa levetur.

Jam tenor antiquus, patriæque modeſtia veſtræ
Urbi reddatur; ſuccedant jura profano
Juſtitio, propriis communia commoda lucris:
Exul in ambiguum redeat maturius orbem
Ad ſedes Aſtræa ſuas, orbataque dudum
Gaudeat aula potens ex nunc ornata decore
Juſtitiæ. Præſul ſic fatus. Nemo reſiſtit
Hortanti, monitis reverendi quilibet oris
Annuit, & votis patriis parere ſpopondit.
Submiſſos clamore cohors teſtatur alacri
Eſſe animos Patri, Dominoque, ducique per omne
Ævum. Antiſtes ait: Victricia ſigna movere.
Victaque mox celeri petierunt mœnia greſſu,
Præſulis ad juſſum victores enſe recluſo.
Mutatis animis jam non furor eſſe, nec ira
Cernitur in lęſis; acclamant omnia pacem
Agmina. Felici pergunt ſic omine, jam non
Bello: ſic urbem properant invadere gratam:
Ante Patrem delata micant inſignia Regis
Æterni; Crux alma nitens veneratur ab omni
Occurrente ſibi populo, comitatur at ipſum
Nobilitas olim peregrinas exul in oras
Ad patrium revocata ſolum. Proh quanta cohortis
Lętitia eſt reducis! Reſonant heic timpana, totus
Indeque concutitur æther clangore tubarum,
Et non ora ſilent lætas reſoluta per odas.
Urbs Patris adventu feſtino mota tumultu
Occurrit gaudens, miſcetur ſexus, & ætas:
Confluxere ſenex, juvenis, mulierque; ſed agmen
Laudibus inſiſtit devotum voce canora.
Religioſa cohors ſeries deſtincta per almas
Obvia, concentu modulaminis æthera læti
Pulſat, & adveniens dilecta Præſul in Urbe
Suſcipitur, viſitque prius pia limina Sancti
Ambroſii, fuditque preces demerſus ad aram.
Grata tulit genibus flexis donaria miles.
Mox Antiſtes adit ſperatam tempore longo
Sedem, ſicque domos reliqui petiere paternas.

Præ-

Præſul at, ut veteri ſtatuatur in ordine juris
Publica res, ſatagit, priſcum revocentur ad uſum
Gaudia. Libertas, ac Symbola, ludus in unum
Conveniunt. Poſuere diem, celebremque Beatæ
Agnetis, Cives redeuntes lege perenni,
Qua micuit ſperata diu victoria Cœlo.
Lex antiqua redit, preſſuraque ceſſit ab Urbe.
Æger ut effæto languet, mortemque minatur
Corpore, quum labium pallet, quum vena graveſcit,
Horreſcit facies, oculi ſternuntur, anhelum
Urgetur pectus, requieque repente ſoporis
Erigitur morbi matura labe, Vetuſtum
Motu rapta ſuo repetit natura tenorem;
Sic Urbs prolixi languoris preſſa dolore
Crimine purgato, divæ relevata vigore
Virtutis, fortique ſui medicamine Patris
Tendit ad antiqui curſum ſanata tenoris.
Quam dubio fortuna gradu mortalia ludis!
Heu quam præcipites humana rotatur in orbes
Conditio! Nunc ſumma petit, nunc mergitur unus.
Vana quidem pereunt, tranſitque volatibus ætas;
Rebus enim nitens robur ruit omne caducis.
Sola manet virtus puro rutilantior auro,
Æthereos ſuperat radios, Phœbæaque vincit
Lumina, tota nitens, divis ſplendoribus orta.
Huic quæ progenies? quod opus? quo pignore gaudet?
Aut quæ divitiæ? ſeu quo dotatur honore?
Eſt ejus ſublimis honos, quo cetera demto
Virtutis titulo clari privantur & ipſi,
Dum quoque ſola decus probitas ſibi vendicat iſtud.
Hæ quæ augentur opes exhauſtæ pectore manant,
Hæ ſolæ comitantur herum, mors cetera perdit.
Huic cœleſte genus, quam mens enixa ſuperna eſt,
Fonteque proſiliens ſupero delabitur imis,
Mortales differre facit, quia clarior alter
Cui comes eſt reliquo, ſine qua non quiſque ferarum
Conditionis erit. Fiet diſtante decore
Nonne pecus virtutis homo? qui celſior aſtris

Hac

Hac famulante; choris compar cœleſtibus, altas
Aggreditur Deitatis opes, concorſque superni
Hæc animi ſublime ſuis lucratur alumnis
Nomen, ut almorum numerentur in agmina Divum.
Quam felix hæc eſt proles, quam plena decoris!
Temperies ſiquidem, quæ blandimenta coercet
Carnis, metitur rerum Prudentia fines;
Altera Juſtitia eſt harum non infima conſors.
Quid melius natura dedit? quid gratius? ortum
Siderea de ſede trahit, velut Heſpera fulget
In terris, etenim divinæ legis imago eſt.
Fœderis humani vinclum, morumque magiſtra
Expediens, rectumque docet, nihil utile quærit
Ipſa ſibi; ſolers communem reſpicit uſum;
Nam cunctis prodeſſe cupit, nullique nocere.
Ipſa parens legum, vigil eſt cohibere nocentes,
Illius ad nutum pigreſcit nulla ſororum.
At poſtrema malis nullis concuſſa, flagellis
Diris arridet, duro certamine gaudet.
O Genus electum, proles divina, ſuperſtes
Germen, quod numquam conſumere tempora poſſunt!

Reliqua deſiderantur.

ANONYMI
LIBER DE COMPUTO.

In Librum de Computo.

COmpotus, ſive *Computus* apud rudium ſeculorum Scriptores nihil aliud erat, quam *Notitia curſus Lunæ, ac Kalendarum*, ſive *Scientia certificandi tempus ſecundum Solis, & Lunæ progreſſum*, ut Durandus ait Lib. 8. Cap. 1. Rational. Nempe nomen ductum a *computando*, quod neceſſarium ſit computare Solis Lunæque curſum, Annos, Menſes, ac dies, ut diſcantur Cycli Decemnovennales, Epactæ, Biſſextus, Saltus Lunæ, Kalendæ, Idus, ac præcipue Paſchatis tempus, atque alia id genus, quæ omnia nunc *Kalendarii* appellatione communius ſignificantur. *Computi* vero ſcientia olim cum Presbyteris tum Clericis magna ſolicitudine commendata; legibuſque etiam cautum, ne quis ab ea addiſcenda eximeretur, ut Du-cangius in Gloſſario Latino ex multis documentis oſtendit. Et in id quidem argumentum nonnullos veterum Libros editos habemus; alios Bibliothecæ clariores adhuc ſervant Manuſcriptos. In *Computi* vero explicatione præſertim Beda excelluit, cujus non unum hac de re Opuſculum inter ejus Opera occurrit. Librum *de Computo* Rabani Mauri edidit Baluzius Tom. I. Miſcellan. pag. 1. In Bibliotheca quoque Cottoniana Gildæ Monachi exſtare *Librum MS. de Computo* Capitulis XCIX. conſtantem, ex Uſſerio didicimus, ut Maximum Monachum, Iſaacum Argyrum, Durandum, aut alios etiam longe antiquiores, tum apud Græcos, tum apud Latinos, prætermeam, qui de Cyclis Paſchalibus, aut de *Computo* egere in variis Epiſtolis, atque Tractatibus.

Proxime autem præteritis ſeculis, quibus Literæ tam proſpero ſucceſſu excoli ſunt cœptæ, ut potius veteres nobis, quam nos veteribus heic invidere jam debeamus, *Kalendarii ſcientia* anxie admodum eruditeque pertractata, celeberrimos dedit Scriptores, quos nulla non miretur ætas. Et adhuc ævo noſtro habemus Caſſinum, Blanchinium, Bonjourium, Manfredum, Quartinonum, alioſque præſtantes viros, in quorum ſcriptis renovata, at-

que agitata eſt controverſia de Correctione Gregoriana. Non ingratum vero Eruditis hiſce, aliiſq; Kalendarii cultoribus, facturum me puto, ſi & hunc Librum evulgem, quum antiquorum eruditio, quamquam ſterilis interdum, atque interdum etiam fabulis ac erroribus intermixta, non parum inſervire poſſit ac ſoleat ad juvandam perficiendamque recentiorum eruditionem in hocce potiſſimum argumento.

En ergo Librum *de Computo*, quem uti nondum editum deſcripſi ex Codice 70. Lit. S. Ambroſianæ Bibliothecæ. Codicis characteres perantiqui ſunt, at non auſim affirmare ad ipſam ætatem referendos, qua vixit Libri Auctor. Innumera illic, ad faſtidium uſque, & in Grammaticam, & in Orthographiam peccata, quorum nonnulla, quia nimis in oculos incurrentia, ſuſtuli; reliqua verò dimiſi, condonanda illorum temporum, ſive etiam Librariorum aut imbecillitati, aut uſui. Quo tempore Auctor vixerit, non facile deprehendas; nam huc ille congeſſit aliorum Scriptorum lucubrationes, quæ ad varia tempora ſpectant. Attamen Anno Ch. DCCCX. aut ſummum paucis poſt annis Auctor floruiſſe videtur, quod conjicere poſſumus e Cap. CLIII. & ex aliis locis. Non dubito autem, quin præter multa, quæ in Libris Bedæ, Rabani, aliorumque repetita occurrunt, alia quoque heic habeantur, quæ fruſtra alibi quæras, quamvis a falſis ac fabuloſis non ſemper ſejuncta. Epiſtolas Proterii, Dionyſii, aliorumque omiſi, quippe a Bucherio, & partim etiam a celebri Petavio publici juris jam factas. Retinui tamen Prologum Libri, nempe Epiſtolam S. Cyrilli Alexandrini, quamquam a Petavio editam in Appendice ad Libros de Doctr. temporum, ut collatione utrorumque exemplarium, mendis ſcatentium, conentur eruditi veram Cyrilli mentem expiſcari. Cum Prologo ſive Epiſtola laudata conjungitur in Ambroſiano Codice fragmentum aliud cum hoc titulo. *Item ratio Solis, vel Lunæ curſus, atque biſſexti*, quod apud Petavium non legitur, & certe Cyrillo ſive Græco homini tribuendum nequaquam videtur, quamvis continuato ſtylo omnia nectantur in eodem Codice Ambroſiano. Sed ultra detinere Lectorem non placet.

LIBER DE COMPUTO.

Incipit Prologus

S. CYRILLI ALEXANDRINI EPISCOPI

De Ratione Paſchæ.

SAnctum Paſchæ myſterium, ejuſque ſacra ſolemnitas, ſicut eſt a Salvatore noſtro Apoſtolis tradita, obſervatur, inlibata manſiſſet, ſi eam quorumdam perverſitas inter cetera fidei Sacramenta minime temeraſſet. Illi etiam qui eorum pravitati reſpondere conati ſunt, & LXXXIV. annorum circulum inſtituerunt, perfectæ rationis circulorum tenuiſſent, ſi in ſupputatione menſium, vel annorum humanam, ſeu Divinam traditionem ſequi potuiſſent. Unde tantis ſunt ignorantiæ tenebris involuti, ut in utrumque Paſchalis ignorantiæ periculum deciderint. Ita etiam XIV. Luna, quam vulgus ſextam decimam putat, cum adhuc orbis ſui circulus nonæ non impleviſſet, ad veſperam Sabbati, & ante menſem noverunt, Paſcha celebrando, contra præceptum Domini frequenter docentur erraſſe, quod alii pervidentes, ac reprehendentes, & quaſi emendare cupientes, quia non divina revelatione inluminatis, ſed humana ſcientiæ præſumptiones elati ſunt, pejus aliis addiderunt, ut ſicut illis ſex quatuor decennitates, ita & iſti per ſeptem ſedecennitates, & quaſdam dimenſionum pergulas duplicatos, vel multiplicatos numeros, ac monogrammos adnotantes, diverſos, & inextricabiles circulos deſcribere niterentur. Per quorum difficultates anguſtas, & infinitas controverſias, quibus ſe invicem impugnantes ita ſunt offenſi nonnulli, ut relictis obſervationibus omnibus octavo tantummodo Kalendarum Aprilium die quotacunque Luna vel Feria incidiſſet, jam non Paſcha Domini (quod enim eſt in die ſolemnitatis Reſurrectionis, & in Luna plenitudinis luminis, ac ſocietas ſempiterni Solis) ſed in natale Mundi tantummodo irrationabiliter celebraſſent. Superfluo autem quis extendit humanum ingenium, & linguam habuit expolitam, niſi ab eo qui ſtultam facit ſapientiam hujus mundi, ad veram ſapientiam ſenſus ejus dirigatur. Cum his igitur atque hujuſmodi diſſenſionibus per univerſum orbem Paſchalis regula turbaretur Sanctorum totius orbis Synodi conſultatione decretum eſt, ut quoniam apud Alexandriam talis eſſet reperta Eccleſia, quæ in hujus ſcientia clareret, quoto Kalendarum, vel Iduum quota Luna Paſcha debeat celebrari, per ſingulos annos Romanæ Eccleſiæ literis intimaſſet, unde Apoſtolica auctoritate univerſalis Eccleſia per totum orbem definitam Paſchæ diem ſine ulla diſceptatione cognoſceret. Quod cum per multa ſecula partim cuſtodiſſent, nullamque inde ſcripturam quiſpiam crederet, ubi nulla quæſtio ſolveretur, & nonnunquam occurreret, ut in Sabbato Luna a XX. quam illi a XXIII. XII. Kal. Majarum uſque in octavo eaſdem Kal., quaſi in ſecundo menſe Paſcha cele-

celebrare metuerent, eſſetque magna confuſio in omni Eccleſia, Prætorio, vel Palatio, Theodoſius religioſiſſimus, qui non ſolum in humanis, verum etiam in divinis legibus placere Deo ſemper ſtuduit, Sanctum Theophilum totius Alexandriæ Epiſcopum urbis ſuis literis conrogavit, ut de Sacramento Paſchæ evidentiſſima ratione diſſereret, ſibique dirigere dignaretur. Cujus ſanctiſſimis præceptis obtemperans quatuor centorum XXVIII. annorum Cyclum Paſchale inſtituit, ejuſque clementiæ a primo anno Conſulatus ejus uſque ad centum calculans, quoto Kalendarum talium, Iduum, & quota Luna Paſcha debeat celebrari, ſubjectis ſuis literis deſtinavit, manifeſtamque veritatem ſub libello fideliter, breviterque perſtrinxit, in quo revelante ſibi Domino, perfectæ rationis ordinem pandit, omneſque errores, ac ſuperfluas quæſtiones luce clarius expugnavit, atque diſſolvit.

Quoniam jam illi diverſi circuli per totum orbem diſſeminati, & jam noſtrorum animos inconcuſsè poſſederunt, iſte quinus eſt edictus, vix ad paucos potuit pervenire; cujus cum nimiam profunditatem pæne omnes ſenſus excedere pervidiſſem, revelationem Domini poſtulavi. Et hoc, quod de ipſo fonte haurire promerui, in ipſo libello præſumens, quia nec illos, apud quos ipſum circulum vidi, intellexiſſe cognovi. Et ne fortè quadringentorum viginti octo annorum infinita congeries aut faſtidium cognoſcendi, aut pigritiam deſcribendi quibuſdam afferat, in nonaginta quinque annos eumdem circulum breviavi, quos per illos annos volvere ſine ulla differentia cognovi. Unum tantùm aſſem in quibuſdam annis propter rationem biſſexti, qui occurrere non potuit uſque ad illum ſummum circuli ultimum annum, qui redit ad caput, adjiciendum, vel potius dimittendum admonui.

A Duodecimo autem Kalendarum Aprilium, uſque in VIII. Kalend. Majar. per dies XXXV., qui faciunt ſeptimanas quinque, Sanctum Paſcha celebrari confirmans, de ipſa ſeptimana habere manifeſtum eſt, reliquos ejus quinque dies adjecit, ut propter Dominicam diem a XIV. Luna uſque ad XXI., ſicut præceptum eſt, diſtendiſſet Quæ quidem Luna efficitur XIV. a XII. Kal. Maj. protenditur, in primi menſis terminos pernoſcitur, & impletur, & ſecundum ſupputationem Hebræorum, quibus Paſcha rationem Chriſti perceptum eſt. Poſt annum Emboliſmum occurrerit, qui XIII. menſes Lunares idem CCCLXXXIV. dies habere Sancto Moyſi divinitus revelatus, unde conſtat hos dies quinque menſis novorum additos, non ſecundi menſis eſſe, ſed primi, quia etiam ſecundi eſſent propter Domini reſurrectionem erga Eccleſiæ plenitudinem non immerito viderentur adjecti illi etiam, qui longius habitabant, vel immundi in anima fuerint, in ſecundo menſe juſſi ſunt Paſcha celebrare, quod in typum intelligitur Sanctæ Eccleſiæ, quæ cum omnibus Dæmonibus fornicata immunda videbatur in anima; ſalubri verò confuſione mundata, & ſecundum Nativitatem quaſi ad ſecundum menſem tranſire videbatur percipitur. Ante menſem autem novorum menſis eſt ultimus veterum, in quo Paſcha fieri penitus abnegatur. Sed ut breviter dicam, quæ ſint in eorum diſputatione diverſa: Luna, quam illi tertiam vel ſextam decimam, vel viceſimam tertiam, improprie noncupant, hanc Sanctus Theophilus primam, quartam decimam, vel XXI. cœlo demonſtrante confirmat. Paſcha autem quod ultra XII. Kal. Maj. celebrare formidant, Sanctus Theophilus uſque in VIII. differre non dubitat. In ordine annorum illorum quidam in XIV. anno, quidam in XVI. unam diem Lunarem de incrementis Lunaribus addiderunt. Hanc S. Theophilus in nono decimo anno adjecit. Unde illorum ſupputatio, quia inconveniens, ac diverſa eſt, perperat. Hujus autem, quia veritate ſubnixa eſt, ſuperat, & in perpetuum perſeverat. Ita enim XIV. Luna vult videre in cœlo Theophilus in pleno orbis

bis circulo eodem momento oriatur, quo occidit Sol, eademque nocte tranſacta Luna occidente ſol oriatur. Unde evidenter apparet, quia Luna, quam illi XXIII. vigilare in Sabbato Paſchæ formidant, ipſe XXI. adſignans ſine ulla trepidatione Sanctum Paſcha cenſeat celebrari, & quam illi præterito Sabbato XV. metientes anticipant, ipſe XVI. oſtendens, non eos juſtè celebrare contendens ad XXI. differre non dubitat. Viginti autem & novem ſemis dies Lunam habere manifeſtum eſt, qui duplicati efficiunt LIX., quibus una dies præter illos duos ſemiſſes adjicitur, ut LX. videantur implere, & efficitur Lunaris legitimus ſaltus, ut ſi verbo tenus fuerit Luna V. alia die, non dicatur VI. ſed VII. Triceſimæ autem Lunæ medietatem habere minuentis, & medietatem creſcentis exinde, quæ dicitur triceſima, quæ & prima, calculorum nullus ignorat. Talis ergo debet videri XXIX., qualis pro pridie prima. Trigeſima autem Luna videri omnino non poteſt, quia ad ultimum finem medio ipſo triceſimo die conſumitur, ſolique conjungitur, eodemque momento renaſcitur, paulatimque ab eo recedens; & per reliquam ipſius diei triceſimam partem uſque ad aliam diem, quæ prima dicitur, creſcens, poſt ſolis occubitum ſic videtur, quemadmodum, ut dixi ante, pridie viceſima nona diluculo tenebatur. Qualis ergo eſt cæcitas mentis, vel dementiæ, ut cum videri non poſſe triceſima videatur adhuc deficiens, & dicatur prima nonnunquam etiam & ſecunda, ac ſi per omnem ordinem mentiuntur? Sicut enim pro triceſima ſecundam, & pro prima tertiam vocant, ſic pro quarta decima ſextam decimam, & pro viceſima prima dicere compelluntur XXIII. ſicut illius parvitatem, qui dictus eſt biſſexti dies, inveniſſe, ut per hanc fallaciam Diabolus inter ipſa Fidei Sacramenta aucupetur animas Chriſtianas. Hoc itidem in ſummo & inſuperabili ponit exemplo, quod Salvator noſter Luna XIV. fer. V. Paſcha cum ſuis diſcipulis celebraſſet, & ut ſuper hac fieri ſemper imperavit. Quod hodieque, ſicut traditum celebratur ſanctumque Chriſma conficitur, & cæna Dominica anniverſaria ſolemnitate completur. Quod & Paſcha perfectum ac maximum Sacramentum, ſicut Sanctus Apoſtolus narrat ſibi traditum, & ita tradidiſſe Corinthiis gloriatur. XIV. traditur. XV. paſſus. & XVII. reſurrexit, ea videlicet Luna, quæ nullis interjectis tenebris etiam ſecundum ſupputationem vulgi ſolis lumine diluculo ſociatur. Hoc enim veræ ſalutis inditium, ut poſt tergum relinquentes tenebras totius malitiæ, æterno illo ſole ſolis lumine perfruantur. Hunc ergo biduum Lunæ ſuperfluum ſi dimiſeris, illoſque quinque dies menſis Novorum juxta rationem additos intellexeris, ſed & illum diem de incrementis Lunaribus in nono decimo annos, quod XIV. vel XVI. adjeceris, omnem vim, & rationem veritatis hujus miniſterii recognoſces. Lunam autem, quæ ab his dicitur tertia, hodieque a Judæis, & Græcis dicitur prima, & merito videtur ad veſperam, quia jam & ſemiſſe habere de XXX., & quæ æquè prima. Item ratio Solis, vel Lunæ curſus, atque biſſexti. Annus habet dies CCCLXV. menſes XII. tempora IV. ver, æſtas, autumnum, & hyems, & per quatuor tempora duo ſunt æquinoctia, & duo ſolſtitia Nono Kal. Apr. unum æquinoctium, & VIII. Kal. Jul. in natale S. Joannis fit unum ſolſtitium, & VIII. Kal. Januar. in natali Domini noſtri J. C. fit aliud ſolſtitium. Nam & Sol in anno lucet dies CCCLXV. quadrans vero lucet dies CCCLIV. reliqui ſunt dies XI quos ſupra videtur Sol lucere. Et hi ſunt XI. quia annis ſingulis ad Lunæ curſum adduntur, & ut clarius manifeſtetur ratio: XII. ſunt menſes in anno, & VII. ex ipſis menſibus ſunt, qui habent ſupra XXX. ſingulos dies. ideſt: Januarius, Martius, Majus, Julius, Auguſtus, October, December, & ideo tolle Decembri, & Januario ſingulos dies, & adde eos Februario, qui habet dies XXVIII., &

 ſiunt

ſunt ei XXX. Reliquos verò dies, qui in capite quinque menſibus ſuper tricesſimum numerum adjacent, tolle eos, & æquantur omnes menſes, ut habeant dies XXX. Et unus menſis lunaris XXIX., & ſemis, dies lucet, ſicut jam in ſupraſcripta Epiſtola prælocuti ſumus, quia triceſimum diem non complectitur. Ideoque XII. ſunt Lunares menſes in anno. Per ſingulos verò Lunares ſingulos ſemiſſes minus lucet. & ideo de duodecim Lunaribus tolle XII. ſemiſſes, & comple in unum, efficiunt dies VI. ad quos adde illos quinque dies de quinque menſibus, & efficiunt in unum dies XI. quos ad Lunæ curſum addere videntur, quia eos in annum Lunæ de Sole minus lucet. Quadrans verò, qui ſuper CCCLXV. dies biſſexti facit poſt quadriennium creſcere diem. Ipſum verò quadrans III. habet uncias, quæ in anno uno creſcunt. Item in alio anno tres, in tertio IV., in quarto nihilominus III. & fiunt in unum horæ XII. faciuntque diem unum, qui vocatur biſſextus; & ſicut ceteri dies, qui ducunt annum, computantur, & dimittuntur, ita & biſſextus cum venerit poſt annos quatuor, dies qui venerit in ordine ducere annum illum, utpote tertia Feria dimittenda eſt, & quarta Feria computanda, ſicque traditur per majorum traditionem biſſextus.

EXPLICIT PROLOGUS
S. CYRILLI ALEXANDRINI EPISCOPI.

In nomine D. N. Jeſu Chriſti incipiunt Capitula de compoto.

1 De compoto Græcorum, vel Latinorum.
2 Item alia.
3 De die anni inveniendo.
4 De anno Communi, & Emboliſmali.
5 De Epiſtolis Græcorum.
6 De Argumentis Paſchalibus.
7 Item quod verius eſt.
8 De die menſis Paſchæ.
9 Item apud Græcos.
10 Item apud Latinos.
11 De nativitate Lunæ.
12 Item alia.
13 De Communi anno, & Embolimæo.
14 Item de anno Communi, & Embolimæo.
15 De quatuor differentiis Lunæ.
16 De celebrando S. Paſchate.
17 De Emboliſmo majore.
18 De augmento Lunæ.
19 De Kal. menſium.
20 Item de Kal. menſium.
21 De Feriis monſtrandis in Kal. XII. menſium.
22 De Epactis in Kal. XII. menſium.
23 De feriis in quoque menſe.
24 De feria, aliter de Lunæ Paſchalis termino.
25 De concurrentibus, ideſt Epactis Solis.
26 De Epactis XI. Kal. Apr.
27 De temporibus menſium.
28 Item de temporibus menſium.
29 De ſolſtitio, & æquinoctio.
30 Item de ſolſtitio, & æquinoctio.
31 Item de ſolſtitio.
32 Item de temporibus menſium.
33 De momentis.
34 Item de momentis.
35 Item de momentis ad biſſextum.

36 Item

36 Item ad biſſextum inveniendum per XII. ſigna.
37 Item ad V. dies intercalares per XII. ſigna.
38 De punctis.
39 De diebus anni, & horis.
40 De ratione Biſſexti.
41 Item de Biſſexto.
42 Item de Biſſextis.
43 Item de Biſſextis.
44 Item de Biſſexto, & quadrante.
45 Item de ſolſtitio, & æquinoctio.
46 De ſaltu Lunæ.
47 De Lunæ curſu.
48 De interrogatione XIX. annorum Cycli.
49 De menſibus.
50 De Luna Paſchæ.
51 Argumenta ad initium Quadrageſimæ inveniendum.
52 Item de Quadrageſima invenienda.
53 Item ad Pentecoſtem inveniendam.
54 De ſupputationibus.
55 De termino Paſchali.
56 De hebdomade.
57 Item de hebdomade.
58 Item de menſibus.
59 Item de menſe.
60 Item de menſibus.
61 Item de menſe, & Lunæ longitudine.
62 De menſibus, & interrogatione Lunæ.
63 Item de menſibus, & quot horas habent in die, & nocte.
64 Item de menſibus.
65 De puncto Lunæ.
66 De numero apud Hebræos.
67 De annis naturalibus.
68 De incendio Lunæ.
69 De die Solis Orientis.
70 De die.
71 De nocte.
72 De XIV. Luna Paſchali.
73 Item de XIV. Luna quota feria ſit.
74 Item de termino Paſchali.
75 De die ſeptimanæ quotus ſit.
76 De Luna in Kal. Janu.
77 De annis a principio mundi.
78 Item de annis a principio mundi.
79 De annis ab origine mundi.
80 Item de annis ab origine mundi.
81 De mundi principio.
82 Item de mundi principio.
83 De annis ab Incarnatione.
84 De Luna primi menſis.
85 De biſſexto per Cyclum Solarem.
86 Argumenta de concurrentibus monſtrandis.
87 De anno Biſſextili ab origine mundi.
88 De concurrentibus monſtrandis.
89 De diviſionibus temporum.
90 De atomis in primo momento.
91 De horis in anno quot ſint.
92 Item de horis & momentis in anno.
93 De punctis in anno.
94 De minutis in anno.
95 De momentis in anno.
96 Item de momentis.
97 De quadrante.
98 De ſeptimanis in anno.
99 De concurrentibus Solis per totum annum.
100 De partibus Lunaribus in XI. Kal. Apr.
101 De concurrentibus monſtrandis.
102 Item de concurrentibus.
103 De Feria in Kal. Janu.
104 De Cyclo Solari, & Lunari.
105 De principiis IV. Temporum.
106 De Cyclis Solis, & Lunæ.
107 Ad Epactas Solis in XII. menſibus.
108 De XII. Signis Cœli, ſiderali circulo.
109 De Cauſis quibus nomina accipiunt.
110 De curſu Solis, & Lunæ.
111 De curſu Solis per XII. ſigna.

112 De ſeptem ſideribus errantibus.
113 De velocitate curſus Lunæ.
114 De aſcenſu Solis, & deſcenſu.
115 De Eclipſibus Solis & Lunæ.
116 De variis nominibus Solis.
117 Argumenta de initio Quadrageſimæ.
118 De Cyclo magno XIX. Lunarum.
119 De numero Cyclorum.
120 Item de Cyclo XIX. Lunarum.
121 Præfatio S. Felicis Abbatis.
122 Incipit Prologus S. Cyrilli.
123 De concordia menſium.
124 De Cyclo Libri Romanorum.
125 De ætate Lunæ.
126 Item de Lunæ curſu.
127 Epiſtola de ratione Lunæ. I. anni.
128 Item de ſecundo anno Embolimæo.
129 De tertio anno Embolimæo.
130 Item de primo anno Embolimæo. End.
131 Item de ſecundo anno Embolimæo.
132 Item de tertio anno Embolimæo.
133 Item de quarto anno Embolimæo.
134 De curſu Lunæ per XII. ſigna.
135 De curſu Solis per XII. ſigna.
136 De Luna per XII. ſigna.
137 De ſaltu Lunæ per XIX. annos.
138 De flexibus Digitorum.
139 De ratione Paſchali.
140 Epiſtola Cyrilli Epiſcopi.
141 Epiſtola Paſchaſini Epiſcopi.
142 De nominibus ſtellarum.
143 Epiſtola Dionyſii Exigui.
144 Epiſtola S. Cyrilli.
145 Epiſtola S. Proterii.
146 Epiſtola Moriani Epiſcopi.
147 Præfatio Patronio Epiſcopo.
148 De mundi principio.
149 Epiſtola Papæ Leonis.
150 De Paſcha autem.
151 De nomine menſium.
152 De regularibus annis Domini, & Indictione.
153 De argumentis ad Incarnationem Chriſti.
154 De Cyclo Decemnovali.
155 De partibus.
156 Item de Cyclo Decemnovali Paſchali.

Expliciunt Capitula Libri de Computo.

Si vis ſcire omni die datarum, quota Feria evenerit, computa quot dies de illo Menſe habes, & ſubtrahe diem Kalendarum. Memor eſto Lector, quotam Feriam habueris in Kalendis, adde illam Feriam ad illos dies ſuperius memoratos, & partire per ſeptimam partem, & quidquid remanſerit, tota Feria erit. Si nihil remanſerit, Septima Feria erit.

Si vis ſcire omni die datarum, quota Luna fuerit, computa quot dies de illo Menſe habeas. Subtrahe diem Kalend. Memor eſto Lector, quotam Lunam habueris in Kal., adde illam Lunam ad illos dies ſuperius memoratos, & partire per trigeſimam partem, & quidquid remanſerit, tota Luna erit, & ſi nil remanſerit, trigeſima erit Luna. Similiter qui vigeſimam nonam Lunam habuerit, partire per XXIX. partem. Quicquid remanſerit, tota Luna erit. Si nihil remanſerit, vigeſima nona Luna erit.

Ad Feriam inveniendam Febr. in Kal. XXXII. uſque in finem.

Si vis ſcire hoc vel illo die, quota ſit Feria, computa dies a Kal. Janu. uſque in diem, de quo inquiris, & cum noveris, adde Feriam, quæ fuit die Kal. Janu. & ſi biſſextilis annus eſt, etiam biſſexti diem. Partire omnia per VII., & quot remanent dies, adde ſeptimanæ, ubicumque quæris, oſtendit CCCL. L. ſeptem vicies multiplicati faciunt CCCL. uſque in finem.

De quota Luna in Kal. Janu.

Si vis ſcire hoc, vel illud, quota ſit Luna, computa diem a Kal. Janu. uſque in diem, de quo inquiris, & cum ſcieris, adde ætatem Lunæ, quæ fuit in Kal. Jan. Partire omnia per LVIII. Et ſi amplius XXX. remanſerint, tolle XXX, & quod ſupereſt ipſa eſt Luna diei, quem quæris. Adde in fine VI. uſque finem hoc quære A. B. C. D.

De Luna in Kal. Jan.

Si hoc ſcire deſideras, ſume Cyclum anni præſentis. Multiplica per XI. adde Epactam regularem. Partire per XXX. Quod remanet, ipſa eſt ætas Lunæ in Kal. Jan. Sed tantum memor eſto, ut XVII. XVIII. XIX. Cyclo non I. adjicias, ſed II. adjicias regulares. Si hoc ſcire cupis, quota Luna ipſius, quemque velis, duces Cyclum; adde I. Duc eumdem ſexies, ſive * triginta poſitus, ſive I. ſuperſuit * mus totam Lunam eſſe reperies. Poſtea ſedecim duobus adjicies.

Ad Feriam		Ad Lunam	
CCCL. L.	L.	CCCLIV.	VI.
CCLXXX.	XL.	CCXCV.	V.
CCX.	XXX.	CCXXVI.	IV.
LXX.	X.	CLXXVII.	III.
LXIII.	VIIII.	CXVIII.	II.
LVI.	VIII.	LVIII.	I.
XLVIII.	VII.		
XLII.	VI.		
XXXV.	V.		
XXVIII.	IV.		
XXI.	III.		
XIV.	II.		
VII.	I.		

I. *Incipit compotatio Græcorum vel Latinorum qualiter calculare debemus omnibus annis.*

Januarius, Auguſtus, & December IV. Non. habent. XIX. poſt Id. & dies XXXI. Martius, Majus, Julius, & October VI. Non. habent XVII. poſt Id. & dies XXXI. Aprilis, Junius, September, & November IV. Non. habent XVIII. poſt Id. & dies XXX. Menſis Februarius IV. Non. habet. XVI. poſt Idus, & dies XXVIII. Omnes menſes VIII. Idus habent.

II. *Item alia.*

In Januario, Auguſto, & Decembri Kal. & VI. Id. & XVIII. Kal. & XI. Kal. & IV. Kal. unus dies eſt. In Martio, Majo, Julio, & Octobri Kal., & VIII. Id., & Idus, & XI. Kal., & IV. Kal. unus dies eſt. In Aprili, Junio, Septembri, & Novembri Kal., & VI. Id., & XVII. Kal., & X. Kal., & III. Kal unus dies eſt. In Februario verò Kalendæ, & VI. Id. & XV. Kal. & VIII. Kal. unus dies eſt. Ille Menſis, qui habet IV. Non. facit in Nonis dies V. & in Idibus dies XIII. & ille menſis, qui habet VI. Nonas facit in Nonis dies VII. & in Idibus dies XV.

III. *Hic invenies dies anni.*

Februarius in Kal. XXXII. in Nonis XXXVI. in Idibus XLIV.
Martius in Kal. LX. in Non. LXVI. in Id. LXXIV.
Aprilis in Kal. XCI. in Non. XCV. in Id. CIII.
Majus in Kal. CXXI. in Non. CXXVII. in Id. CXXXV.
Junius in Kal. CLII. in Non. CLVI. in Id. CLIV.
Julius in Kal. CLXXXII. in Non. CLXXXVIII. in Id. CXCVI.
Auguſtus Kal. CCXIII. in Non. CCXVII in Id. CCXXV.
September in Kal. CCXLIV, in Non. CCXLVIII. in Id. CCLVI.
October in Kal. CCLXXIV. in Non. CCLXXX. in Id. CCLXXXVIII.
November in Kal. CCCV. in Non. CCCIX. in Id. CCCXVII.
December in Kal. CCCXXXV. in Non. CCCXXXIX. in Id. CCCXLVII.
Januarius in Kal. CCCLXVI. in Non. V. in Id. XIII.
Concurrentes ad Feriam muta in Kal. Martias. Epactam muta in Kal. Septembr.

Ad Kal. inveniendas.

Kal. Mart. Feria illa. Kal. April. IV. Non. Mart. Kal. Maji. Prid. Non. Mart. Kal. Jun. VI. Non. Mar. Kal. Jul. IV. Non. Mart. Kal. Aug. Non. Mart. Kal. Septemb. V. Non. Mart. Kal. Octobr. III. Non. Martias. Kal. Novembr. Kal. Mart. Kal. Decembr. V. Non. Mart. Kal. Januar. prid. Non. Mart. Kal. Februar. VI. Non. Martias.

Si vis ſcire Kal. menſium quo die intrant, hoc calculo cognoſcetur volentibus annis.

Incipit Regula ad Kal. menſium inveniendas.

Mart. V. Apr. I. Majus. III. Jun. VI. Jul. I. Auguſtus. IV. September. VII. October. II. Novemb. V. Decemb. VII. Janu. III. Febr. VI.

Regulam habes. His ſemper adde ad Epactas Solis cujuslibet anni, & deinceps partire per ſeptimam partem, ſicque calculationis Feriam ſine errore reperies.

Incipit Epacta Solis.

B. I. II. III. IV. B. VI. VII. I. II. B. IV. V. VI. VII. B. II. III. IIII. V. B. VII. I. II. III. B. V. VI. VII. I. B. III. IV. V. VI.

Incipit Regula ad lectiones Lunæ.

Septemb. V. Octob. V. Novemb. VII. Decemb. VII. Januar. IX. Febr. X. Mart. IX. Apr. X. Maj. XI. Jun. XII. Jun. XII. Jul. XIII. Aug. XIV.

Regulam habes. His ſemper adde ad Epactam Lunarem cujuslibet anni, & deinceps partire per trigeſimam partem, ſicque calculationem Lunæ ſine errore reperies.

Incipit Epact. Idem ad Lectiones Lunares.

Nullæ. XI. XXII. III. XIV. XXV. VI. XVII. Ogd. XXVIII. IX. XX. I. XII. XXIII. IV. XV. XXVI. VII. XVIII. End.

Incipit Epacta ſecundum Latinos.

IX. XX. I. XII. XXIII. IV. XV. XXVI. Ogd. VII. XVIII. XXVIII. X. XXI. II. XIII. XXIV. V. XVI. XXVII. End.

Incipit Terminus Quadrageſimalis.

Luna II. VIII. Kal. Mart. III. Id. Febr. VI. Non. Mart. XI. Kal. Mart. VI Id. Febr. III. Kal. Mart. XIV. Kal. Mart. Non. Mart. IV. Ogd. VI. Kal. Mart. Id. Febr. IV. Non. Mart. IX. Kal. Mart. IV. Id. Febr. Kal. Mart. V. XII. Kal. Mart. VII. Id. Febr. II. IV. Kal. Mart. XX. Kal. Mart. II. Non. Mart. End.

Incipit Terminus Paſchalis.

Luna XIV. Non. Apr. V. VIII. Kal. Apr. Id. Apr. IV. Non. Apr. XI. Kal. Apr. IV. Id. Apr. III. Kal. Apr. XII. (II.) Kal. Maj. Ogdo. VII. Id. Apr. VI. Kal. Apr. XVII. Kal. Maj. Prid. Id. Apr. VIII. Kal. Apr. Prid. Id. Apr. Kal. Apr. X. Kal. Apr. V. Id. Apr. IV. Kal. Apr. XX. Kal. Maj. End.

Incipit iterum de termino Paſchali.

Non. Apr. norunt quin. V. VIII. Kal. inde promunt I. Id. Apr. etiam ſexies. VI. Nonæ quaternæ namque dipondio II. Item undenæ ambiunt quin. V. IV. Id. capiunt ternos. III. Ternæ Kal. titulant ſenæ VI. Quatuordenæ cubant in quad. IV. Ogd. Septenæ Id. VII. eligent VII. Feriæ Kal. ſortiuntur ternos III. Denæ ſeptenæ dant aſſ. I. Pridie Non. porro quaternis IV. Novenæ Kal. notantur namque ſeptenis. VII. Pridie Id. panditur quin. V. Kal. Apr. unus exprimitur I. Duodenæ namque docte quaternis IV. Septenæ quinæ ſperant duo II. Quartanæ Kal. Quinæ conjiciunt V. Quindenæ conſtant tribus adeptæ. III. End.

Incipit Terminus ad Rog.

Luna XX. VI. Id. Maj. V. III. Kal. Maj. I. XV. Kal. Jun. VI. Non. Maj. II. VI. Kal. Maj. V. Id. Maj. III. IV. Non. Maj. VI. X. Kal. Jun. IV. Ogd. IV. Id. Maj. VII. Kal. Maj. III. XIII. Kal. Maj. I. VII. Id. Maj. IV. IV. Kal. Maj. VII. XVI. Kal. Jun. V. Prid. Non. Maj. I. VII. Kal. Maj. IV. Prid. Id. Maj. II. V. Non. Maj. V. XI. Kal. Jun. III. End.

Incipit Terminus Pentecoſtis.

Luna IV. IX. Kal. Jun. V. III. Id. Maj. I. Kal. Jun. VI. XII. Kal. Jun. II. VI. Id. Maj. V. IV. Kal. Jun. III. XV. Kal. Jun. VI. VIII. Id. Jun. IV. Ogd. VII. Kal. Jun. VII. Id. Maj. III. III. Non. Jun. I. X. Kal. Jun. IV. IV. Id. Maj. VII. Prid. Kal. Jun. V. XIII. Kal. Jun. I. VII. Id. Maj. IV. V. Kal. Jun. II. XVI. Kal. Jun. V. X. * Jun. III. End.

De annis Communibus, & Embolimæis.

Com. Com. Emb. Com. Com. Emb. Com. Emb. Ogd. Com. com. Emb. Com. Com. Emb. Com. com. Emb. Com. Emb. End.

Tu iſtos regulares, qui ante iſtos IV. terminos poſiti ſunt, adde concurrentibus cujuslibet anni, & deinceps partire per ſeptimam partem. Si VII. remanent, ſeptima Feria erunt illi termini. Si ſuper VII. ſunt I. II. III. IV. V. VI. VII. totæ Feriæ erunt illi termini.

De annis Communibus, & Embolimæis.

IV. Primus annus Communis XV. Kal. Maj. incipit. Secundus Non. Apr. Tertius Embol. incipit VIII. Kal. Apr. Annus Solaris habet dies CCCLXV. Annus Communis habet dies CCCLIV. Annus Embolimæus habet dies CCCLXXXIV. Communis dicitur, quia ſimilis eſt numero dierum. Embolimæus vero Græc., quod in Latinum vertitur Augmentum, ſive Majorem annum.

De

De Epiſtolis Græcorum.

Legimus in Epiſtolis Græcorum, quod poſt paſſionem Apoſtolorum S. Pachomius Abbas in Ægypto cum Monachis ſuis in oratione a Domino rogaverit, ut oſtenderet eis quomodo Paſcha deberent celebrare. Et miſit Dominus Angelum ſuum, & ſcripſit ad præfatum S. Pachomium Cyclum decemnovalem hoc modo. Non. Apr. & reliqua uſque in finem. V.

Ratio qualiter ſecundum Latinos vel Græcos, Argumenta Paſchalia recto tramite invenire debeas.

Latini namque a III. Non. Mart. uſque in IV. Non. Apr. diebus ſcilicet XXIX. obſervandum maxime cenſuerunt, ut quocumque eorum die Luna nata fuerit, efficiat primi Menſis initium, cujus Luna XIV. ſi Feria VI. provenerit, ſubſequenti Dominica, ideſt Luna XVI. feſtivitatem Paſchalem ſine ambiguitate celebrabis. XIV. porro Luna menſis ejuſdem à XV. Kal. Apr. uſque in XVI. Kal. Maj. ad Fer. eſſe ſervandas. VI.

Item quod verius eſt.

Sancta Synodus CCCXVIII. Pontificum, qui apud Nicæam civitatem Bythiniæ convenerunt, inluſtrante Spiritu Sancto, firmiter ſanxerunt, ut ab VIII. Id. Mart. uſque in diem Non. Apr. quod ſunt dies XXIX., qualiſcumque Luna nata fuerit, perhibet facere initium primi menſis. VII.

Item de die Menſis, & Lunæ Paſchalis ultima qualiter celebretur.

Statutum invenimus in Concilio Romanorum, ut nec ante XI. Kal. Apr., nec poſt VII. Kal. Maj. Paſcha non debeat fieri. VIII.

Item apud Græcos.

Sanctæ memoriæ contra Theophilus Alexandrinus Epiſcopus datis Epiſtolis ad Theodoſium Imperatorem, in quibus adnuntians ab VIII. Id. Mart. uſque in diem Non. Apr. diebus ſcilicet XXIX. qualiſcumque Luna nata fuerit, in quolibet medio ſpatio perhibet facere initium primi Menſis. XIV. vero Luna a XV. Kal. Apr. uſque in XV. Kal. Maj. ſolerter inquiri, etiamſi die Sabbatorum inciderit, conſequenti die Dominico, ideſt Luna XV. Paſcha celebrare conſcripſit. Si die Dominico Luna XIV. ejuſdem menſis, ideſt primi Menſis evenerit, ipſa Hebdomada tranſmiſſa, ad alteram diem Dominicam Paſcha celebrari ſine dubio conſcripſit. IX.

Item apud Latinos.

X. Eſſet aliud exemplum de initio primi Menſis, ut quota Luna fuerit in Kal. Jan. tot dies de menſe Martio in fine computabis, & invenies procul dubio Lunam, & initium primi Menſis poteſt tantum tres ætates Lunæ, hoc eſt XXV. XXVIII. XXVI.

Item de Nativitate Lunæ.

XI. Quærenda eſt Nativitas Lunæ XIV. ab VIII. Id. Mart. uſque in Non. Apr., quæ primi Menſis novorum oſtendit initium. A XII. verò Kal. Apr. uſque in XIV. Kal. Maj. in quacumque die XIV. Luna occurrerit, ipſa te ad celebrationem Sancti Paſchæ perducit.

Si verò XIV. Luna ante XII. Kal. occurrerit, idem aut XIII. Kal. Apr., aut XIV. Kal. Apr., aut XV. Kal. Apr. ſcito quoniam Paſchalis Luna non eſt, ſed eamdem Lunam cum ad trigeſimam perduxeris, Lunaque alia die nata fuerit, in ipſa autem Sanctum Paſcha celebrabis. Similiter cautus eſto, ut XIV. Kal. Maj. Luna XIV. non tranſcendat, ut ad XIII. Kal. Maji, aut ad XII. Kal. Maji. Nam incipies in magnum deduci errorem.

Item alia.

XII. Chriſtianorum verò Paſcha ab XI. Kal. Apr. uſque in VII. Kal. Majas, quocumque die Dominico regulæ videlicet Luna occurrerit, Sanctum Paſcha modis omnibus celebrabis. Quod ſi ante XI. Kal. Apr. etiamſi Luna occurrerit, vel poſt VII. Kal. Maji, Paſcha nullatenus celebratur.

De Communi anno, & Embolimæo.

XIII. Communium, & Embolimæorum ratio iſta eſt, ut per Ogdoadem, & Endecadem concurrere debeant. Sunt autem Ogdoades VIII. Endecades XI. Com. Com. Emb. Com. Com. Emb. Com. Emb. Endecades XI. Com. Com. Emb. Com. Emb. Com. Com. Com. Emb. Com. Emb. Et inveniendi ſunt verbi gratia XIV. Luna Paſchalis feſtivitatis in anno præterito. Prid. Id. Apr. fuit ipſa Luna XIV. Anno præſente in eo datarum ſi ſuper extenderit diebus XIX., erit annus Embolimæus, ſi retro inventa fuerit diebus XI. erit annus Communis.

Item de annis Communibus, & Embolimæis.

XIV. Si vis ſcire, quando in anno Communi, vel quando in Embolimæo debeat Paſcha Dominicum celebrari, accipe rationem. Namque decemnovalis circulus, qui Enneacædecaetiris Græco vocabulo nuncupatur, per Ogdoadem, & Endecadem ſemper in ſe revolvitur, ideſt per VIII. & XI. annos, qui ſimul juncti XIX. faciunt. Ogdoas ergo incipit anno decemnovali primo, & clauditur ejuſdem octavo; Cujus primus, & ſecundus annus Communes ſunt. III. Emboliſmalis. IV. & V. Communis. VI. Emboliſmalis. VII. Communis. VIII. Emboliſmalis eſt. Sicque Ogdoas Communibus V. & Emboliſmalibus III. expletur. Endecas autem, quæ incipit anno Decemnovali IX., & termi-

minatur XIX. taliter graditur, ut primum, & ſecundum annum Communem habeat; III. Emboliſmalem; IV. & V. Com., VI. Emb., VII. & VIII. Com., & IX. Emb., X. Com., XI. Emb. habeat. Sicque Endecas Communibus annis ideo dicitur, quia de minoris * annor. que duodenis menſibus ſecundum Lunæ curſum & diebus CCCLIV. explent, invicem juncti in Paſchali felicitate ſocientur, quibus ad rationem Solis XI. dies deſunt, quos Ægyptii Epactas, ideſt adjectiones vocant, quas ſupraſcriptis diebus adjicientes numerum vocant Solaris Anni, ideſt CCCLXV. adimplent, quod etiam in Emboliſmorum ratione dirigens perſcrutatur, potens invenire, quorum vis talis eſt, ut pro ſui longitudine Communium annorum detrimenta compenſent. Emboliſmalis etenim Græce, Latine ſuperaugmentum dicitur, quia ideſt annus XIII. Lunaribus menſibus, & diebus CCCLXXXIV. impletur, Solarem annum diebus XIX. tranſcendens. Nam Communium, & Emboliſmorum talis comprobatio eſt. Si enim a XV. Luna præteriti Feſti uſque XIV. anni ejuſdem ſequentes dies CCCLIV. fuerunt, Communis annus erit. Si autem fuerint dies CCCLXXXIV., Emboliſmalis erit. Quod ut aptius fiat, a primo anno Decemnovennali uſque ad ultimum ejuſdem ſubjecta poteris formula edoceri, cujus ordo talis eſt. Anno Decemnovennali. I. Luna XVII. a XV. Luna præteriti Feſti Paſchalis uſque ad XIV. ejuſdem ſequentes, ideſt a XVI. Kal. Maj. uſque in Non. Apr. quia Communis annus eſt, fiunt dies CCCLIV. Anno decemnovennali. II. Luna XVIII. a XV. Luna præteriti Feſti uſque ad XIV. ſequentes, ideſt a Prid. Non. Apr. uſque in VIII. Kal. Apr., quia Communis annus eſt, fiunt dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali. III. Luna XIX. a XV. Luna præteriti Feſti uſque ad XIV. ſequentes, ideſt a VII. Kal. Apr. uſque in Idus Apr., quia Emboliſmalis annus eſt, fiunt dies CCCLXXXIV.

Anno Decemnovennali IV. Luna I. a XV. Luna præteriti Feſti uſque ad XIV. ſequentes, ideſt a prid. Id. Apr. uſque in IV. Non. Apr. quia Communis annus eſt, fiunt dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali. V. Luna II. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a III. Non. Apr. uſque in XI. Kal. Apr., quia Communis annus eſt, fiunt dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali. VI. Luna III. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a X. Kal. Apr. uſque in III. Id. Apr., quia Emboliſmalis annus eſt, fiunt dies CCCLXXXIV.

Anno Decemnovennali VII. Luna IV. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a V. Id. Apr. uſque in III. Kal. Apr., quia annus Communis eſt, fiunt dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali VIII Luna V. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a Prid. Kal. Apr. uſque in XIV. Kal. Maj., quia Emboliſmalis annus eſt, dies CCCLXXXIV.

Ogdoas.

Anno Decemnovennali IX. Luna VI. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a XV. Kal. Maj. uſque in VII. Id. Apr., quia Communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali X. Luna VII. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a VIII. Id. Apr. uſque in VI. Kal. Apr. quia Communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali XI. Luna VIII. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a V. Kal. Apr. uſque in XVII. Kal. Maj. quia Emboliſmalis annus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno Decemnovennali XII. Luna IX. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a XVIII. Kal. Maji uſque in Prid. Non. Apr., quia Communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno

Anno Decemnovennali XIII. Luna X. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a III. Non. Apr. uſque in IX. Kal. Apr., quia Communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali XIV. Luna XI. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt ab VIII. Kal. Apr. uſque in Prid. Id. Apr., quia Emboliſmalis annus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno Decemnovennali XV. Luna XII. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt ab Id. Apr. uſque in Kal. Apr., quia annus Communis eſt, dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali XVI. Luna XIII. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a Prid. Kal. Apr. uſque in XII. Kal. Apr., quia Communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali XVII. Luna XIV. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt ab XI. Kal. Apr. uſque in V. Id. Apr. quia annus Emboliſmalis eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno Decemnovennali XVIII. Luna XV. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a VI. Id. Apr. uſque in IV. Kal. Apr., quia annus Communis eſt, dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali XIX. Luna XVI. a XV. Luna præteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a III. Kal. Apr. uſque in XV. Kal. Maj., quia annus Emboliſmalis eſt, dies CCCLXXXIV.

Sic facies ſemper in omnibus annis, excepto in primo anno, in quo XXIV. ultimi uſque in XIV. primi numerabis a Paſch. ſolemnitatis, utrum in anno Communi, an Emboliſmali, debeat celebrari, rite, & abſque ullo errore reperies.

De quatuor differentiis Lunæ.

XV. Quatuor differentiæ Lunarum. Victorinus. XXX. Onatilius, & Laterculus alius XXX. alius XXIX. apud Hebræos XXIX. & ſemis. Apud Ægyptios XXIX. Ægyptii faciunt in omni anno XII. menſes. In unoquoque menſe XXX. dies. in uno menſe V. Ad. Communis annus habet dies CCCLIV. Adde XI. fiunt dies CCCLV. Adde ſupra XIX., & fit Embol.. Hic annus habet dies CCCLXXXIV.

De celebratione S. Paſchatis.

XVI. Quo die debemus Paſcha celebrare, idem XXX., vel XXXI. & hoc, ut dixi, in XIX. anno Cycli fit propter concordiam Epactarum. Iſti autem XXX. dies ſunt, idque CCCLIV. dies anni Communis ſupra creſcunt uſque in CCCLXXXIV. dies anni Emboliſmalis, quia Communi anno aut CCCLIV. dies Paſcha non licet celebrare. Supra verò hos dies licet. In Emboliſmali autem anno ante CCCLXXXIV. vel V. non debet Paſcha celebrari. Supra verò licet. Iſte ergo numerus dierum in Communibus annis, & Emboliſmalibus in celebratione Paſchæ obſervandum eſt.

De Emboliſmo majori.

XVII. Incipit de Emboliſmo majori. Majorum Emboliſmorum ratio probatur exiſtere, quod Communium annorum videtur damna ſupplere, quatenus & Solare tempus Lunaris exſequitur excurſio. Emboliſmus quare fit, & quomodo fit, & quid eſſet, ſi non fuiſſet, quomodo id fit. Commune & Commune,

ne, & fiunt duo anni Solares, & reſident XXII. dies de duobus annis Solis. Fit tertio anno, & ſuperſunt XXXIII. dies ſolis. Fit Emboliſmus tertio anno Lunæ, & deponit XXX. dies, & ſuperſunt III., & fiunt ſimiliter Com. Com. duo anni ſingulares III. tertio anno Lunæ id Emboliſmus deponit XXX. dies: Superſunt III. id VI. dies de VI. anno Communi. id XI. dies ſuperſunt anni Solis, quia ſi Com. aliter ann. id ſuperſunt a Sole XXII. inter II. annum, & VI. ſuperiores, ideo neceſſe eſt ut in altero anno fiat Emboliſmus, & non ſolum Emboliſmus implet dies XIX., ſed ſuperſunt duo dies Lunæ.

De augmento Lunæ.

Incipit augmentum Lunæ. Augmentum Lunæ quare fit, & quomodo fit, XVIII.
& quid eſſet ſi non fuiſſet. Quare idem, quia eſt in natura Lunæ tarditas, quod ſuperius aſcenſio ejus in natura, quam putaretur, addit tarditas ejus, donec nox intereſt, quod addit in capite XIX. in noctem, quam adderet id per quam venerint XIX. per XV., quando putaretur aſcenſio Lunæ eſſe in Plenitudine, licet prius deprehenderetur.

De Kalendis Menſium.

Kalendæ Græcus ſermo eſt, ſed ad colendum dicitur in Latinum vocatio- XIX.
nem dicuntur. Apud Græcos de Calo Kalendæ, apud Latinos de voco vocationes derivantur. Nonæ Græcus ſermo eſt, unde veniunt Nonæ. Nonæ a nundinis derivantur apud Græcos. Apud Latinos mercatum, vel mercimonia dicuntur. Idus Græcus ſermo eſt. In Latinum dicitur cor menſium, vel medietas menſium.

Item de Kalendis Menſium.

Quid ſunt dictæ Kalendæ? Kalendæ, Nonæ, Idus Græcus ſermo eſt. XX.
Propter feſtos dies Romani inſtituerunt, vel propter officia Magiſtrorum; in his enim diebus congregabantur in urbibus. Quidam autem Kalendas a colendo appellari exiſtimarunt, vel a Calo, ideſt voco. nam Aſtrologus vocabat populum, ut viderent accenſum Lunæ, ideſt initium primæ Lunæ, vel ſtellarum curſum, quæ ante, aut retro currunt; apud veteres enim omnium menſuum principia colebantur. Nonæ pro quo dicuntur? Nonæ a nondinis vocatæ. Nondinæ enim ſunt publicæ conventiones, ideſt a negotiatione ſive a mercimonia nondinæ ſolemnitas dicitur. Quare antiqui IV. Non. vel VI. Non. ideo diviſerunt? IV. Non. vel VI. Non. non ideo diviſerunt, ut non ſcirent latrones mercatum illorum, quando eſſe deberet, qui abſcondebant ſe per diverſa latibula in ſecretis locis juxta viam, & venientes ad mercatum occidebant, & ſpoliabant. Qua cauſa dictæ ſunt Idus cor menſium, vel medietas menſium? Idus autem plerique Latinorum ab edendo dictas putant, quod hi dies apud veteres epularum eſſent, vel ſpecies menſis ſequentis, vel propter medium menſis, quia Iduvare Græcè medium dicitur.

De

De Feria monſtranda in Kal. XII. Menſium.

XXI. Si vis noſſe Feriam, hoc eſt diem VII. in Kal. XII. menſium, ſcito quot regulares habet unuſquiſque menſis, a Martio incipiens, quia in illo die factus eſt Mundus, & ille Menſis fuit principium anni apud antiquos Romanos tempore Romuli, & in illo menſe diſcurrunt Epactæ ſolis, ideſt concurrentes VII. dies, & IX. Kal. Apr. in Cyclo XXVIII. annorum. Martius ergo habet regulares V., Aprilis I., Mad. III., Jun. VI., Jul. I., Aug. IV., Septemb. VII., Octob. II., Novemb. V., Decemb. VII., Janu. III., Febr. VI. Hos ergo regulares adde concurrentibus præſentis cujuslibet anni per XXVIII. annos, tunc enim Cyclus ſolis in ſe revertitur totus. Qua ſumma in ſeptem diviſa, quotus numerus remanſit, tota erit Feria in Kal. XII. menſium. Si autem totum numerum per VII. diviſeris, Sabbato erunt Kalendæ illius menſis, de cujus Feria quæritur. Si verò ille numerus regularum, & concurrentium ſimul ad VII. non pervenerit, quotus numerus fuerit, tota erit Feria præſens in Kal. uniuſcujuſque menſis per totum annum.

De Epactis in Kal. XII. Menſium.

XXII. Si vis ſcire Epactas in Kal. XII. Menſium, ſcies quot regulares habet unuſquiſque Menſis incipiens a Septembri, quia ille eſt principium Anni, & principium Menſium apud Ægyptios, & in principio Septembris mutant Ægyptii Epactas, & illas Epactas primas, quas Ægyptii habent in principio Cycli in Kal. XII. Menſium nos regulares habemus. V. G. a Sept. V. Octob. V. Inſunt ergo regularibus additis Epactis, quæcumque fuerint in X. Kal. Apr., quolibet anno invenies Epactas in Kal. XII. Menſium.

Ad Feriam in unoquoque menſe.

XXIII. Si vis ſapere, quota Feria eſt in unoquoque die datarum per totum annum, ſume dies a principio menſis, qui tibi præſens fuerit, uſque ad terminum Paſchalem, qui eſt anno præſenti XV. Kal. Mai. Dies Menſis ſunt XVII. adde dies Septimanæ, qui præceſſerint Kal. illius menſis, ideſt VI. mitte ſimul cum XVII. fiunt XXIII. Hos divide per ſeptimam partem. dim te XXI., fit ter ſepties. remanent II. Secunda Feria eſt terminus Paſchalis anni præſentis, ſicque per omnes menſes, qualis ſit Feria in unaquaque die oſtenditur, colligens omnes dies a Kal. illius menſis uſque ad præſentem diem quem volueris. Adde dies Septimanæ, qui præceſſerint Kalendas illius menſis, quicumque fuerunt. Si autem prima Feria fuerint Kal., ideſt die Dominico, nihil addes, niſi dies menſis. Divide per VII., quotus numerus remanſerit, tota erit Feria præſens. Si autem totum numerum per VII. partitus fueris, Sabbatum erit illa Feria, quæ quæritur.

Item de Feria, ſeu ad Terminum Paſchalem.

XXIV. Si vis noſſe, quota Feria ſit, qualicumque die computare volueris, tene regulares menſis præſentis, adde concurrentes cujus volueris anni, comprehende in unum. Si uſque ſeptem pervenerint, ſeptima Feria eſt. Si autem minus a ſeptem, talis erit Feria. Si autem ſuper ſeptem creverint, ſubtrahe VII., & quidquid ſu-

ſuperfuerit, tota Feria erit. Hoc quidem de Kal. dictum eſt. Similiter & ſi Luna ſcire vis quota ſit, die quocumq; volueris. Scito quota in Kal. ipſius menſis per Epactas, & regulares inventa fuerit, & tene ſupradictum numerum. Adde etiam dies menſis præteritos, ſicut ſupra ad Feriam diximus, & unum ſemper ſubtrahe. Comprehende in unum. Si uſque XXX. pervenerint, trigeſima Luna eſt. Si autem minus a XXX., ita & Luna. Quod ſi ſuper XXX. fuerint, ſubtrahe XXX., & quotquot remanſerint, tota eſt Luna. Hoc autem memento, ut diem præſentem ſemper ſubtrahas, & ſi triceſima Lunatio eſt XXX. ſubtrahe. Si autem XXIX., tunc XXIX. ſubtrahe. Quia ab initio Janu. uſque ad Kal. Decembris una Lunatio XXX., alia XXIX. Quando vero biſſextus eſt, vacat dies cum Luna. V. G. ſi hodie computatur ſexta, & in craſtino ſexta.

De Epactis in XI. Kal. Apr.

Si vis noſſe Epactas in XI. Kal. Apr., ſcito quota Luna fuerit in XI. Kal. Apr. talem Epactam habebis omni tempore. Quia Græci verò Epactas XI. Kal. Apr. ponunt pro eo quod Luna primatum noctis, jubente Domino, tenet; dicit enim Scriptura: *Et fecit Deus duo magna Luminaria, & poſuit ea in firmamento cæli. Luminare majus, ut præeſſet Diei, & Luminare minus, ut præeſſet nocti*; & ideo tres dies, quos atros appellat antiquitas, qui antequam luminaria crearentur a Domino facta in Geneſi deſcribuntur ſuis partibus, ſibique vindicant. Ad quem, ut dictum eſt, finem faciunt anni initium*que prævaluit. XXVI.

De tempore Menſium.

Tempora menſium quot ſunt? Quatuor, Ver, Æſtas, Autumnus, & Hyems. Ver quippe exoritur VIII. Kal. Mart. permanens diebus XCI., & conſtat ex humore, & igne. Æſtas incipit VIII. Kal. Jun. permanens diebus XCI. & conſtat ex igne, & ſiccitate. Autumnus ſumit principium X. Kal. Septemb. permanens diebus XCII. & conſtat ex ſiccitate, & humore. Hyems inchoatur VIII. Kal. Decembr. permanens diebus XCI., & conſtat ex frigore, & humore, & inde fiunt anni vertentes diebus CCCLXV. XXVII.

Item de tempore Menſium.

Tempora menſium IV. ſunt. Ver, Æſtas, Autumnus, & Hyems. Dicta ſunt tempora a communione temperamentorum, quod invicem ſe humore, ſiccitate, calore, & frigore temperent. Hæc & curricula dicuntur, quia non ſtant, ſed currunt. Conſtat autem, poſt factum mundum ex qualitatibus curſu ſolis tempora in ternos menſes fuiſſe diviſa, quorum temporum talem veteres diſcretionem faciunt, ut primus menſis Ver novum dicatur, ſecundus adultum, tertius præceps. Sic Æſtas in ſuis tribus menſibus nova, adulta, & præceps; ſic & Autumnus novus, adultus, & præceps, ſive extremus. Unde & eſt illud: *Extremæ ſub caſum hyemis*. Ver autem dictum, quod viret; tunc enim poſt hyemem veſtitur tellus herbis, & in florem cuncta rumpuntur. Æſtas dicitur ab æſtu, ideſt a calore, & æſtas quaſi uſta, ideſt exuſta, & arida. Nam calor aridus eſt. Autumnus a tempeſtate vocatus, quando folia arborum cadunt, & omnia matureſcunt. Hye- XXVIII.

mem

mem ratio hyemis ſeri * ideſt dici nuncupavit, quia tunc breviori ſol volvitur circulo. unde & hoc tempus bruma dicitur quaſi braxim, ideſt brevis, vel a cibo, quod major ſit tunc veſcendi adpetitus, edacitas enim græcè bruma appellatur, unde & inbrumati dicuntur, quibus faſtidium eſt ciborum. Hybernus autem inter hyemem, & vernum eſt, quaſi hybernus plerumque a parte totum hyemem ſignificat. Hæc tempora ſingulis etiam cœli partibus adſcribuntur. Ver quippe orienti datur, quia tunc ex terris omnia oriuntur. Æſtas vero meridiano, eo quod pars ejus calore flagrantior ſit. Hyems Septentrioni, eo quod frigoribus, & perpetuo gelu torpet. Autumnus occiduo, propter quod graves morbos habet, unde & tunc omnia arborum folia defluunt. Ut autem autumnus abundat morbis, facit autem finem frigoris, & caloris, & pugnantia intra ſe contrariorum.

De Solſtitiis & Æquinoctiis.

XXIX. Solſtitia duo ſunt. Primum hyemale VIII. Kal. Janu., quod Sol ſtat, & creſcunt dies, & eſt ipſa die in Bethleem Nativitatis D.N. Jeſu Chriſti ſecundum carnem. Alterum æſtivale VIII. Kal. Jul., quod Sol ſtat, & creſcunt noctes, & eſt ipſa die in Provincia Palæſtinæ civitate Natale S. Johannis Baptiſtæ, & in Epheſo S. Johannis Euangeliſtæ. Hiſce contraria duo Æquinoctia ſunt, unum vernale ſecundum Latinos VIII. Kal. Apr., & ſecundum Græcos XI. Kal. Apr., ex quo dies creſcunt, & ipſa die in Hieroſolyma D. N. J. C. Crucifixus fuit; & eſt Conceptio Sanctæ Dei genetricis Mariæ, quando ſalutata eſt ab Angelo. Alterum Autumnale VIII. Kal. Octobr., ex quo dies minuuntur, & fuit in Macheronte Caſtello Conceptio S. Johannis Baptiſtæ.

Item de Solſtitiis, & Æquinoctiis.

XXX. Solſtitium dictum quaſi Solis ſtatio, quod tunc Sole ſtante creſcunt dies, vel noctes. Duo ſunt autem Solſtitia, unum hyemale VIII. Kal. Janu., quo tempore Sol altiores incipit circulos petere. Aſcendit unoquoque die duo momenta, & medium, & ſextam partem momenti. Alterum æſtivale VIII. Kal. Jul., de quo tempore remeare Sol ad inferiores incipit circulos; deſcendit unoquoque die duo momenta, & medium, & ſextam partem momenti, unde hyemali Solſtitio dies minimus, ſicut æſtivo maximus invenitur. Item duo ſunt Æquinoctia, unum vernale, & alterum autumnale, quæ Græci ἰσημερίας vocant. Æquinoctium appellatum, quod tunc dies, & nox horarum ſpatia æqualia conſtituunt. Sunt autem Æquinoctia die XI. Kal. Apr. alterum Autumnale VIII. Kal. Octobr. quia annus olim in duas partes tantum dividebatur, hoc eſt in hyemalem & æſtivum. Solſtitium in duo Hemiſpheria ideſt dici *

De Solſtitiis.

XXXI. Si ſapere vis duo Solſtitia per XII. ſigna quomodo creſcit dies, & nox per momenta & horas, Solſtitia duo ſunt, hyemale VIII. Kal. Janu. alterum æſtivale VIII. Kal. Jul., quod aſcendit ſol, & deſcendit. Si hoc ſcire vis, ita inveſtigandum eſt a XII. Kal. Januar. uſque in XI. Kal. Jul. dies incipit creſcere in unaquaque die duo momenta, & medium, & ſextam partem momenti, ideſt duas tertias momenti. Primo ſigno ideſt a XII. Kal. Janu. uſque in

in XIV. Kal. Febr. fiunt momenta LXXX., & ipſa momenta faciunt horas duas, & ſunt dies XXX. Secundo ſigno, ideſt a XIII. Kal. Febr. uſque in XII. Kal. Mart. fiunt momenta LXXX., & ipſa momenta faciunt horas duas diebus XXX. Tertio ſigno, ideſt ab XI. Kal. Mart. uſque in XI. Kal. Apr. fiunt momenta LXXX., ipſaque momenta faciunt horas duas diebus XXXI. In his tribus ſignis in unoquoque ſigno tricenis diebus, & uno die addito, hoc eſt XCI. tot dies ſunt, momenta CCXL., & ipſa momenta faciunt horas VI. a XII. Kal. Janu. uſque in XI. Kal. Apr., & tunc Æquinoctium vernale diebus, & noctibus, & momentis, & horis æqualibus conſiſtit. Quarto ſigno, ideſt a X. Kal. Apr. uſque in XI. Kal. Mai. fiunt momenta LXXX. & ipſa momenta faciunt horas duas diebus XXX. Quinto ſigno, ideſt a X. Kal. Mai. uſque in XI. Kal. Jun. fiunt momenta LXXX., ipſaque momenta faciunt horas duas diebus XXXI. Sexto ſigno, ideſt a X. Kal. Jun. uſque in XI. Kal. Jul. fiunt momenta LXXX., horæ duæ diebus XXX. Et ita tribus Signis, hoc eſt ab Æquinoctio vernali uſque ad Solſtitium æſtivum, ideſt ab XI. Kal. Apr. uſque in XI. Kal. Jul. XCI. tot dies ſunt momenta CCXL., & ipſa momenta faciunt horas VI. in VI. Signis fit ſumma ad creſcendum momentorum CCCLXXX. horarum XII.

Incipit in nocte Solſtitium æſtivum, quod nox creſcit, & dies minuitur. Creſcunt autem in unaquaque nocte duo momenta, & medium, & ſextam partem momenti, ideſt duas tertias momenti. Septimo ſigno ideſt a X. Kal. Jul. uſque in XI. Kal. Aug. fiunt momenta LXXX. horæ duæ diebus XXXI. Octavo ſigno ideſt a X. Kal. Aug. uſque in XII. Kal. Septembr. fiunt momenta LXXX. horæ duæ, dies XXX. Nono ſigno ideſt ab XI. Kal. Septemb. uſque in XII. Kal. Octobr. fiunt momenta LXXX., horæ duæ dies XXX. Et ita in tribus ſignis a Solſtitio æſtivo uſque ad æquinoctium autumnale in unoquoque ſigno dies XXX., & uno addito die fiunt XCI. dies. Sunt autem momenta CCXL. horæ VI. a X. Kal. Jul. uſque in XII. Kal. Octobr., & tunc Æquinoctium Autumnale diebus, & noctibus, momentis, & horis æqualibus conſiſtit. Decimo ſigno ideſt ab XI. Kal. Octobr. uſque in XII. Kal. Novemb. fiunt momenta LXXX. horæ duæ diebus XXX. Undecimo ſigno ideſt ab XI. Kal. Novemb. uſque in XII. Kal. Decemb. fiunt momenta LXXX. horæ duæ diebus XXX. Duodecimo ſigno ideſt ab XI. Kal. Decembr. uſque in XI. Kal. Jan. fiunt momenta LXXX., horæ duæ diebus XXX. In his tribus Signis in unoquoque ſigno tricenis diebus, & uno die addito fiunt XCI. dies, momenta CCXL. horæ VI. ab XI. Kal. Jul. uſque in XI. Kal. Janu. In noctibus ad creſcendum fiunt momenta CDLXXX., horæ XII. In toto anno dies CCCLXV. momenta DCCCCLX. horæ XXIV.

Item de Temporibus Menſium.

S. Auguſtinus Epiſcopus adloquitur de annis. A V. Id. Febr. uſque in V. Id. XXXII.
Maii tempus vernum eſt, dies ſunt XCI. A V. Id. Mai. uſque in V. Id. Aug. tempus æſtatis eſt, dieſque ſunt XCI. A V. Id. Aug. uſque in V. Id. Novemb. tempus autumni eſt, dieſque ſunt XCII. A V. Id. Novemb. uſque in V. Id. Febr. tempus hyemis eſt, dieſque ſunt XCI. Decemb. Janu. Febr. hyems eſt, Mart. Apr. Mai. tempus vernum eſt. Jun. Jul. Aug. æſtas eſt. Septemb. Octob. Novemb. tempus autumni eſt.

De Momento.

XXXIII. Momentum Græcum eſt. Anatholius Græcus Epiſcopus dixit: Per XV. dies Sole aſcendente per ſingula momenta, ideſt per IV. in una die ab XI. Kal. Janu. uſque in XI. Kal. Apr. hora diminuitur, & dimidio. Unum verò punctum facit X. momenta. Duo puncta faciunt XX. momenta. Tria puncta faciunt XXX. momenta; Quatuor puncta faciunt XL. momenta. Iſta quadraginta momenta faciunt unam horam. Sex horæ faciunt unum quadrantem. Quatuor quadrantes per quatuor annos faciunt diem, & noctem.

Item de Momentis.

XXXIV. Momentum a velocitate dictum eſt, quaſi motus mentis. Nihil enim aliud velocius habemus motione mentis, ex quibus duobus nominibus momentum nomen accepit. Minutum vero dictum eſt, quaſi aliquid minutum, etenim minuo verbum activum tertiæ conjugationis correptæ invenitur, & exinde participia minutus minuta minutum derivantur, quod ut nomen aliquod accipitur ad parvitatem pertinens, ut per ejus etymologiam dignoſcitur. Punctus autem a punctione etymologiam nominis accepit, quia fit pungor, & inde punctus puncta punctum. Hoc autem nomen a Græcis definitur. Eſt igitur Punctum intervalli principium, & natura inſecabile, quod Græci Atomum vocant, ideſt ita diminutum atque parviſſimum, ut ei par inveniri non poſſit unum non de numero * puncto dicitur. Interrogandus eſt denique quot momenta, vel quot minuta, aut quot puncta in unaquaque hora inveniantur. XL. vero momenta, & X. minuta, quatuor quoque puncta in unaquaque hora fiunt, quia in IV. momentis in uno minuto duo quoque minuta, & dimidium in puncto implicantur. In XXIV. horis diei, noctiſq; DCCCCLX. momenta, minuta autem CCXL. puncta verò XCVI. computari dicuntur. In hebdomada verò momenta $\overline{\text{VI}}$. Mil. DCCXX. minuta MDCLXXX. puncta DCLXXI. eſſe creduntur. Sume adſpirationem, ut alii quaſi de * milite dicta, eo quod ſunt diei noctiſq; limites. Lunę * a meridie uſq; ad meridiem dies dictus fit, qui dies jucundus ſit, ſive dividendo lucem, & tenebras dies Solis ab ortu Solis uſque ad ortum diei. Numerus a numerando nomen accepit, aut de Numeria Dea. Eſt collectio unorum, ut Auguſtinus ait, qui cum duo ſint ſinguli, & plus quatuor ſunt, quibus conſtat definitio numeri, & quo hæret. numerus XC. mil. murias * initium anni Lunaris ab initio primi menſis apud Hebræos, & ita ſecundum regulam Eccleſiæ. Græci autem enumerant annum a XV. uſque in XIV. præter decemnovennalem Cycli annum, qui incipit a XIV. propter commutationem Lunæ.

Item de momentis ad Biſſextum.

XXXV. Momentum Græcum eſt, Latinum dicitur minimum, atque anguſtiſſimum tempus a motu ſiderum dictum; eſt enim extremitas horæ in brevibus intervallis, cum aliquid ſibi cedit, atque ſuccedit. Anatholius Alexandrinus Laoditiæ civitatis Græcus Epiſcopus dixit: Per medium ſignum, ideſt per XV. partes, & fiunt XV. dies Sole aſcendente per momenta, idque in unoquoque die a XII. Kal. Janu. uſque in XI. Kal. Apr. aſcendit uno-

noquoque die duas partes momenti. In primo ſigno momenta XX. fit media hora dies XXX. In ſecundo ſigno momenta XX. In tertio ſigno momenta XX. In his tribus ſignis a XII. Kal. Januar. uſque in XI. Kal. Apr. fiunt momenta LX. Ipſa momenta faciunt horam unam, & mediam, dies XC. a XII. Kal. Janu. uſque in XI. Kal. Apr. hora diminuitur, & dimidia de tenebris creſcit in lumine. Item tria Signa a X. Kal. Apr. uſque in XI. Kal. Jul. fiunt momenta LX. hora una, & media, dies XCI. Iterum tria ſigna a X. Kal. Jul. uſque in XII. Kal. Octob. fiunt momenta LX. hora una & media, dies XCI. Itemque tria Signa ab XI. Kal. Octob. uſque in XI. Kal. Janu. fiunt momenta LX. hora una, & media, dies XCII., & fiunt in anno XII. ſigna, dies CCCLV., momenta CCXL., & ipſa momenta faciunt horas VI., & ipſæ horæ faciunt unum quadrantem, quatuor quadrantes per IV. annos faciunt diem & noctem, quia VI. horæ quadragies ductæ faciunt horas XXIV., & ipſæ horæ faciunt diem, & noctem, qui additur VI. Kal. Mart.

Ad Biſſextum inveniendum per XII. ſigna.

Si vis cognoſcere, quomodo biſſextus creſcit ſingulis annis, & menſibus, & diebus Solis curſu per XII. ſigna in unoquoque ſigno media hora ex duobus punctis, & ipſa media hora facit XX. momenta. Da unicuique diei ex XXX. diebus duas partes momenti. Secundo die momentum unum & tertiam partem momenti. Tertio die mom. II. Quarto II. & II. part. momenti. Quinto momenta III. & III. par. mom. Sexto mom. IV. Septimo mom. IV. & duas partes mom. Octavo mom. V. & III. partem momen. Nono momenta VI. Decimo mom. VI. & duas partes mom. Undecimo mom. VII. & tert. part. mom. Duodecimo die mom. VIII. Decimotertio mom. VIII., & II. partem mom. Decimo quarto mom. IX. & tertiam partem mom. Decimo quinto mom. X. Decimo ſexto mom. X. & II. partes mom. Decimoſeptimo mom. XI. & tertiam partem mom. Decimo octavo mom. XII. Decimonono mom. XII. & II. partem mom. Vigeſimo mom. XIII & III. partem mom. Vigeſimo primo mom. XIV. Vigeſimo ſecundo mom. XIV. & II. partem mom. Vigeſimo tertio mom. XV. & III. partem mom. Vigeſimo quarto mom. XVI. Vigeſimo quinto mom. XVI. & II. partem mom. Vigeſimo ſexto mom. XVII. & III. partem mom. Vigeſimo ſeptimo mom. XVIII. Vigeſimo octavo momen. XVIII. & II. partem mom. Vigeſimo nono mom. XIX. & III. partem mom. Trigeſimo die mom. XX. XXXVI.

Hæc in unoquoque Signo fit ſumma momentorum XX. & ipſa momenta faciunt mediam horam, & dies XXX. Secundo ſigno mom. XX. ex dimidia hora, ibi XXX. dies. Tertio ſigno mom. XX. ex dimidia hora, ibi XXX. dies, & ſic de ſingulis. Hæc XII. Signa faciunt DCCCLX. momenta. CCXL. ipſa momenta faciunt horas VI. & ipſæ horæ faciunt unum quadrantem in uno anno, & quadragies ductæ per IV. annos faciunt horas XXIV., quod eſt unus dies naturalis, quem Latini biſſextum vocant.

Ad quinque dies intercalares inveniendos per XII. Signa.

Si noſſe vis, quomodo adcreſcunt quinque dies intercalares ſingulis menſibus & diebus in uno anno Solis curſu per XII. Signa in unoquoque ſigno X. horæ creſcunt. Multiplico decem per decies fiunt C., quia una hora decem minuta facit. Multiplica decem per decies, fiunt C. minuta. Da XXXVII.

 uni-

unicuique diei ex XXX. diebus tria minuta, & tertiam partem minuti, quia omni die ex XXX. diebus adcreſcunt III. minuta, & tertia pars minuti. Primo anno p.* biſſextus initium prima hora noctis in primo ſigno intret in Arietem in unoquoque die ex XXX. diebus creſcunt tria minuta, & tertia pars minuti. Secundo die VI. momenta, & ſecunda pars minuti. Tertio X. minuta. Quarto XIII. minuta, & tertia pars minuti. Quinto XVI. min., & ſecunda pars min. Sexto XX. min. Septimo XXIII. min., & tertia pars min. Octavo XXVI., & duas partes minuti. Nono XXX. min. Decimo XXXIII. min., & tertia pars min. Undecimo XXXVI. min., & II. part. min. Duodecimo XL. min. Decimotertio XLIII. min., & tert. part. min. Decimoquarto XLVI. min. & II. part. min. Decimoquinto L. min. Decimoſexto LIII. min., & III. part. min. Decimoſeptimo LVI. min., & II. part. min. Decimo octavo LX. min. Undevigeſimo LXIII. min., & tert. part. min. Vigeſimo LXVI. min., & duas partes min. Viceſimo primo LXX. min. Vigeſimo ſecundo LXXIII. min., & II. part. min. Vigeſimo tertio LXXVI. min., & II. part. min. Vigeſimo quarto LXXX. min. Vigeſimo quinto LXXXIII. min. & III. part. min. Vigeſimo ſexto LXXXVI. min., & II. part. min. Vigeſimo ſeptimo XC. min. Vigeſimo octavo XCIII. min. & III. part. min. Undetrigeſimo XCVI. min. & duas partes min. Trigeſimo die C. minuta.

Hæcque unum Signum integrum, & fit ſumma centum minutorum. Ipſa minuta faciunt horas X., & XXX. dies. Similis numerus in XII. Signis; in unoquoque ſigno C. minuta, ipſaque minuta faciunt horas X. & XXX. dies. Hæc XII. Signa faciunt dies CCCLX., horas CXX. ipſæ horæ faciunt minuta MCC. Partire CXX. horas per XXIV., & fiunt quinquies XXIV., quod ſunt V. dies qui dicuntur Intercalares, & erunt totius anni dies CCCLXV.

De Punctis.

XXXVIII. Unus punctus quarta pars horæ eſt. IV. puncti faciunt unam horam. Unus punctus facit X. mom. IV. puncti XL. mom. & iſta XL. mom. faciunt unam horam. Et VI. horæ in uno anno faciunt unum quadrantem, & IV. quadrantes in IV. annis faciunt diem, & noctem, & ipſi IV. quadrantes ideſt VI. quater ducti faciunt horas XXIV., & eſt unus dies ex XXIV. horis, qui dicitur biſſextus, quia bis legitur VI. Kal. Mart.

Unus punctus facit duo minuta, & medium. Duo Puncti V. minuta IV. puncti X. minuta. ipſa minuta faciunt unam horam. XL. puncti faciunt horas X. & faciunt ipſæ horæ C. minuta. Ipſa minuta quater ducta faciunt CD. minuta, quia unum minutum quater ductum facit IV. minuta. In XII. menſibus ter. quater ducta faciunt minuta MCC. Ipſa minuta quater ducta faciunt momenta MMMMDCCC. ex CCCLX. diebus in uno anno.

De Diebus anni.

XXXIX. Unus annus habet dies CCCLXV., & inter dies & noctes VIII. mil. DCCLX. Fac ex ipſis ſeptem partes millenas, remanent MDCCLX. Ex ipſis fac ſeptem partes ducentenas, remanent CCCLX. Fac ex ipſis ſepties quinquagenes, ſuperſunt X. Ex his fac ſepties unum, ſuperſunt tres horæ, quæ faciunt in IV. annis diem unum, qui additur VI. Kal. Mart.

De Ratione Biſſexti.

Annus habet menſes XII. Hebdomadas LII. & diem unum, & quando biſſextus evenerit, dies duos, & habet ipſe annus horas MDCCLXX., & habet punctos MXXXV., & inſuper horas XL. Ipſas horas divide in VII. partes, ſeptima pars ex ipſis horis ſunt horæ MCCLX., & de ipſis remanent horæ tres extra portionem horarum, & ipſæ tres horæ faciunt biſſextum. XL.

Item de Biſſexto.

In menſibus XII. adcreſcunt puncti XII. in anno uno, qui faciunt horas III. In alio anno horas III. In tertio horas III. In quarto anno horas III., & ipſæ horæ faciunt horas XII. Et VI. Kal. Mart. faciunt diem unum, & ipſam diem menſis Februarius, quando biſſextus evenerit, accipit. XLI.

Item de Biſſexto.

Biſſextum non ob illum diem fieri, ut quidam putant, cum Joſue Solem orabat ſtare, credendum eſt, quia ille dies fuit, & præteriit. Sed ob hoc dicitur biſſextus, quod in unoquoque menſe punctus unus adcreſcat. Punctus verò unus quarta pars horæ eſt. Quatuor verò puncti unam horam faciunt. XII. verò puncti tres horas explent. Ergo in IV. annis quatuor ternæ horæ, quod ſunt XII. diem faciunt unum qui additur Februario, cumque VI. Kal. Mart. habuerit, & ut in craſtino ſic habeat. V. G. ſi hodie VI. Kal. Mart. additur ille dies, qui quarto anno expletus eſt, ut & in craſtino ſic habeat VI. Kal. Mart. Et ideo biſſextus dicitur, quia bis legitur VI. Kal. Mart. XLII.

Item de Biſſexto.

In ſex diebus fecit mundum Deus, in ſeptimo requievit. Ergo ut plenius intelligatur compotus, vide quot horas habeat unus annus, & divide illas in ſeptem partes, quotquot remanent exinde. Primum computa dies CCC. quomodo horas decies centeni ſunt $\overline{\text{iii}}$. Bis trecenteni DC. fiunt. In CCC. dies $\overline{\text{iii}}$DC. fiunt. Iterum facies decem ſexagen. CXX. fiunt horæ DCCXX. Iterum facies quinquies decem, fit L. & bis quinque fit X. Ecce habebis LXV. dies. Fiunt ſimul inter dies, & noctes horæ in toto anno $\overline{\text{viii}}$DCCLX. Divide illas in VII. partes. Primum facies ſepties mille, remanent MDCCLX. Iterum facies ſeptem CC. fiunt MCCCC. Iterum facies ſepties quinquagent. fiunt CCCL., remanent X. Iterum facies ſeptuag. VII. remanent III. Iſtę III. horæ faciunt unum diem in IV. annis. XLIII.

Anni Ogdoas habet horas $\overset{n}{\overline{\text{LXX}}}$LXXX. Anni Endecas habet horas $\overset{m}{\overline{\text{XCV}}}$CCCLX.

Fiunt inſimul Ogdoas & Endecas $\overset{m}{\overline{\text{CLXV}}}$DCCCC.

Item de Biſſexto.

XLIV. Quare ſit Biſſextus, & quomodo ſit, & quid eſſet, ſi non fuiſſet? Quare, ideſt quia non implent CCCLXV. dies Solarem annum, niſi fuiſſet quadrans. Fit quadrans per totum annum, & menſem, & diem. Primo anno incipit quadrans a ſolis ortu uſque in medium noctis. Incipit quadrans anno ſecundo a dimidio noctis uſque ad ſolis ortum. Quadrans tertio anno uſque ad ſextam horam. Quadrans quarto anno a ſexta hora uſque ad ſolis occaſum. Turbaretur ordo temporum, ſi non fuiſſet quadrans. Quadrans namq; dicitur quarta pars diei naturalis, vel cujuslibet rei: & ideo quarta pars diei, quia XXIV. horis cum ſua nocte completur, ideo horas VI. quadrantem vocare ſolemus. Quare Biſſextus VI. Kal.Mart. intercaletur? Reſpondetur, ob hoc Biſſexti diem in menſe Februar. placuit intercalari Romanis, quia hic brevior ceteris extremus anni menſis erat. Verum ideo nondum explete* eo quemadmodum Ægyptii, & Græci decurſo totius anni circulo facere volebant, & omnino deciſa lege ſua veter. initium Martii menſis a Febr. fine ſejungere, ideo non a VI. Kal. Mart. die quem terminum colentes Terminalia ſacraque XXIII. menſis ejuſdem die ſemel inſtituerant, & alium diem mutare prorſus non audebant. Sed hi ſunt* rite celebrantes unum quadrantem interponebant diem.

Item de Solſtitio, & Æquinoctio.

XLV. Solſtitia duo ſunt. Primum hyemale VIII. Kal. Janu., quo Sol ſtat, & creſcunt dies, & eſt ipſa dies Nativit. D. N. J. C. ſecundum carnem. Alterum æſtivale VIII. Kal. Jul. quo Sol ſtat, & creſcunt noctes, & eſt in Provincia Paleſtinæ Natale S. Jo. Baptiſtæ. His contraria duo Æquinoctia ſunt. Unum vernale ſecundum Latinos VIII. Kal. Apr., ſecundum Græcos ab XI. Kal. Apr., quia S. Synodus non permittit ut illi tres dies, ideſt quinta feria, in qua Dominus a Judæis comprehenſus eſt, & ſexta, in qua crucifixus eſt, & ſeptima Feria, quando jacuit in ſepulcro, foras terminum excludantur. Et tunc incipiunt creſcere dies. In ipſa Dominus noſter J. C. Crucifixus, & eſt Conceptio S. Dei Genetricis Mariæ, quando ſalutata eſt ab Angelo. Alterum autem autumnale VIII. Kal. Octob. ex quo dies minuuntur, & fit in Macheruntæ Caſtello conceptio S. Jo.Baptiſtę & Martyris In iſtis enim quatuor temporibus, ideſt vere, æſtate, autumno, & hyeme univerſus annorum ordo currit, per quos certiſſime Conceptionis, & Nativitatis Domini, & Salvatoris noſtri, nec non S. Præcurſoris Joannis pleniſſime dignoſcuntur.

De ſaltu Lunæ.

XLVI. Saltum Lunæ anno primo decemnovennali ponunt pro eo, quod ideo ultimus annus decemnovennalis Epacta Lunaris decemnovennalis tunc retinens anno I. decemnovennali non XI. dies ut in cæteris annis ſolet fieri, ſed XII. dies accommodat. Et quia XXX. dierum fine volvuntur, nullę Epactę in principio ipſius ponuntur; ſecundo autem anno Epactas ſuſcipit. Unde autem ſumant exordium, dicendum eſt. Fac de ann· ſolari, qui habet dies CCCLXV. annum communem, qui habet dies CCCLIV. hoc modo: prius ſubtrahe CCC. remanent LXV. Iterum tolle L. remanent XV. itemque ſubtrahe IV. re-

remanent XI. Inde ſumunt exordium, & inde multiplicant ceteræ Epactæ. Saltus autem Lunæ ideo in XIX. annis protenditur, quia ſicut ſolis curſu adcreſcit dies, quæ fit per puncta, & momenta, & quadrantes, quæ in IV. annis facit biſſextum, ita per Lunæ curſum XIX. annis decreſcit nox, quæ facit Lunę ſaltum; Luna enim tardiorem habet curſum, quam ſol, quia ſol propter velocitatem ſui curſus ab ea prolongat ſpatium.

De Lunæ curſu.

Omnes igitur Lunares curſus ſecundum Hebræorum Ægyptiorumque ſupputationem poteſt facere juxta naturalem curſum per ſingulos menſes dies XXIX., & ſemiſſem, & dimidium horæ, & X. pæne momenta. Omnis namque dies & Lunæ computatione, non eodem numero cum mane incipit, ad veſperam finit, quę dies quæ * mane in Luna minus ad * ſexta, & dimidium horæ horam XIV. adnumeratur. Idem veſperam * XIV. invenitur. in quo manifeſtè dicere videtur in XXIX. diebus, & ſemiſſe, ideſt VI. horis, & dimidio horæ, ideſt XX. momentis Lunarem curſum finiri, additis tamen ut ſupra dictum eſt X. pæne momentis, & tunc ad alteram Lunam incipit prima. Kalendæ à Colendo dictæ, vel a calo ideſt voco. Aſtr. logus vocabat populum, ut viderent aſcenſionem Lunæ, ideſt initium primæ Lunæ, vel ſtellarum curſum, quæ ante, vel quæ retro currerent. Nonæ, ideſt nundinæ, negotium, mercatum. Inter IV. Non. vel VI. Non. ideo diviſerunt, ut non ſcirent Latrones mercatum illorum, quando eſſe deberet, quia reponebant ſe in ſilvis, & in ſecretis locis juxta viam, & venientes ad mercatum occidebant, vel prædabant. Idus, ideſt ab edendo dictæ, vel ſpecies menſis ſequentis. Per ann. VIII. in Nicæna ſynodo computaverunt XIV. Lun. & iterum per annum XVIII. computaverunt ſine quadrante, & non revertebantur in ſe niſi in annum * addidiſſent, nec concordabat Solis curſus cum Lunæ curſu, & ideo in Ogdoadem, & Endecadem diviſerunt circulum decemnovennalem. Indictio dicta juxta cenſum Romanorum, & non juxta V. dies intercalares Ægyptiorum. Indictiones VIII. Kal. Apr. incipiunt in capite annorum * V. Romam reveniebant ſemper cum cenſu, capite autem XV. revertebantur in primum ordinem. Si autem de auro eſſet forma Cæſaris, aurum dabant, ſi argentum, argentum, ſi æs, æs erat. XLVII.

De interrogatione XIX. annorum Cycli.

Prima igitur ratione debeas interrogare de XIX. annorum cyclo. ſecundo quomodo Luna per Kal. menſium. Tertio qualiter Luna in ſuo menſe habeat numerum. Quarto quali die & Luna ſit Paſchalis ſolemnitas. Quinto quomodo Paſcha memoriter computandum. Sexto de Lunæ accenſione, & Solis deſcenſione. Septimo reſponſum his qui diſcordant in Paſchæ compoto. Licet omnis homo quoad compunctionem cordis, ſalutemque animæ pertinet, hæc debet meditari. Quæ c mpotum ſcire vult, debet inſtare, qualiter Sancti viri in Paſchali Dominica Reſurrectionis feſtivo ordine celebranda inquirentes pervenerint.. Non eſt igitur hoc otioſum ſcire, vel quemadmodum illi cyclum ſcripſerunt, & ad ipſam intelligentiam pervenerunt. XLVIII.

De Menſibus.

XLIX. Quibus modis dicuntur Menſes IV. quomodo ſub Idolis, ſub rebus, ſub Regibus, ſub numeris? Januarius quibus modis dicitur? duobus, ſub Idolo, & ſub re. Sub Idolo dicitur, eo quod a Jano pagano accepit nomen, & bifrons fuit. Et ſub re dicitur, quia ſicut homo ingreditur per oſtium in domo, ita anni ingrediuntur per iſtum Januarium. Febr. quibus modis dicitur? duobus, ſub idolo, & ſub re. Sub Idolo erat generatio, quæ appellabatur Luperci, vel Lurconis, quia omnes immunditiæ, quæ per totum annum fiebant, vel lavabant eorum corpora, niſi tantum in iſtum Februarium, & ſic febrizabant in aqua frigida. Et ſub re dicitur, eo quod omnes creaturæ Dei omnes conjunguntur in eo. Martius ſub idolo accepit nomen, & a Marſo pagano, ita & dies Martis. Aprilis ſub re dicitur, & ab aperiendo dicitur eo quod aperit mundum, & floret in eo. Majus a Maja matre Mercurii accepit nomen, vel a Majorum ſapientia Romanorum. Junius a Juniorum ſapientia Romanorum. Julius Cæſar, & Auguſtus ad dignitatem acceperunt nomina. Sept. Oct. Nov. & Decemb. a numero acceperunt nomina. Sept. quia ſeptimus a menſe Martio; Octob. quia octavus; Nov. quia nonus; & Decemb. eo quod decimus, & imber pluviæ eſt.

De Luna Paſchali.

L. Luna in Paſcha non poteſt fieri minor, quam XV., major quam XXI. In Quadrageſima verò minor non poteſt fieri quam III. nec major quam IX., niſi Biſſextus evenerit. in Rogationibus minor non poteſt fieri, quam XXII. nec major quam XXVIII. In Pentecoſte minor non poteſt fieri, quam Quinta, nec major quam XI. Si fuerit in Paſcha Luna XV. in Quadrageſima erit III. in Rogationibus XXII. in Pentecoſte V. Et quantos dies creverit in Paſcha, tantos creſcit in Quadrag. ſimiliter in Rogation. ſeu in Pentecoſte.

Argumentum ad initium Quadrageſimæ inveniendum.

LI. Quantos dies Paſcha fuerit ante prid. Kal. Mart., in Febr. habebis Quadrageſimam, & quantos dies poſt prid. Id. Apr. habueris Paſcha, tantos dies poſt Kal. Mart. habebis Quadrageſimam, Et ſi prid. Id. Apr. habueris Paſcha, Kal. Mart. habebis Quadrageſimam.

Item ad Rogationes inveniendas.

LII. Quantos dies ante Kal. Apr. habueris Paſcha, tantos dies ante Non. Maj. habebis Rogationes. Et quantos dies prid. Kal. Apr. habueris Paſcha, tantos dies prid. Non. Maj. habebis Rogationes, & ſi evenerit ut Kal. Apr. habueris Paſcha, Non. Maj. habebis Rogationes.

Item ad Pentecoſtem inveniendam.

Quantos dies ante Kal. Apr. habueris Paſcha, tantos dies ante XIII. Kal. Jun. habebis Pentecoſtem, & quantos dies prid. Kal. Apr. habueris Paſcha, tantos dies p.ſt XIII. Kal. Jun. habebis Pentecoſtem. Et ſi evenerit ut Kal. Apr. habueris Paſcha, XIII. Kal. Jun. habebis Pentecoſtem. LIII.

De Suppotationibus.

Subpotatio Euſebii, Hieronymi ab Adam, uſque ad Diluvium anni $\overset{m}{\overline{\text{II}}}$CCLII. LIV.
A diluvio uſque ad Abraham anni CMXLII. Ab Abrahamuſque ad Moyſen anni DV. a Moyſe uſque ad Salomonem, & primam ædificationem templi, anni CDLXXXVIII. In * ſecundum minorem quæ tertius Regnorum liber continet jam juxta judicium anni DCL. A Salomone uſque ad inſtaurationem templi quæ ſub Dario Rege facta, colliguntur anni DXII. Porro a Dario uſque ad prædicationem D. N. J. C., & uſque ad XV. annum Tiberii primus * explentur anni DXLVIII. Itaque fiunt ſimul ab Adam uſq; ad prędicationem Chriſti & XV. Tiberii anni $\overset{m}{\overline{\text{V}}}$CCXXVIII. Ætas proprie duobus modis dicitur; aut enim homines ſic infantia, juventus, ſenectus. Aut mundi ab Adam uſque ad Noe. Secunda a Noe uſque ad Abraham. Tertia ab Abraham uſque ad David. Quarta a David uſque ad tranſmigrationem Judææ in Babyloniam. Quinta deinde uſque ad adventum Salvatoris. Sexta quæ nunc agitur uſque quo mundus iſte finiatur.

Si vis ſcire annos ab initio mundi multiplica quindecies, CCCC. & XV. & X. & XV. IX. Adde indictionem ejuſdem anni, & partire per XV. partem.

De Termino Paſchali.

Si vis invenire ſubito, quotus terminus Paſchalis ſit, ſi in menſe Martio evenerit terminus, tene de Martio regulares XXXVI. ſubtrahe Epactam Lunarem ipſius anni, & quotquot dies poſt ſubtractam Epactam de ipſo numero remanſerunt, collige numero in articulis, & in quo datarum evenerit, talem habebis terminum. Si autem in menſe Aprili terminus incurrerit, tene de Aprili regulares XXXV., & de ipſis regularibus XXXV. Eodem modo calculabis, quo ſuperius diximus. Quod ſi Menſe Martio poſt deductam Epactam XXX. tantum remanſerint, XXX. die Kal. Mart., ideſt III. Kal. Apr. habebis terminum. Incipiente autem anno primo Decemnovennali in menſe Apr. Epactam minime habes, quod recedas de ipſis regularibus XXXV. De Aprili recede XXX., remanent V. Quinto die de menſe Apr. ideſt Non. Apr. habebis terminum, & ſic omnibus annis. LV.

De Hebdomada.

Hebdomada apud Græcos, & Romanos VII. dierum curſu peragitur. LVI.
Apud Hebræos autem VII. anni ſunt. Declarat hoc Daniel de hebdomadibus. Hebdomada autem feriis conſtat. Feria quoque a fando dicta, quaſi fari, eo quod in creatione mundi per ſingulos dies dixit Deus: Fiat. I-

tem

tem quia dies Sabbati ab initio feriatus habetur, inde dies Solis prima Feria nuncupatur, quia primus eſt a Feria. Item Luna perinde ſecunda Feria, quia ſecundus eſt a Feria, ideſt a Sabbato, quod eſt feriatum. Sic & ceteri dies alii ex numero ſumpſerunt vocabula. Apud Romanos autem hi dies a planetis, ideſt erraticis ſtellis nomina acceperunt. Primus enim dies a Sole vocatus, qui princeps eſt omnium ſiderum, ſicut & idem dies caput eſt cunctorum dierum. Secundus a Luna, quæ Soli ſplendore proxima eſt, & magnitudine, atque ex eo nutrit lumen. Tertius a ſtella Martis, quæ Veſper vocatur. Quartus a ſtella Mercurii, quam quidam candidum circulum dicunt. Quintus a ſtella Jovis, quam Feton dicunt. Sextus ab ſtella Veneris, quam Luciferum aſſerunt, quæ inter ſidera plus lucis habet. Septimus a ſtella Saturni, quæ * ſexto cœlo collocata XXX. * annis fertur explere curſum ſuum. Proinde autem Gentiles ex his ſeptem ſtellis nomina diebus dederunt, eo quod per eoſdem aliquid ſibi effici exiſtimarent dicentes: habere ex Sole ſpiritum, ex Luna corpus, ex Mercurio linguam, & ſapientiam, ex Venere voluntatem, ex Marte fervorem, ex Jove temperantiam, ex Saturno tarditatem. Talis quippe extitit Gentilium ſtultitia, qui ſibi finxerunt tam ridiculoſa figmenta.

Item de Hebdomada.

LVII. Hebdomada dicta eſt a Græca appellatione, quaſi Hebdom a numero VII. dierum dicta. Hebdomada enim apud Græcos VII. adeſt * dies Veteres dicebant. Inde dicitur Hebdomada, & reliquæ hebdomadæ. Apud Græcos & Latinos ſeptem dierum curſu peragitur, apud Hebræos VII. annis dicebant. Hoc Daniel de Septuaginta Hebdomadibus, ideſt ab exitu ſermonis, & exultationis captivitatis de Babylonia ſub Eſdra, & Nimian, & Zorobabel ſeptuaginta Hebdomadæ. ideſt ſeptem vicibus ſeptuaginta anni ſunt, quæ efficiunt CDXC., quod ſpatium fuit a reditu captivitatis Babyloniæ uſque ad Nativitatem Chriſti. Et idcirco ſeptem diebus Hebdomada completur, quoniam ſcilicet univerſitatem creaturarum VI. diebus Deus operatus eſt, in ſeptimo requievit. Prima die condidit lucem, ſecunda firmamentum, tertia mare & terras, quarta ſidera, ideſt Solem & Lunam, quinta volucres & reptilia, ſexta hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, ſeptima die requievit ab omnibus operibus ſuis. Nomina dierum Hebdomadæ ſecundum Hebræos duobus modis dicuntur, ideſt ordinem, & requiem, hoc modo. Prima Sabbati, ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta Sabbati, Sabbatum. Secundum Græcos dictione, & ordine nuncupantur hoc modo: Prima feria, ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta, ſeptima feria. Secundum Latinos a diis Gentilium & reliquiæ nominantur. Habuerunt enim duos Deos cœleſtes, & quinque terrenos. Martem patrem Romuli, Mercurium Eloquentiæ, & ingenii dominum, Jovem virtutis, & humor * ejus idolum, Venerem libidinis, concupiſcentiæ, & omnis turpitudinis inventricem. Saturnum patrem Jovis, frugum, & ventorum moderatorem. His deluſa erroribus vetuſta Gentilitas, quæ propter frequentiam uſitandi nomina Deorum diebus ſæculi impoſuerunt. Sed propter eorum confuſionem hæc ipſa nomina Chriſtiani non mutaverunt, ut cum ſingulis diebus nominantur, ſingulis horis deſpiciantur tam ipſi, quam & cultores eorum.

Item

Item de Menſibus.

Menſis a menſura quadam nomen accepit, quoniam omnis menſis ſecundum Lunæ curſum XXIX. diebus, & ſemiſſe menſuratur. Menſes primitus in Lunari curſu reperti ſunt. & ab Hebræis hæc obſervatio primitus abſtracta eſt, apud illos enim primum Kalendæ, & Neomeniæ dictæ ſunt. Menes enim apud Hebræos Luna, vel Neomenia dicitur. Inde Neomenias novæ Lunæ obſervatione celebrant. Deinde apud Latinos Menſes Solares reperti ſunt. Arcades enim annum ſuum tribus menſibus numerabant, ideſt in nomine CXX. & uno diebus computabant. Archanenſes verò ſex, ideſt ſingulos menſes LXII. diebus computabant. Græci reliqui CCCLIV. annum proprium computabant. Incipiebat a Martio, computabatur menſibus XI. Romani verò auctore Romulo annum ſuum X. menſibus computabant. Incipiebant a Martio menſe, perficiebatur a Decembrio menſe diebus CCCI. Symphronius autem adjunxit unum menſem, qui dicebatur Februarius, qui & modò Februarus dicitur, & computabant annum CCCXXII. diebus. Aurelius Clepa addit menſem XXX. dierum, quem Græci Afronitem vocant, quem nos Aprilium dicimus, & computabatur annus hoc modo CCCLXIV. diebus. Numa Pompilius addidit unum diem in honorem paris numeri; & annum XII. menſibus, & quatuor temporibus per inciſionem duorum ſolſtitiorum, & duorum æquinoctiorum in numerando diſtinxit. Nomina menſium ſecundum Ægyptios ita dicuntur: Dius, Apollonius, & Dyneus, Filiſteus, Diſtreus, Artemiſius, Pharemeneus, Laus, Scurpeus, Iperventius. LVIII.

Item de Menſibus.

Menſis eſt luminis Lunaris circuitus, ac redintegratio, ſive nova ad novam, in cujus figura plerumque hujus vitæ curſus intelligitur, quæ ſuis incrementis quaſi menſis peragitur, eodem * nationibus ſuis certiſſimis terminatur. Menſem autem antiqui definierunt: quamdiu Zodiacum circulum perducit. Antiqui autem Gentiles Menſibus nomina quædam ex Diis ſuis, quædam ex cauſis ſuis, quædam verò ex numero impoſuerunt, incipientes a Martio, quia ex ipſo anni orientis ordinem ſervaverunt. Hunc enim Martium propter honorem Romuli ſic appellaverunt, quia Martis filium eum crediderunt. Aprilem verò nullo Deorum ſuorum nomine, ſed de re propria, quaſi Aprilem nominaverunt, eo quod tunc primum germina aperiantur in florem. Inde Menſem Majum pro Maja Mercurii matre, quam Deam æſtimaverunt, vel propter majores. Deinde Junium a Junone, quam ſororem, vel conjugem Jovis fuiſſe teſtantur. Alii autem ſicut majoribus, ita pro junioribus Junium vocari dixerunt. Item Julium a Julio Cæſare, Auguſtum vero ab Auguſto Cæſare Octaviano vocari dixerunt. Nam prius Julius Quinctilis, & Auguſtus Sextilis vocabantur, ſed eorum nomine a Cæſaribus Julio, & Auguſto ſunt commutata. Jam September, quod ſeptimus ſit a Martio, qui eſt principium Veris, ſimiliter quoque October, November, & December ex numero imbrium atque aeris acceperunt vocabulum. Porro Januarium ex nomine Jani vocaverunt, ſed ſpecialiter Januarius appellatur, eo quod janua ſit anni, atque principium. Februarium autem a Febribus Lupercorum ſacris appellarunt. Apud antiquos itaque Latinos X. menſibus curſus anni computabatur, ſed Januarium Romani, Februarium verò Numa Pompilius addidit, atque in XII. LIX.

men-

menſes diſtinxit. Plerique autem aſſerunt Cyminum Sabinorum Regem prius annum in menſibus diviſiſſe Id. Kal. & intercalares dies inſtituiſſe; in Codicibus autem ſanctarum Scripturarum XII. menſes fuiſſe in anno etiam ante diluvium oſtenduntur: Sic enim ibi legitur: *Aqua autem minuebatur uſque ad undecimum menſem. Undecimo autem menſe prima die menſis apparuerunt cacumina montium*; ſic enim tunc menſes denumerabantur, non ſicut nunc, hos enim Kal. & Idus, illos vero Luna finita concludebat. Kalendæ a colendo dictæ, apud antiquos enim ſemper menſium principia celebrabantur. Idus quoque dictæ a diebus, & Nonæ a nundinis. Menſes autem apud Latinos ex Kal. ſumunt principium. Apud Hebræos ex Lunæ naſcentis recurſu. Apud Ægyptios autem principia menſium eſſe ante Kal. III. aut II. dies pronunciantur. Annum autem quaſi quidam anum dici putant, ideſt Cyclum, unde anuli dicti ſunt diminutivè. Principium anni alii ab Roma putant, ut populi Romani, alii ab Æquinoctio vernali, ut Hebræi, alii a Solſtitio, ut Græci, alii ab Autumno, ut Ægyptii. Æra a die Kal. Januar. adcreſcit. Biſſextus autem a VI. Non. Mart. uſque ad diem Kal. Jun. Lunæ curſu proponitur. Annus Ægyptiorum ſine biſſextis habet initium VII. Kal. Septemb., cum biſſextus autem annus evenerit, ut * Kal., ut ſupra Scripturarum. Solſtitium autem dicitur quaſi Solis ſtatio. Æquinoctium vero, quod tunc dies & nox in æquitatem horarum duodenarum revertantur, coæquatis ſpatiis ſuis. Solſtitium æſtivum ideo lampas dicitur, eo quod ex eo infundat diem lampas Solis, claritatem majorem accipiat, caloremque novum advenientis æſtatis.

Item de Menſibus.

LX. Sini ut hii * menſes Ægyptiaci, Orientales, Mauri, & Græci, Macedones, Alexandrini, Aſiani, Perſæ, Medi, Chaldæi non numerant dies Menſium per Kal., & Non., & Idus, ſed his Romani præjudicant. Sed Græci, & hi ſupradicti omnes XII. menſes habent, & ſub menſe eorum dies XXX. ſemper præter Ægyptios concordant omnes. In eodem menſe bis, & in Sole * Lunæ exceptis Ægyptiis, qui XIII. menſes faciunt, decimo tertio menſe de V. diebus remanentibus completo Aguſto * ann. III. ſine biſſexto, & III. anno cum intret biſſextus, ſex dies adhuc de Aguſto remanent propter biſſextum, & fit iſte menſis decimus tertius VI. dierum, quos dies vocant Ægyptii Epagomenas, ideſt Latinè concurrentes.

Item de Menſibus, & Lunæ longitudine.

LXI. Menſes quoque Lunæ ſecundum Latinos longitudine diſpares. VI. longi, & VI. breves per omnem * communium Lunæ longe in anno Emboliſmali ſimul cum Luna Emboliſmus, & dies biſſextus, in eumdem annum conveniunt. Ut ſi Luna trigeſima in Kal. Janu., & Luna ipſius Janu. trigeſima, & Luna Februar. pro biſſexto trigeſima computabitur. Et Luna Mart. ſemper trigeſima ſecundum Latinos. Sed quod dicimus Lunares menſes longitudine diſpares ſecundum numerum, non ſecundum naturam omnes Lunæ menſis æquales ſunt. Unde apud Hebræos omnes menſes XXIX., & ſemiſſem ſemper habent ætates, V. G. ſi accendatur Luna media die, & ejuſdem dies quatuor hebdomadibus in medio expletis, altera media die XXIX. Luna * eſſe deinde ſemis uſque in medium noctis. una enim vice apud Hebræos media die, altera menſis vice media nocte accendi-

cenditur Luna . Sed parum Romani ab Hebræis diſcrepant , non enim multum diſtat, ſi in altera Luna diem integrum adjicias, an duos menſes dividens æquas partes utriuſque diſtribuas . Cum autem media die Luna accenditur, locus accenſionis medium Auſtri adfirmatur . Cum vero media nocte illuminatur, in medio Septentrionis , ſed ignito cœli loco inluminari traditur . In duobus horis apud Hebræos Luna accenditur , ideſt in media hora poſt VI. , & in medio noctis apud Romanos quibus videatur altera Luna trigeſima, altera XXIX. poſt VII. accenditur . Quia facilius eſt apud eos ad tenendam rationem unum imponere diem , qui efficit XXX. Ideo Aquilonares hanc regulam non obſervant, quia conſequens eſt apud eos , ut menſis XXXI. die Luna XXX. , menſis XXX. die Luna XXIX. habet . Sed ſi hoc dixerimus propter præparationem biſſexti vel Solis accenſio variatur, ut in toto cœli orbe circulo , quo Luna currit , nullum locum arbitremur ejus accenſione vacare Luna longa XXX. Luna brevis XXIX. Luna Janu. trigeſima , Luna Febr. XXIX. , ſic & omnes Menſes. Sed Lunas menſis adſignare magis traditione magiſtrorum, & maxime Latinorum, quam literis divulgatum eſt. Ægyptios autem Lunæ narrat litera ſingulas Lunas ſingulis menſibus diſtribuere. Neceſſe eſt vero Lectorem ſcire quamlibet Lunam cuilibet menſi adſcribat , utrumque in eo accenditur, an illo in quo ea extinguitur. Nam ſi ſemper Kalendis menſium Lunæ deficere eſſent ſolitæ, & ſemper in Kal. menſium primæ Lunæ compotibus præbere , & alterius menſis Luna in alterum non vagaretur, profecto quæſtio ſolubilis foret , & ea Luna quæ in eodem menſe extinguitur, & accenditur ejuſdem menſis eſſe definirent . Sed quod eſſe in Kal. Menſium , & reliquis in exordio menſis diebus Lunæ deficiunt, & Lunæ accenduntur immobili ratione defigitur , ut Luna quælibet, in quo menſe defecerit , & non inluſtraverit , de eodem menſe niſi unum diem tantum menſe ipſius erit Luna , excepta Luna Embolimæa , quæ XIII. ſine menſe vel Luna menſibus non deputatur , dum ſit menſis , in quo duos * extinctionis fiunt, & menſis ſine extinctione invenitur .

De Menſe , & interrogatione Lunæ.

Dic de unoquoque menſe Luna quot dies habet , & qualiter menſes Solares numerantur. Diximus namque unoquoque menſe Lunam habere dies XXIX., & dimidium , & ob hoc in una Lunatione XXIX. ſequente autem die jam prima numeratur ; altera verò Lunatione cum illa alia medietate, quæ relicta fuerat numeratur Luna trigeſima , etiam ſequenti die prima, ſic per totum annum uno menſe Luna XXIX., alio menſe trigeſima , ſicque fit ut VI. menſes Luna numeretur uſque XXIX. Sex autem alii menſes uſque Luna trigeſima , & in capite anni Solaris inde fertur habere Luna minus dies XI., ideſt ſex ſuperius memoratos, & V. qui ad menſem Solarem adduntur ſupra trigenos dies . Et cum ergo Lunæ XIII. menſe , ideſt dies XI. ad annos Solares implendos fuerint adjuncti, reſtant de eodem menſe Lunæ dies XIX. Et hinc Emboliſmorum ratio probatur exiſtere , quod communium annorum videtur damna ſubplere , uſque expleto Decemnovennali curſu conveniunt in unum . Hoc quoque non eſt admittendum, quod in illo Solari, in quo Luna incipit accendi, ſi habet dies XXXI., tunc dicitur Luna XXX., in illo verò, qui habet minus, quam XXXI., tunc dicitur XXIX., & inde prima , niſi quando in Kal. Aug. fuerit XXIX. , quod ceteris rationibus intermiſſo die noſcitur addere, vel minuere. Ipſum quoque numerum clare noſcitur, quibus menſibus XXXI. dies habere dicitur. Scilicet Janu., & Mart. , Maj. , Jul., Octob., ceteri verò IV. Non. & cuncti VIII. Id. LXII.

Item

Item de Menſibus quot horas habeant in die, & noĉte.

LXIII. Aprilis, & Sept. habent horas in noĉte XII., in die XII. Majus, & Auguſtus horas in noĉte XI., in die XIII. Junius, & Julius horas in noĉte IX., in die XV. Oĉtober, & Martius horas in noĉte XIII., in die XI. November, & Febr. horas in noĉte XIV., in die X. Decemb. & Jan. horas in noĉte XV., & in die IX.

Item de Menſibus.

LXIV. Januar. IV. Non. XIX. dies XXXI., Luna XXX. Febr. IV. Non. XVI. dies XXVIII. Luna XXIX. Mart. VI. Non. XVII. dies XXXI. Luna XXX. Apr. IV. Non. XVIII. Dies XXX. Luna XXIX. Majus VI. Non. XVII. dies XXXI. Luna XXX. Junius IV. Non. XVIII. dies XXX. Luna XXIX. Julius VI. Non. XVII. dies. XXXI. Luna XXX. Auguſtus IV. Non. XIX. dies XXXI. Luna XXIX. September IV. Non. XIX. dies XXX. Luna XXX. Oĉtob. VI. Non. XVII. dies XXXI. Luna XXIX. Novemb. IV. Non. XVIII. dies XXX. Luna XXX. Decemb. IV. Non. XIX. dies. Luna XXIX.

De Punĉtis Lunæ.

LXV. Luna prima IV. punĉtis lucet, ideſt XL. momentis.
Luna II. una hora, & III. punĉt.
Luna III. duab. horis & II. punĉt.
Luna IV. trib. horis, & I. punĉt.
Luna V. quatuor horis lucet.
Luna VI. quatuor horis, & IV. punĉt.
Luna VII. V. hor. & III. punĉt.
Luna VIII. VI. hor. & II. punĉt.
Luna IX. VII. hor. & I. punĉt.
Luna X. VIII. hor. lucet.
Luna XI. VIII. hor. & IV. punĉt.
Luna XII. IX. hor. & III. punĉt.
Luna XIII. X. hor. & II. punĉt.
Luna XIV. XI. hor. & I. punĉt.
Luna XV. LX. punĉta, ideſt XII. horas.
Luna XVI. XI. hor. & I. punĉt.
Luna XVII. X. hor. & II. punĉt.
Luna XVIII. IX. hor. & II. punĉt.
Luna XIX. VIII. hor. & IV. punĉt.
Luna XX. VIII. hor. lucet.
Luna XXI. VII. hor. & I. punĉt.
Luna XXII. VI. hor. & II. punĉt.
Luna XXIII. V. hor. & III. punĉt.
Luna XXIV. IV. hor. & IV. punĉt.
Luna XXV. IV. hor. lucet.
Luna XXVI. III. hor. & I. punĉt.
Luna XXVII. II. hor. & II. punĉt.
Luna XXVIII. I. hor. & III. punĉt.
Luna XXIX. IV. punĉt. habet.
Luna XXX. II. punĉtis creſcit, & II. decreſcit.

Dic

Dic mihi quot horas lucet Luna, vel quot punctos habet Luna, quibus partibus hoc reperiri poſſit. Quare per IV. partem multiplicas ipſam Lunam: quia quarta die factus eſt Sol, & Luna. Quare per quintam dividis, & quinque puncti unam horam explicant.]

De Numeris.

Numerus apud Hebræos, Chaldæos, & Syros Mina dicitur, cum Græcis Arithmus nuncupabatur, apud Ægyptios Laterculus, penes Macedones Calculus, cum Latinis compotus, Ema cum Hebræis, apud Græcos Emera, penes Latinos dies. Libia in Hebræo, Nicta in Græco, nox apud Latinos. Primus apud Gentiles dies nominatur a Sole, ſecundus a Luna, tertius a Marte, quartus a Mercurio, quintus a Jove, ſextus a Venere, ſeptimus a Saturno. LXVI.

De Annis naturalibus, & magnis ſeu ſolſtitialibus.

Annus naturalis eſt, ut cum ſe Soli Luna ſubponit, ut inter orbem Solis, & oculos noſtros media facta tenebras totius orbis efficiat, quod dicitur Eclipſis. LXVII.

Annus Magnus dicitur, quando omnia ſidera certis temporibus, numeriſque completis ad ſuum locum, vel ordinem revertuntur, quem annum antiqui finire, vel adimplere dixerunt.

Annus Solſtitialis eſt cum Sol expleto per omnia ſigna circuitu in id, unde principium curſus ſui ſumpſit, recurrit. Ipſe eſt Solaris annus, vel civilis, qui diebus CCCLXV. peragitur.

De incendio Lunæ.

Incenduntur Lunæ CCXXV. certis computatis minutis, ideſt X. pene minuta in unaquaque hora per ſingula continent momenta X. Ita dies & nox raro diminuitur, donec in fine anni XIV. id efficiunt. Sic mutatio Lunæ intelligitur per XIX. annos. LXVIII.

De die Solis Orientis.

Dies eſt Solis Orientis præſentia, quouſque ad occaſum perveniat. Dies autem geminatur appellari ſolet propriè a Solis ortu uſque quo veniat ad occaſum, ſpatie, * die duo ſunt inter diurnum, & nocturnum, & eſt dies horarum XII. Partes abuſivæ diei III. ſunt, mane, meridies, & ſuprema. Initia diei alii a Solis ortu putant, ab occaſu, alii a media nocte. Nam Chaldæi a Solis ortu diei initium faciant, totum id ſpatium hi diem appellantes. Ægyptii autem ex initio noctis ſequentis diei originem trahunt. Romani autem a medio noctis initium oriri diei volunt, & in medio noctis finiri. Faſti dies ſunt, quibus fatur, ideſt dicitur, ut nefaſti quibus non dicitur. Feriati dies, in quibus res divina fit, & abſtinere homines a litibus oportet. Profeſti dies Feſtis contrarii, ideſt ſine religione. Atri dies ſunt, qui & communes vocantur. Siderales, in quibus ſidera moventur, & homines a navigationibus excluduntur, iſti con- LXIX.

tinuo

tinuo XXX. Præliares, quibus fas eſt hoſtem bello laceſſere. Intercalares dies ſunt V. qui juxta Ægyptios ſuperſunt XII. menſibus, & incipiunt IX. Kal. Sept. & V. Kal. memoratarum finiuntur. Dies Epactarum ſunt XI., qui per ſingulos annos ad curſum Lunarem adcreſcunt. Nam in anno XII. Lunæ CCCLIV. dies habent, remanent ad curſum anni Solaris dies XI., quos Epactas Ægyptii vocavere, pro eo quod ad inveniendam Lunam per totum annum adjiciantur. Solſtitiales dies ſunt, in quibus Sol ſtat, creſcente ſpatio dierum, vel noctium. Æquinoctiales dies ſunt, in quibus dies, & nox in æqualibus horarum ſpatiis concordant, ſeu evolvuntur. Nox eſt Solis abſentia, quamdiu ab occaſu rurſus ad ortum recurrat. Noctem autem umbram fieri terræ tamquam datum ad requiem corporis credimus, non ad alicujus operis officium; nox autem a nocendo dicta, eo quod oculis noceat.

De Die.

LXX. Dies eſt prima creaturarum, oſtenſio rerum, comes Solis. Item dies Solis præſentia, quouſque ad ortum perveniat. Iſidorus dicit: *Dies geminè appellari ſolet, proprie ab ortu Solis, donec rurſus oriatur, abuſive vero ab ortu Solis, uſque quo ad occaſum perveniat, quæ ideo dies dicta eſt a dividendo lucem a tenebris*. Item Phragonus dicit: *Sol ſuper terram dies eſt, Sol ſub terra nox eſt. Initia dierum IV. ſunt ſecundum Hebræos; ab ortu Solis dies. In principio operum Domini*, & reliqua. Secundum Chaldæos a medio die. Secundum Græcos, & Ægyptios ab ortu ſtellarum. Secundum Romanos a media nocte. Ab ortu Solis Hebræi computant propter Phyſicam ſcientiam rerum, quia natura creaturarum a lumine initium ſumpſit. Prima enim die condidit lucem teſtimonio Moyſis: *Fiat lux, & facta eſt lux*. Chaldæi ideo a media die incipiunt, quia curſum Lunæ obſervant, quæ aſſiduè circa mediam diem accenditur, & extinguitur. Ægyptii vero quia Aſtrologi ſunt, & circulum ſiderum obſervant, a veſpere & ortu ſtellarum incipiunt, quarum curſus, & tempora obſervant. Romani a media nocte incipiunt, ſequentes illud, quod ſcriptum eſt: *Media nocte factus eſt Mundus, & media nocte iterum deſtruetur*. Et in Euangelio: *Media nocte clamor factus eſt*, & reliqua. Et iterum: *Sicut fur in nocte, ita veniet*. Partes diei tres ſunt, mane, meridies, ſuprema. Mane dictum eſt a manibus Infernorum Diis, qui res ad gaudendas fruges diſtillant, quorum * converſata Luna ad terram eſt. Vel mane a Manibus diis, quos antiqua Gentilitas oriente colebat. Vel mane a Mano dictum eſt, quod veteres Latini bonum dicebant, ut Iſidorus meminit. *Mane a Mano*, & reliqua. Meridies, quaſi medies, hoc eſt medius dies; tunc enim purior micat lux, quando Sol medio cœlo rutilat, & totum orbem pari claritate inluſtrat. Vel meridies, quaſi meridios, quia tunc purior micat æther; merum enim purum dicitur. Suprema dicta eſt pars diei noviſſima, quia supereſt ultima. Tunc dies ad Veſperum ſupprimitur, quando nubiloſæ noctis caligine obumbratur. Mane ab ortu ſolis uſque ad horam quartam dicitur, quod ut quadrans artificialis. Meridies V. VI. VII. VIII. horam tenet. Suprema IX. X. XI. XII. horam obtinere videtur.

De

De Nocte.

Nox eſt obſcuritas mundi, Latibulum, requies vivorum. Nox dicta eſt a nocendo, eo quod obtutibus nocet humanis, vel quia fures, & beſtiæ in ea noceant. Vel quia negotiis, & laboribus humanis nocere, vel impedire videtur. Vel quia ab Etymologia Græca nomen accepit; nictus enim Græci, noctem Latini dixerunt, ut in Pſalmis legitur: *in meraſce nictus*, ideſt, die ac nocte. Partes noctis ſex ſunt: Veſper, crepuſculum, conticinium, intempeſtivum, gallicinium, matutinum. Veſperum dictum eſt a ſtella Occidentali, quæ Veſper vocatur, & ipſa ſtella ab Heſperia regione nomen adſumpſit, mutata u pro h. veſper dicitur. Heſperia autem dicta eſt pridiem Spania ab Heſpero * regionis filio, qui hanc regionem bellicis virtutibus ſubjugavit. Et hanc ſtellam nautæ, ne nocturna in navigatione oberrarent, navigantes a Gallogræcia obſervabant. Hanc ſtellam alii ferunt uno anno Solem præcedere, cum Lucifero lumen matutinum æqualibus radiis præclarare, & duobus annis poſt in occaſu Solis remanere. Mutato nomine Veſper nominatur, cum Lucifero vero Lucifer dicitur. Crepuſculum dictum eſt nocturni temporis ſpatium a crepero, ideſt commixtione tenebrarum, & luminis, quia Græci diaſodi nominant, ideſt dubitantia inter exceſſum diei, & introitum noctis, aut exitum noctis, & introitum diei; & ob hoc dubium, quia ſi quis expergefactus fuerit a ſomni gravitudine in hoc tempore incertum ſe putat eſſe, utrum tranſacto noctis ſpatio ad diei claritatem pervenerit, aut exacto die ad initium noctis perducit. Conticinium, hoc eſt ſilentium; conticeſcere enim ſilere eſt, quia in ipſo tempore omnes tacent, & ſilent, & primi ſomni gratia adgravantur. Intempeſtivum, medium, & inactuoſum ſpatium noctis, tempus, quando nihil agi poteſt, & omnia ſopore quieta ſunt. Gallicinium dictum eſt a clangore volucrum nuncupatum quaſi gallicanium, propter gallos, videlicet lucis prænuncios, & hoc tempus antelucinium dicitur, quia galli antelucani nuncupantur, eo quod naturaliter præconio, & plauſu alarum Lucis adventum prænunciant. Matutinum dictum eſt noctis tempus a maturitate lucis accedente die, recedente Aurora. Aurora dicta eſt, quaſi Eurora ab Euro vento dicta, quia in ipſa hora Euri ſpiramen ad excitandas fruges ab Auſtro emittitur. Inter veſperum, & veſperam, & veſperem hoc intereſt, quia veſperum diei, veſpera inclinatio Solis ad occaſum, veſper uniuſcujuſque rei conſummatio veſpere nuncupatur. Hæc ſunt VI. ſpatia noctis, & binas horas obtinent. LXXI.

De XIV. Luna Paſchali.

Si vis ſcire quibus annis noni decimi circuli Martio menſe XIV. Luna Paſchalis incurrat, hoc eſt anno II. V. VII. X. XIII. XVI. & XVIII. Hos ſupraſcriptos VII. in Martio menſe reperies; reſiduos vero XII. ſecundum regulam ſubter adnexam Aprili menſe indubitanter calculabis. LXXII.

Item de XIV. Luna Paſchali quota Feria ſit.

LXXIII. Incipit calculatio quomodo reperiri poſſit, quota Feria ſingulis annis XIV. Luna Paſchalis, ideſt Decemnovennalis primi circuli. Anno primo, quia non habet Epactas Lunares pro eo quod cum noni decimi inferioris anni XVIII. & ſuas XI. Epactas * additur etiam Ægyptiis die uno fiant XXX., ideſt Luna menſis unius integra, & nihil remanet de Epactis. Et quia Apr. menſ. incidit in eo anno Luna Paſchalis XIV. tene regulares ſemper in eo menſe XXXV. ſubtrahe XXX. ideſt ipſam Lunam integram, & remanent V. quinto die a Kal. Apr., hoc eſt Non. Apr. occurrit Luna XIV. Paſchalis. Tene ſupraſcriptos, adde concurrentes ejuſdem anni V. fient X., adde & regulares in eodem ſemper menſe Aprilis. VII. fiunt XVII. Hos partire per VII. ideſt bis ſepties, fit XIV. remanent III. Tertia feria incurrit Luna Paſchalis XIV. & Dominicus Feſti Paſchalis dies Luna XIX.

Item præfati circuli anno ſecundo, a quo ſumunt exordium Epacta XI., & incidit in eodem anno Luna Paſchalis XIV. in menſe Martio. Tene XXXVI. regulares ſemper in eo menſe, ſubtrahe Epactas XI., remanent XXV. Viceſimo V. die menſis Martii a Kal. quod eſt VIII. Kal. Apr. occurrit Luna Paſchalis XIV. Tene ſupraſcriptos XXV. adde concurrentes ejuſdem anni V. fiunt XXX., adde ſemper in fine hujus menſis Martii regulares IV. fiunt XXXIV. Hos partire per VII., ideſt ſepties quaterno, fiunt XXVIII., remanent VI.; ſi nihil remanſerit Sabbatum eſt, VII. feria erit XIV. Luna Paſchalis, & Dominicus Feſti Paſchalis dies Luna XV.

Iterum Menſe Aprili ſæpe dicti circuli anno tertio tene ſemper in primis regulares XXXV. ſubtrahe Epactas ejuſdem anni XXII. remanent XIII. tertio decimo die menſis ideſt Id. Apr. occurrit Luna Paſchalis XIV. Tene hos XIII., adde concurrentes ejuſdem anni VI., fiunt XIX. Adde in Apr. menſe ſemper inferius regulares VII., fiunt XXVI. Hos partire per VII. ter ſepties, fiunt XXI., remanent V. ſexta feria erit XIV. Paſchalis, & Dominicus dies Feſti Paſchalis Luna XV. Ita annis ſingulis a primo anno uſque ad XIX. annum calculabis. Si quando menſe Martio XIV. Luna Paſchalis incurrit, XXXVI. regulares in primis teneas. Ex quibus Epactas cujus volueris anni deducas, & concurrentes adjicias, & in finem ſemper IV. regulares augmenta.

April. verò menſ. XXXV. in capite tene, ex quibus deduc ſupra ſcriptas Epactas, & adjectis ejuſdem anni concurrentibus ſuis, & regularibus in finem VII. augmenta. Latinius namque ac brevius omnia argumenta Paſchalia calculabis. Hoc tamen propterea Lectori ſit cognitum, quoties in utroque menſe ſupraſcripto in prima regula contingit, ut deductis Epactis amplius quam XXX. remaneant, demittenda eſſe XXX. Quod ſi unus, aut III., aut amplius ſuperfuerint tot dies ipſius menſis a Kal. fit Luna Paſchalis XIV. Quando hoc deductis Epactis infra XXX., ut puta XX., ſeu amplius, minuſque remanſerit, idem * tot dies menſis a Kal. occurrit Luna Paſchalis XIV. Si enim deductis Epactis XXX. tantum remanſerint, quod ſemel in XIX. annis accidere manifeſtum eſt, XXX. die a Kal. erit Luna Paſchalis XIV.

Item de Luna Termino Paſchali.

Si vis cognoſcere, quota Luna Feſti Paſchalis occurrat; ſi in Martio menſe Paſcha celebratur, compota menſes a Septembri, ſiunt VI. His ſemper adjice regulares II. ſiunt VIII. adde & Epactas, ideſt adjectiones Lunares cujus volueris anni, ut puta Indictione III. Epactas XII. qui ſiunt XX., & diem menſis, quo Paſcha celebratur, ideſt de Martio menſe dies XXXI., ſiunt ſimul dies LI. De his deduc XXX. remanent XXI. vigeſima prima Luna in die Reſurrectionis Domini. Si verò menſe Apr. Paſcha celebratur, computa menſes a Septembri uſque ad Martium ſiunt VII. His ſemper adjice regulares II., ſiunt IX. adde & Epactas Lunæ cujus volueris anni, ut puta Indictione IV. Epactas XXIII., qui ſiunt XXXII. & diem menſis Apr., quo Paſcha celebratur adde, ideſt de Aprili dies XIII., qui ſimul ſiunt XLV., de his deduc XXX., remanent XV. Quinta Decima Luna eſt in die Reſurrectionis. LXXIV.

De die Septimanæ quotus ſit.

Sis vis ſapere, quotus dies Septimanæ ſit, ſume dies a Januario menſe uſque ad menſem, quem volueris, ut puta uſque ad XXXI. diem menſis Martii, ſiunt dies XC. His ſemper adjice I., ſiunt XCI., & ſemper adde concurrentes cujus volueris anni, ut puta anni præſentis Indictione III. concurrentem I. ſiunt ſimul XCII. Hos partire per VII. ideſt ſepties X., ſiunt LXX. Iterum ſepties III. ſiunt XXI., remanet I. ſic quamlibet diem a Kal. Janu. uſque ad trigeſimum primum diem menſis Decembris, quota feria fuerit invenies computando, ut & regularem I., & concurrentes ejuſdem anni, quæ a Januario menſe ſemper incipiunt, pariter adſumes. LXXV.

Si requirere volueris, quotus dies Septimanæ ſit hodie, quocumque die computare volueris, fac omnes menſes eſſe dier. XXIX., & quicquid ex eis remanſerit XXIX., prætende in manu tua propter compotandum, & quanti dies venerint de menſe tunc tibi præſenti quando hoc computare volueris, adde & acceſſores Solis anni cujus volueris, & Indictionem anni, quem quæris, & divide in ſeptimas, & dimitte ex eis quanti fuerint, & quicquid tibi remanſerit, ipſe dies eſt Septimanæ, ut puta Indictione prima anno quo fecimus Paſcha VII. Id. Apr., habet Sol adjectiones IV., adde unum Indictionis. His adde I. Kal. Janu. III., & tolle de IX. II. & de X. III. VIII. ergo & VI. quid ſunt niſi XIV. ſi non remanſerit tibi aliquid Sabbatum VI. feria erit Kal. Janu. iſto anno. Si remanſerit I. Dominica, ſi II. ſecunda Feria. Ita in reliquis Feriis obſervandum eſt.

Si noſſe vis Kal. Janu. per ſingulos annos quota Feria intrent, ſume annos ab Incarn. D. N. J. C. DCCCVIII., hos partire per ſeptimam partem, & quartam partem, quam partitus es, adjice ſuper DCCCCIX., ſiunt ſimul Mille, & XI. Hos partire per VII., remanent III. tertia Feria erit Kal. Janu., ſi IV. quarta Feria, ſi nihil Sabbatum, ſi I. Dominica.

Si vis ſcire Kal. Menſium qua die intrent, hoc argumento cognoſcitur volventibus annis, hoc modo. Octob. I. literam habet. Novemb. IV. Decemb. VI. Janu. II. Febr. V. Mart. V. Apr. I. Maj. III. Jun. VI. Jul. I. Aug. IV., Septemb. VII. His ſemper adde Epactam Solis cujuslibet anni, & deinceps partire per VII. ſepties I., aut ſepties II., ſicque calculationis ſeriem

riem ſine ullo errore reperies, excepto in biſſextili anno. In his V. menſibus vacat, hoc eſt Octob., Novemb., Decemb., Janu., Febr., deinde in ſupradicto numero decidit.

Si vis agnoſcere, quota Feria ſit Septimanæ cujuslibet menſis, computa hoc modo. Octob. III. Novemb. II. Decemb. III., ut qui XXXI. diem habent III. adſumas de eo menſe, & qui XXX., de eo menſe ſemper adſumas II., & diem menſis quo requiris; deinde partire per VII., & quicquid remanſerit in manu tua, adjectis acceſſoribus Solis, quæ eo anno eveniunt, ipſa eſt Feria cujuslibet anni. Febr. autem menſe prætermittas, quia imperfectum numerum habet, niſi tantum dies ipſius menſis, quando intrat, uſquequo exeat.

De Luna in Kal. Jan. & XI. Kal. Apr.

LXXVI. Si vis agnoſcere, quota Luna ſit in XI. Kal. Apr., ſume annos Domini, qui fuerint eodem anno, quoſque computare volueris, deinde partire per XIX. partem, & quicquid remanſerit ex eis in manu tua, rurſum ipſas multiplica per XI., ac deinde partire per XXX. partem, & quicquid remanſerit de eodem compoto, tota Luna erit in XI. Kal. Apr. eo anno. Si requirere volueris a Septembri in Decembrem in his IV. menſibus III. regulares adjicies. In biſſexto autem ſolummodo anno II. regulares ſemper in menſe numerabis, & pro XXX. die XXXII. annis ſingulis, & menſ. adſumes in fine.

Si vis ſapere, quota Luna fuerit menſe, quo volueris, ut puta anno, quo facimus Paſcha III. Id. Apr. fuit V. G. IX. menſe poſt iſtud Paſcha. Computa Lunam ejus tali modo. Tolle de Septemb. I. ideſt pro eo uno pones de Octob. I. Mitte II. regulares, fiunt ſimul IV., pone & dies menſis, qui tranſierunt de eo, quem computas, ut puta modo hodie quando hoc compotavi XXIII., vel qualiter evenerit, mitte & adjectiones Lunæ XXII., adde VII., fiunt ſimul dies LII. Tolle de his XXX., remanent XXII. hodie quando hoc compotavi, XXII. Luna eſt Menſis Novembris. Tali ordine Lunæ ætatem omni die menſium invenire facile poteris, ſi ſic ſemper compotaveris.

Si vis noſſe quota Luna ſit Kal. Janu. ſcito quotus Cyclus Lunaris ſit. V. G. Cyclus XV. Tene tibi I., ideſt ipſas Kal. Janu. adjice quinquies decies quinquies, fiunt LXXV., quos adjicies ſuper I., & fiunt ſimul LXXVI. Item decies ſexies quindecies faciunt XC. quos adjicies ſuper LXXVI., & fit ſumma numerorum CLXVI. in quibus partitis per XXX. remanent XVI. ſexta decima Luna erit Kal. Janu., & puncti XVI. Iſto modo per Decemnovennalem Cyclum Lunares computabiles ſemper, & Kal. Janu. quota ſit Luna ſine errore reperies. Dum autem veneris ad ſeptimum decimum Cyclum Lunarem, & dixeris quinquies decies ſepties ſuper Kal. Janu., qui faciunt LXXXV. ſi partiris ſexageſimam, & adjicies ſuper LXXXV. ipſum I. fiunt LXXXVI. Deinde decies ſexies decies ſepties fiunt CII., quos adjicies ſuper LXXXVII, & fiunt CLXXXIX. ibi triceſim. remanent IX. nona Luna eſt Kal. Janu., & puncti XXVII. Sic & XVIII. & XIX. Cyclo facies. A primo vero Cyclo Lunari uſque XVI. non partire LX. partem, ne in errorem incidas.

Item aliud compendioſum nuper inventum. Scito quotus Lunaris Cyclus ſit. V. G. præſenti anno III. multiplica hoc per XI. undecies III. fit XXXIII. Divide per XXX. remanent III. adde & primum diem Kal. Janu. fiunt IV. quanta Luna erit in Kal. Janu. præſente anno, ſicque per XIX. annos Cycli Lunaris facile poteris invenire, ut ſcias quotus Cyclus Lu-

næ

næ ſit abſque eo dividente per XIX. , atque eis iterum multiplicatis per XI. Iterum partiris per XXX., & ex eis quicquid remanſerit addito etiam uno Kal. Janu. tota Luna erit in Kal. Janu. Hoc autem firmiſſime memento, ut quotiens ad IX. cyclum Lunarem perveneris deinde ſumas & aliud I. uſque ad primum Cyclum, & abſque titubatione reperies, quota Luna ſit Kal. Janu.

De qua re juxta Ægyptiorum argumenta veracia talis ſupputationis probantur adhibuiſſe compendium. Ponunt in primis Epactas, ideſt adjectiones Lunares, quæ per hanc Indictionem IV. XXIII. ſunt. In his adjiciunt IV. ideſt medietatem numeri VIII. menſium, a Septembri ſcil. uſque ad Apr. fiunt XXVII. Super hos addunt & quota die menſis Paſcha contingat, ideſt a Kal. Maj. dies XIX., & quia V. dies Ægyptii præire noſcuntur, fiunt ſimul XXIV., & ita LI. omnis ſumma colligitur. Ex his ſubtrahunt XXX., remanent XXI. ipſe eſt numerus Lunæ Paſchalis. Hæc autem veræ rationes expliciunt. Deo gratias. Amen.

De annis a Principio Mundi.

A principio mundi uſque ad diluvium anni IICCXLV. Item a diluvio LXXVII.
uſque ad Nativitatem Abrahæ anni CMXLII. Natum autem XLIII. Abraham regnante jam Nino eadem monumenta teſtantur, a cujus tempore etiam geſtarum rerum publici ſcriptores apud barbaros eſſe cœperunt, anni IIIDCLXXXVIII. V. feria IX. Kal. Apr. Luna XIII. incipiente jam veſpera doceantur impleti, cujus ſequenti die tertio milleſimo ſcilicet anno ac ſexcenteſimo nonageſimo procedente menſe primo VIII. Kal. Apr. Luna XIV. noctis initio Hebræos claruit agni ſacrificium peregiſſe: Paſſum autem D. N. J. C. peractis * IICCXXVIII. annis ab ortu mundi, quod geſtum eſt incohante XXIX. anno non poteſt dubitari VI. Feria ideſt VIII. Kal. Apr. crucifixus eſt, & ſepultus. Tertia autem die, hoc eſt VI. Kal. Apr. Dominica reſurrexit a mortuis. Per CD. & XXX. annos cum Conſulibus, ac deinceps ſine Conſulibus per annos C. & II. futuros ut DXXXII. annorum omnis ſumma conſtat.

Item de annis a Principio Mundi.

A principio mundi uſque ad diluvium anni IICCXLV. A diluvio autem LXXVIII.
uſque ad Abraham anni DCCCCXLII. Ab Abraham verò uſque ad egreſſionem filiorum Iſrahel ex Ægypto uſque ad ædificationem templi Salomonis anni CDLXXXI. Ab ædificatione ergo templi uſque ad diſſolutionem ejus, & tranſmigrationem in Babyloniam anni CCCXC. A tranſmigratione igitur Babyloniæ uſque ad Paſſionem Domini anni DCLIX. A paſſione uſque ad tranſitum S. Martini anni CCCCXII. A tranſitu S. Martini uſque ad tranſitum Chlodovæi Regis anni CXLI. A tranſitu Chlodovæi uſque ad tranſitum Theodoberti anni XXX. A tranſitu Theodoberti uſque ad tranſitum Sigiberti anni XXIX. Ab initio mundi uſque ad Regnum Theodorici ſunt anni VDCLX.

De numero annorum ab origine Mundi uſque ad adventum Domini.

LXXIX. Anni ergo ſunt ab origine mundi uſque ad Nativitatem Chriſti, ſicut in Oroſio legitur, V̄CXCVIIII. Hinc ipſe dixit ab orbe condito uſque ad Urbem conditam anni ſunt IV̄CDLXXXIV. Ab urbe autem condita uſque ad Nativitatem Chriſti anni ſunt DCCXV. Colliguntur ergo anni ab origine mundi uſque ad adventum D. N. J. C. V̄CXCIX.

De annis ab origine Mundi, vel Incarnatione.

LXXX. Ab Incarnatione autem D. N. J. C. uſque ad præſentem annum, ſicut in omnibus Cyclis, qui rectè ſcripti ſunt, & ſicut per argumenta oſtenditur, anni ſunt DCCLXXXIV. Sed tamen ſecundum Lunam Nonageſimus cœpit annus a XVI. Kal. Maj. ſimul autem anni ſunt ab origine mundi uſque in præſentem annum V̄CMLXXXIX. In chronicis legitur: Anni autem ab origine Mundi uſque ad prædicationem D. N. J. C. quæ facta eſt XV. anno Tiberiii Cæſaris, & uſque ad Baptiſmum Domini. V̄CCXXVIII. Item Oroſius dicit: Sunt autem ab Adam primo homine uſque ad Ninum magnum, ut dicunt, primum regem Perſarum, quando natus eſt Abraham anni MMMCLXXXIV. qui ab omnibus Hiſtoriographis vel omiſſi, vel ignorati ſunt. A Nino autem vel Abraham uſque ad Cæſarem Auguſtum, ideſt uſque ad Nativitatem Chriſti, quæ fuit anno Imperii Cæſaris XLII. cum facta bella toto orbe ceſſarunt, colliguntur anni Ī̄I. mil. XV. Fiunt ſimul V̄CXCIX. Item in Chronicis legitur ſecundum Euſebium, & Hieronymum, & Proſperum ab Adam uſque ad

IIICLXXXVII. diluvium anni ſunt IICCXLII. ab Abraham uſque ad Moyſen, & egreſ-
IIIDXCII. ſum Iſrahel ex Ægypto computantur DV. a Moyſe uſque ad Salomonem,
IV̄CLXXI. & primam ædificationem Templi ſunt anni CDLXXIX. A Salomone uſ-
IV̄DCLXXXIII. que ad inſtaurationem Templi, quæ ſub Dario Perſarum Rege facta eſt colliguntur anni DXII. Porro a Dario uſque ad prædicationem D. N. J.
V̄CCXXX. C. & uſque ad XV. annum Tiberii Cæſaris Principis Romanorum explentur anni DXLVII. Omnes autem anni uſque ad prædicationem D. N. J. C. V̄CCXXV. Iſidorus autem dicit: Ceſſante regno ac Sacerdotio Judæorum D. N. J. C. ex Virgine naſcitur anno XLII. regni Cæſaris Auguſti, XV. annis de regno ejus adhuc reſtantibus. regnavit autem annis LVI. Poſt illum regnavit Tiberius Cæſar XXIII. annis; XV. autem anno regni Tiberii Dominus crucifixus eſt, peractis annis a principio mundi V̄CCXXVIII. Hunc eumdem numerum Victorius confirmat dicens: Paſſum ergo D. N. J. C. & reliqua

Inci-

Incipit de mundi principio.

Quomodo factus eſt mundus, initio creaturarum Dei &c. *Reliqua omit- LXXXI.*
tuntur, quòd eadem infra Cap. 148. habeantur.

Item de mundi principio.

Interrogatio de mundi principio, quomodo factus ſit initio creaturarum LXXXII.
Dei? in quo die? & in diebus ſeptimanæ? & in quo anno? & in quo tempore? Si in die anni? in nocte? & in qua hora? interrogamus. In æquinoctio autem & in die Dominico, & in communi anno ſecundo, & in Ogdoade, & in prima hora creatus eſt, & in momento oculi omnia ſimul creata ſunt a Deo. Latini namque æquinoctium VIII. Kal. Apr. facere volunt, ſed hoc S. Synodus minime permiſit propter illos III. dies, ideſt V. feriam, quando D. N. J. C. tentus eſt, & ſextam feriam quando crucifixus eſt, & ſeptimam feriam, quando in ſepulcro quievit, quos foras limitum etiam tanto minimè abjiciendos putavit, & ideo in ipſo S. Concilio ſtatutum eſt, ut æquinoctium ab XI. Kal. Apr. computetur.

De annis ab Incarnatione Mundi.

Si vis ſcire, quotus ſit annus ab Incarnatione Mundi, compota CCCXCI. LXXXIII.
per XV., fiunt V̄DCCCLXV. His ſemper adde XXXIIII. regulares, anni fiunt V̄DCCCCIII. Iſti ſunt anni ab initio mundi, anni ſcilicet ab Incarnatione Domini DCCIII. memor eſto in XV. Indictione ſupradictam regulam obſervare.

Si vis ſcire, quota ſit Indictio, ſume annos a mundi initio, ut puta V̄DCCCCIII. His ſemper adde VII. regulares, fiunt V̄DCCCXI. Partire per XV. quindecies CCCI̅V̅D. remanent MCCCXI. quindecies LX. DCCCC. remanent DXI. quindecies XXX. CDL. remanent LXI., quindecies III. LX. remanet I. prima indictio. Si nihil remanſerit, decima quinta Indictio eſt.

Si vis ſcire, quotus ſit annus Solaris circuli, & quot vicibus in ſe revolutus ſit: ſume annos ab initio Mundi, ut V̄DCCCCIII. Partire hos per XXVIII. vicies octies CCX. V̄DCCCCLXXX. remanent XXXIV. viceſimus annus quartus annus eſt Solaris circuli.

Si vis ſcire concurrentes ſeptimanæ dies, tene ſupraſcriptũ numerum XXIV. tolle ſemper unum, remanent XXIII. Adde quartam partem, fit XXVIII. & partire per VII. partem, ideſt IV. ſeptem, fit XXVIII. nihil remanet, Sabbatum eſt. in IX. Kal. Apr. quicquid ſupra VII. remanſerit, tota feria erit.

De prima Luna primi menſis monſtranda.

LXXXIV. Si vis agnoſcere, quomodo initium primi menſis, hoc eſt prima Luna invenitur: Scito eodem anno quolibet, & quot Epactæ ſunt in Kal. Janu., & quota Luna fuerit, tot dies in Martio menſe a fine retro ſubtrahe, & ubi deveneris, ibi initium primi menſis invenies., exceptis tribus emboliſmis, ideſt noviſſimo Emboliſmo Ogdoadis, & primo Endecadis, & noviſſimo. In noviſſimo enim Emboliſmo Ogdoadis initium primi menſis in Non. Apr. invenitur. In primo autem Emboliſmo Endecadis in IV. Non. Apr. invenitur prima Luna primi menſis. In ultimo vero Emboliſmo Endecadis in III. Non. Apr. initium primi menſis invenitur.

De Biſſexto monſtrando per Cyclum Solarem.

LXXXV. Si vis ſcire de Biſſexto, tene annos Solaris Cycli quotcunque fuerint in præſenti quolibet anno. V. G. XIV. anno Cycli Solaris; dimitte ſemper unum; remanent XIII. Partire per IV. partes. dimitte XII. quater quaternos, remanet unum; primus annus eſt præparationis Biſſexti. Si nihil remanſerit, Biſſextus erit.

Item argumenta de concurrentibus monſtrandis.

LXXXVI. Si vis ſcire adjectiones Solis, ideſt concurrentes ſeptimanæ dies IX. Kal. Apr. ſume annos ab Incarnatione Domini, quicumque fuerint. V. G. DCCCX. Hos divide per quatuor partes, & annorum qui fuerint quartam partem ſemper adjice biſſextilem diem quarto ſemper anno invent. * hic addit. In CD. ergo annis biſſextiles dies ſunt C. in CC. dies L. biſſextiles. Item in CLX. annis, hoc eſt in duobus octogenis XL. dies. Biſſexti XXVIII. annis VII. ſunt. ſimul autem in DCCCX. annis biſſextiles dies ſunt CCIV.

Quod adjicit Dionyſius ſuper annos Domini, peractis $\overline{\text{V}}$CCXXVIII. annis ab ortu mundi eadem Chronicorum relatione monſtratur.) Item in Chronicis legitur. Omnes anni ab origine Mundi uſque ad prædicationem D. N. J. C., quæ facta eſt XV. anno Tiberii Cæſaris, & uſque ad Baptiſmum Domini $\overline{\text{V}}$CCXXVIII., uſque ad annum autem præſentem $\overline{\text{V}}$IXXXVIII.

Ad ann. præparationem biſſexti ab origine Mundi.

LXXXVII. Si vis ſcire iterum, biſſextilis annus num ſit, an etiam annus præparationis biſſexti: ſume annos ab initio mundi uſque ad præſentem annum

V. G. $\overline{\text{V}}$DCCCCLXXXIX. Hos divide per quatuor. dimitte per quatuor Mille, quæ quatuor partes æquales ſunt, & poſtea dimitte MDC. quia quatuorcenti ſunt IV. vicibus remanent CCCLXXXIX. dimitte CCCXX. quia quatuor octogeni ſunt; remanent LXIX. dimitte XL., quia quatuordeni ſunt; remanent XXXIX. dimitte XXVIII., quia quatuor ſeptem ſunt; remanet unus. Primus annus eſt præparationis biſſexti. Si autem

duo

duo remanent, ſecundus annus præparationis biſſexti. Si tres, tertius. Si autem totum numerum annorum ab origine mundi per IV. partes æquales partitus fueris, biſſextilis annus erit.

De Concurrentibus monſtrandis per annos ab origine Mundi.

Si vis ſcire, quot concurrentes ſunt in unoquoque anno præſenti, ſume annos ab initio Mundi V. G. $\overline{\text{V}}$DCCCCLXXXIX. Hos divide per IV. partes hoc eſt MCDXCVII. quatuor vicibus; & quartam partem, quam partitus fueris, hoc eſt MCCCCXCVII. mitte ſuper $\overline{\text{V}}$DCCCCLXXXIX. fiunt ſimul $\overline{\text{VII}}$CDLXXXVI. Hos divide per VII. partes, quia diem ſeptimanæ quæris; dimitte $\overline{\text{VII}}$, quia ſeptem partes æquales ſunt, hoc eſt MVII., remanent CDLXXXVI. dimitte VII. vicenos, remanent LVI. dimitte LXIII. quia IX. ſeptem ſunt, remanent III. Tres concurrentes ſunt anno præſenti, ſicque per alios annos hoc argumento concurrentes invenies, totum numerum annorum ab initio mundi uſque in præſentem annum colliges, & quartam partem ſuperaddendo per VII. divides. quotus numerus remanſerit, tot concurrentes erunt in præſente quolibet anno. Si autem totum numerum per VII. partitus fueris, VII. concurrentes erunt in illo anno, & IX. Kal. Apr. ſabbato erunt in illo anno. LXXXVIII.

De diviſionibus temporum.

Diviſiones temporum XVI. ſunt. Ideſt Atomus, momentum, minutum, punctum, hora, quadrans, dies, Hebdomada, menſis, tempus, annus, Cyclus, viciſſitudo triformis, ſæculum, ætas, Mundum. Atomus nomen Græcum eſt, quod interpretatur indiviſibilis, nam atomon apud Græcos indiviſum, vel indiviſibile interpretatur. Omne enim quod in mundo eſt ſive corporale, ſeu incorporale, quod dividi, ac partiri non poteſt, atomus eſt. ſicut ait Iſidorus: Atomos Philoſophi dicunt quaſdam partes in mundo minutiſſimas, ut viſui non pateant, nec ſectionem recipiant. Huc illucque feruntur ſicut minutiſſimi pulveres, qui effuſi per tenebras Solis radiis videntur. Atomorum genera quinque ſunt, ideſt atomus in re, atomus in corpore, atomus in oratione, atomus in numero, atomus in tempore. In re ſicuti prædicti pulveres. In corpore veluti cum partiris quamlibet partem lapidis in mille particulas, milleſima pars quæ partiri, vel dividi non poteſt, atomus in corpore dicitur, ideſt indiviſibilis. Atomus in oratione, ſicuti oratio in verſus, in partes, in ſyllabas dividitur, ita ſyllaba in literas, litera autem dividi, vel ſolvi non poteſt, ideoque atomus a Latinis Philoſophis dicta eſt. Atomus in numero ſicuti ſolvitur millias in mille, mille in centum, centum in XX. XX. in X. X. in V. V. in II. II. in unum, unum verò quod dividi, aut ſolvi non poteſt, atomus in numero dicitur. Atomus in tempore, ſicuti ſolvitur ſæculum in ætates, ætas in annos, annus in menſes, menſis in Hebdomadas, hebdomada in dies, dies in quadrantes, quadrans in horas, hora in punctos, punctus in minuta, minutum in momenta, momentum in atomos XVI. XVI. pars, quæ dividi non poteſt, atomus dicitur, ideſt indiviſibilis. Sed de hoc Philoſophi mundum factum eſſe dicunt. LXXXIX.

Item

Item de Atomis in primo momento.

XC. Si vis ſcire, quot atomi ſint in uno momento, divide unum momentum in XII. partes, & unamquamque partem in XLVII., quia XLVII. pars XII. partes momenti atomus eſt in tempore XLVII. duodecies multiplicati fiunt DLXIV. tot atomi ſunt in uno momento. Momenta autem ſunt in uno die CDLXXX.

Si vis ſcire, quot atomi ſunt in una hora, duc DLXIV. quadragies, fiunt $\overline{XXII}$DLXIV. Item ſi ſcire volueris, quot atomi ſunt in uno die naturali, qui habet XXIV. horas, multiplica ſupradictum numerum atomorum unius horæ, qui ſunt $\overline{XXII}$DLXIV. Hos ergo multiplica vicies quater XXIV., fiunt ſimul $\overline{DXLI}$CDXL. Tot atomi ſunt in uno die. Tu nobis Lector ignoſcas, quia hæc calculandi & litteriolo * doxibus.

De horis in anno quot ſunt.

XCI. Si vis ſcire, quot horæ ſunt in anno, multiplica vicies quater CCCLXV. CCCXX. quater multiplicati fiunt $\overline{VII}$CC. Item LX. vicies quater ducti MCDXL. fiunt. Simul autem & prædictus numerus $\overline{VIII}$DCXL. fiunt. Item V. vicies quater, vel XXIV. quinquies ducti CXX. ſunt. hos mitte ſupra numerum ſupradictum, fiunt ſimul $\overline{VIII}$DCCLX. Tot horæ ſunt in anno. Propterea autem CCCLXV. vicies quater multiplicari diximus, quia XXIV. horæ ſunt in uno die naturali, ideſt inter diem & noctem. Per hunc ergo numerum horarum unius diei naturalis, hoc eſt XXIV. omnes dies totius anni, qui ſunt CCCLXV. multiplicati vel XXIV. vicies trecenties ſexagies quinquies $\overline{VIII}$DCCLX. horas efficiunt. In biſſextili autem anno $\overline{VIII}$DCCLXXXIV. horæ ſunt.

Item de horis & momentis quot ſunt in primo anno.

XCII. Primus annus in VII. dividitur partes, & VII. partes LII. dies, & noctes, & VII. LII. dies, & noctes CCLXXXVIII. horæ. alii XII. dies & noctes ſimiliter CCLXXXVIII. horæ. Junge duo. Summa facit DLXXVI. horas LII. LII. LII. Adde alios XX. dies & noctes, faciunt MCLII. ſupra IV. LII. LII. LII. dies & noctes LX. LVI. faciunt. Et ita in iſta prima parte M. in CIL. LIII. invenies, & in ſecunda ſimiliter, & in tertia eodem numero, & in CCCLX. quarta æquali, & quinta æquali ſimili, & in ſexta non impari, & in ſeptima in quinque dies quoque numerabis eumdem numerum, & ſuperfluus dies, & nox, & quadrans XXVII. horas horas habet, & totus numerus horarum, dierum & noctium anni ſepties ſupputatus, $\overline{VIII}$DCCLXIII. horæ. Momentorum numerus dierum, ac noctium anni incipit hora XI. momenta habet. IV. horæ CLX. Junge. Summa facit CDLXXX. momenta. Nox ſimiliter XII.

& fa-

& facit eumdem numerum CDLXXX. Junge diem, & noctem CMLX. XXV. dies, & noctes XXIV. momentorum. Alii XXV. dies & noctes XXIV. momentorum. Nullus ambigat. Summa L. dierum, & noctium XLVIII. duos dies, & noctes, qui reliqui ſunt. MM. ſi adjiciantur duæ horæ, ideſt LXXX. momenta duobus ipſis diebus de LIII. die, & de eodem ſupradicto die ſuperſunt CCCLXXX. momenta, & pars ſecunda, ideſt LII. dies & noctes. L., & adjiciuntur duæ horæ de eodem die ſupradicto, & ſuperſunt die illo a CCC. momenta. Et tertia pars ſimiliter L., & adjiciuntur duæ horæ de ſupradicto, & ſuperſunt a CCXX. momenta. Et quarta ſimili modo L. & duæ horæ adjiciuntur de eodem die, & ſuperſunt a CXL. momenta. Et quinta pars pari modo L., & duæ horæ adjiciuntur de eodem die, & ſuperſunt a LX. momenta. Et ſexta pars æqualiter L., & duæ horæ adjiciuntur de eodem die, & ſuperſunt a CDLXXX. Et VII. pars ſimiliter L. momenta, & duæ horæ adjiciuntur de eodem die ſingulis partibus, ut ſupra, & ſuperſunt CD. momenta, & quadrans ſupputatur, ideſt III. horæ, & facit CXX. momenta, & ut breviter dicam: Annus CCCLXV. dies, & quadrans habet horas VIIIDCCLIII. momenta habet CCCL. & XL.

De Punctis in anno.

Si noſſe deſideras, quot puncti ſunt in anno, duc quater illum nume- XCIII.
rum horarum, quem diximus, hoc eſt VIIIDCCLX. Si ergo VIII. per IV. multiplicati fuerint, XXXII. ſunt. DCC. autem quater ducti IIDCCC. ſunt. Simul autem XXXIVDCCC. fiunt. Item LX. quater multiplicati. CCXL. ſunt. Mitte ſimul ad ſupradictum numerum, fiunt XXXVXL. Tot puncti ſunt in anno. Ideo autem diximus numerum horarum totius anni, hoc eſt VIIIDCCLX. per IV. multiplicari, quia IV. puncti unam horam in Sole perficiunt. In anno autem biſſextili puncti ſunt XXXVCXXXVI.

De minutis in anno.

Si vis ſcire, quot minuta ſint in anno, multiplicabis numerum ſupra- XCIV.
dictum punctorum, ideſt XXXVXL., qui multiplicati bis, fiunt LXXLXXX. Adde dimidiam partem punctorum ſupradictorum, hoc eſt XVIIDXL. ſimul autem fiunt LXXXVII DCXX. Tot minuta ſunt in anno. In biſſextili autem anno minuta ſunt LXXXVIIDCLXXX. Id autem totum numerum punctorum bis multiplicari diximus, & dimidiam partem addi, quia duo minuta, & dimidium unum punctum faciunt.

De

De momentis in anno.

XCV. Si vis ſcire, quot momenta ſunt in anno, multiplica quater ſupradiĉtum numerum minutorum, hoc eſt $\overline{\text{LXXXVIII}}$DCXX. qui numerus quater duĉtus $\overline{\text{CCCLII}}$CDLXXX. facit. Tot momenta ſunt in anno. In biſſextili autem anno ſunt mom. $\overline{\text{CCCLII}}$DXL. Ideo autem numerum momentorum per IV. vices multiplicari diximus, quia IV. momenta unum minutum efficiunt.

Item de Momentis.

XCVI. Momentum minutum atque anguſtiſſimum tempus a motu ſiderum diĉtum. eſt enim extremitas horæ in brevibus intervallis, cum Sol aliquid ſibi cedit, atque ſuccedit. Item momentum quaſi motum mentis eſt; ſcit enim mens noſtra mutatam eſſe creaturam. Tunc enim mutatur mens in ſcientia mutatæ creaturæ. Momentorum genera VI. ſunt. In Sole, id eſt de eo qũod Sol * hora orbis ſui ſuperiore oſtendit, quouſque inferiora * horam ibidem poſuerit. Ideſt dum ſe totum * momenta erit mora temporis, qui ibidem eſſe videtur certus leĉtus ſolis eſt in cœlo. In mente momentum dicimus, cum per aliquid offendiculum, ſeu quodlibet detrimentum mens humana mutatur. Nam poſtquam protoplaſtus noſter patrato deliĉto vidit omnia elementa ex vi peccati mutaſſe virtutem, tunc repente propter detrimentum creaturæ mens ejus de ſublimi culmine Beatitudinis, & incorruptæ lætitiæ tramite in mortalem mœſtitiam mutata eſt. Et inde primum momentum dierum, & motus ſcilicet mentis. In tempore momentum dicitur, cum tempus a ſerenitate in nubilum, a tranquillitate in tempeſtatem mutatur. Momentum in cœlo cum ſphæra ſuperior cœli ab occaſu ad ortum convertitur, vel mutatur. Momentum dicitur in volucri, dum quilibet ales quantocumque tempore quietis pinnis volatum duxerit uſquequo alas concitans mutaverit tempus, quod in hac tranſigitur, aut Gallus cum plauſu alarum præſagio lucem indicat, uſque dum in cantu vocis duxerit moram temporis in medio poſitam. Momentum in homine dicitur, cum quislibet obtutum immotis palpebris ſuſpenderit; ac momentum in oculo dicitur, de quo Philoſophi dicunt, quia faĉta ſunt omnia in momento, vel iĉtu oculi. In rota * commutatur de cantu; in cantu momentum dicitur, quod eſt unus paſſus. Eſt præterea momentum magnum, quod eſt motus cœli ab Occaſu in meridiem. Momentum malus motus ſuperioris ſperæ ab occaſu in orientem, quod eſt ſpatium XI. horarum. Momentum maximum cœli per duas Hemiſperias motus naturalis ab Oriente in orientem, aut ab Occaſu in occaſum, quod tenet ſpatium XXIV. horarum, & ab aliis amplum momentum nuncupatur. Sophonias Propheta minutum ex minutis elementis diĉtum, cujus viſus taĉtuſque acuitur. Iterum: minutum velut minus momentum, quia minus numerant id, quod majus implet. Punĉtum pungendo aciem oculorum diĉtum, tunc enim poſt hyemem, & brumalis frigoris caliginem adjunĉtis X. momentis ab acie Solis de luminis gratia oculos obtenſos tranſaĉtis frigoris nebulis acies Solaris, quaſi pungere, ſeu rutilare humanus viſus videtur, & inde illud ſpatium temporis punĉtum nominatur. Aliter Iſidorus dicit: Punĉtum opus illorum, qui horologia faciunt, nam in fine XII. Lunarum ponebant: de

hac

hac hora eſt finis temporis. Sic horæ ſunt fines Maris, fluviorum, veſtimentorumque, ſed hora finium per O. hora dierum per H. ſcribendum. Item hora dicta eſt quaſi hora, eoquod temperat articulos diei. Horam autem maris, & horas veſtimentorum dicimus. Hoc nomen Græcum eſt, quod Latinè dicitur ſpecies vel pulchritudo, filiæ enim Jovis X. horæ apudHomerum dictæ ſunt, ideſt X. pulchritudines.

De Quadrante.

XCVII. Quadrans dicitur eo quod quarta parte unciæ appendit. Apud enim Geometras quarta pars uniuſcujuſque rei quadrans dicebatur. Quarta pars diei dicitur. Item in Scripturis divinis quarta pars actus humani quadrans dicitur; actus enim hominis quatuor modis probatur conſiſtere, ſive in bono, ſive in malo. Idem opere, conſenſu, & cogitatione. Ut in Euangelio legitur: *Non exiet inde, donec reddat noviſſimum quadrantem*, ideſt ultimam culpæ cogitationem. Et quadrans temporis dicitur quarta pars anni, ſicut legitur de Antichriſto tribus annis, & duobus quadrantibus decepturum eſſe mundum, & inluſurum gentibus tribus annis, & ſex menſibus. Item Theophilus dicit: *Quadrans dictus eſt a quadrata figura, quæ in ſua ſoliditate conſiſtit*. Sublata enim quarta parte cujuslibet rei, trina figura remanet. De qua apertius dicit: *Quadrans dicitur, eo quod quartam partem diei ſuſpendit, quem Hebræi quadrantem, Græci dodrantem, Latini quadrantem vocant*. Quadrans ſine N. ſcribi deberet, ſicut gigas non gigans, ita quadras non quadrans; lex enim literaturæ eſt * in gentem a nominativo creſcat amplius literis, vel ſyllabis. Hieronymus dicit: *Non ut imperiti gigans gigatis, ſed ut gigaphi * gigantes, ita & quadras quadrantis.*

De Septimanis in toto anni Circulo.

XCVIII. Si vis ſcire, quot Septimanæ ſunt in anno, duc quater XII. fiunt XLVIII. Tot ſeptimanæ ſunt in XII. menſibus, ideſt IV. ſeptimanæ uniuſcujuſque menſis, illi autem reſidui dies, qui ſuperſunt, ideſt a quatuor tricenis, & XXII. a VII. menſibus, qui XXXI. dies habent, ſimul fiunt XXIX. hoc eſt quatuor ſeptimanæ, & unus dies. Quandocumque autem biſſextus fuerit, tunc annus habet LII. ſeptimanas, & dies II.

De Concurrentibus Solis per totum annum.

XCIX. Si vis ſcire a die datarum per totum annum V. G. IX. Kal. Apr. ubi diſcurrunt Concurrentes Solis quali feria erunt in centeſimo anno, ſic inveſtigare debes. Qualiſcumque feria fuerit in IX. Kal. Apr. in præſenti anno, computa VI. dies ſeptimanæ ſequentes illam feriam, & ille ſextus dies qui tibi occurrerit, ſcias eumdem futurum eſſe in illo die datarum centeſimo anno. V.G. iſto anno præſenti IX. Kal. Apr. tertia feria fuit. Sume VI. dies ſequentes, ideſt quartam, quintam, ſextam, ſeptimam, primam, & ſecundam feriam, hæcque ipſa ſecunda feria ſex dies occurrit poſt tertiam feriam in illa ſecunda feria erunt IX. Kal. Apr. centeſimo anno, quia qualiſcumque feria fuerit in qualibet die datarum in præſenti anno ſupra diximus IX. Kal. Apr. III. concurrentes, quia III. feria fuit IX. Kal. Apr. anno præſenti; ſic erit poſt XXVIII. annos III. feria

erit

erit VIII. Kal. Apr., ideſt III. concurrentes. Sed poſt LVI. annos VII. incipiente III. feria erunt IX. Kal. Apr. Et ita poſt LXXXIV. quinto anno incipiente III. feria erit, & III. concurrentes, ideſt primus annus præparationis biſſexti. Remanent tibi XVI. anni de centum annis. Curre ergo per ordinem recurrentium, ideſt IV. V. VI. cum biſ. I. II. III. V. cum biſ. VI. VII. I. II. cum biſ. IV. V. VI. I. cum biſ. ſecunda feria erit ille centeſimus annus. In illo erunt VIII. Kal. Apr. ideſt II. concurrentes centeſimo anno. Sic & alios dies quoslibet datarum per totum annum inveſtigare debes, quali feria erunt uſque ad centeſimum annum. Qualiſcumque enim tibi feria præſens erit in illa feria præcedenti hoc eſt heri. V. G. ut in ſexto die ſeptimanæ, quæ ſequitur, eadem feria erit. In eodem die datarum erit in centeſimo anno, & in qualicumque ordine fuerit illa feria, in illo anno concurrentes, ideſt * ſive cum biſ. ſive primus, aut ſecundus, vel tertius annus poſt biſſextum in illo ipſo ordine erit illa feria, aut concurrentes in centeſimo anno.

De Partibus Lunaribus in XI. Kal. Apr.

C. Si noſſe deſideras partes Lunares a præſenti qualibet die uſque ad C. annum, ita obſervare debes. Qualiſcumque Epacta fuerit in præſenti quolibet die datarum per totum annum V. G. XI. Kal. Apr. XX. Epacta fuerit anno præſenti. Collige XI. undecies Epactas per V. annos ſequentes, quæ ſunt LV. Si autem ſaltus fuerit, erunt LVI. Mitte ſimul & Epactam præſentis anni, ideſt XX. fiunt LXXV. Dimitte LX. remanent XV. Decima quinta Epacta erit in V. anno poſt præſentem annum hæc etiam Epacta erit, & in anno centeſimo, quia qualiſcumque Epacta fuerit in præſenti quolibet anno V. G. ſicut diximus XI. Kal. Apr. XX. eadem erit, & in anno vigeſimo, ideſt vigeſima Epacta, & ita in trigeſimo octavo anno XX. erit, & in ſeptuageſimo ſexto anno XX. erit, & in XCV. anno XX. erit. Remanent tibi V. anni de C. Curre per ordinem Epactarum prima XII. XXIII. IV. XV. hæcque in centeſimo anno XV. Epacta erit, ſicut etiam diximus. In quinto anno futuro XV. erit, hoc eſt quartum. Fiunt ergo ſimul DCCCCLXXXVI. His ergo adde III. Regulares, quia in anno Incarnationis Chriſti VIII. Kal. Apr. IV. Feria fecerunt. Quatuor ergo additis ad ſupradictum numerum fiunt DCCCCXC. Hos divide per VII. dimitte DCC. centies ſepteni ſunt. Remanent CCXC. dimitte CCXIV. viceni ſunt, hoc eſt bis VII. viceni, qui habent XLVII. remanent X. dimitte ſeptenos, remanent III. Tres concurrentes ſunt anno præſente IX. Kal. Apr. tertia feria fuerunt. Hoc argumento etiam oſtenditur, quota feria ſit in Kal. Janu. in unoquoque anno præſente, uno tantum regulari dimiſſo, ſicut bonus Sanctus Primicerius oſtendit.

De Concurrentibus monſtrandis.

CI. Si vis ſcire Concurrentes ſeptimanæ dies in IX. Kal. Apr. ſcies quotus annus ſit Cycli Solaris V. G. XIV. adde ſemper quartam partem, hoc eſt modo III. fiunt ſimul XVII. divide per VII. dimitte XIV., quia bis ſepteni ſunt, remanent III. tres concurrentes fuerunt in IX. Kal. Apr. ideſt III. Feria anno præſente. Sicque per alios annos facies, quicumque fuerint, divide per IV. partes, & quartam partem adjicies V. G. Quinto anno Cycli poſt IV. addas unum. Nono anno poſt VIII. addas II. XIII. anno poſt XII. addas III. poſt XVI. addas IV. poſt XX. addas V. poſt XXIV.

addas VI. poſt XXVII. addas VII. Et ſic invenies concurrentes præſentis cujuslibet anni. Iſte ergo Cyclus Solaris habet annos XXVIII. in ſe, ideſt IV. ſeptimanas, vel VII. quaternos, quia non poteſt conſummari, priuſquam biſſextus, qui quarto anno redire ſolet, cunctos ſeptimanæ dies circumeat, & contingat, ideſt Dominicam VI. feriam, IV. feriam, II. feriam, VII. feriam, V. feriam, III. feriam; hoc enim ordine circumeunt, & percurrunt omnes ſeptimanæ dies, namque unaquæque anni dies ſuos concurrentes habet, qui concurrentes adfixi ſunt in IX. Kal. Apr. videlicet ut proprias feſtivitates Paſchalis XIV. Luna quota ſit feria pandunt, & diem Epactarum, ac per hos & Paſchalis diei inventionum planum faciunt iter. Dionyſius de concurrentibus dicit: *Concurrentium autem Hebdomadum ratio, quæ de Solis curſu ſupervenit ſepteno annorum circulo quater ducto jugi circuitu terminatur*. In quo per annos ſingulos ideſt III. unum addere, & concurrentes præteriti anni curabis. In eo tantummodo anno, ideſt IV., in quo biſſextus fuerit duos adjicias. Iſtas ergo Epactas Solis, ideſt concurrentes ſeptimanarum dies IX. Kal. Apr. auctores ponunt, quia ſecundum traditionem divinæ Auctoritatis, vel Sancti Nicæni Concilii ſidera Cœli Solem, & Lunam in ea datarum die a Domino creata, & in Cœlo poſita ad officium humani generis eſſe adſcribunt.

Item de Concurrentibus.

Si vis ſcire ſubito, quot Concurrentes ſint eodem anno, ad feriam curre. Inveni Kal. Apr. quota feria ſit, & ubi Kal. inveneris, ſtatim retro inveni IX. Kal. Apr. Et in quota Feria IX. Kal. Apr. inveneris V. G. in Feria I. II. III. IV. V. VI. vel VII. quia plus non creſcunt, talem habebis concurrentem, quia Græci Epactam Solis, ideſt concurrentes ſeptimanæ dies, qui de Solis curſu perveniunt, IX. Kal. Apr. ponunt. Quia ſecundum traditionem Divinæ auctoritatis, vel Sancti Nicæni Concilii ſidera Cœli, ideſt Solem & Lunam, & Stellas in eo datarum a Domino creata, vel in Cœlo poſita ad officium humani generis eſſe adſcribunt. CII.

Ad Feriam monſtrandam in Kal. Janu.

Si vis ſcire diem Kal. Janu. per ſingulos annos, quota ſit feria, ſume annos ab Incarnatione D. N. J. C. ut puta modo DCCCX. ſubtrahe ſemper unum, remanent DCCCIX. hos partire per IV. partes, & quartam partem, quam partitus es, adjice, hoc eſt CCII. fiunt ſimul MXI. hos partire per VII. partem, dimitte D C. fit ſepties centum, remanent CCCXI. dimitte CCLXXX. ſepties XL. ſunt remanent XXXI. dimitte XXVIII. quater ſepties ſunt, remanent III. Tertia feria fuerit Kal. Janu. anno præſente. CIII.

De Cyclo Solari, & Lunari per digitos demonſtrando.

Quidam ad compendium calculandi utriuſque ordinem circuli, Solaris videlicet, & Lunaris, transferunt in articulos. Nam quia manus humana articulos habet XIX. adjunctis unguibus ſingulis artubus, & unguibus ſingulos aptantes annos Lunarem curſum per XIX. annos. In læva manu intrinſecus radice pollicis incipiunt, & in ungue minimi digiti, hoc eſt auricu- CIV.

ricularis intrinſecus eumdem Cyclum Lunarem conſumunt. Et quia manus binæ articulos habent XVIII. intrinſecus autem exceptis unguibus his ſingulis artubus ſingulos annos aptant in quantas * a minimo digito lævæ manus hoc eſt ſummo articulo auricularis, quaſi prima feria cum biſſexto, & in ſiniſtro pollice hoc eſt a ſummo articulo in VI. feria Cyclum Solarem complentes, & terminantes, non ut in Lunæ cyclo ſingulos exordio * ne digitos expedientes in numerum, ſed propter rationem quadrantis per quaternos intrans verſum digitos quadriennium omne ſignantes, ita ut minimorum digitorum, hoc eſt auricularium bis terni articuli, ideſt VI. ad totidem annos biſſextiles deputant. Item proximorum digitorum a minimis bis terni articuli ante hos eſt VI. * primus annus præparationis biſſexti in utraque manu demonſtrat. Similiter ſecundi digiti a minimis duabus manibus per VI. articulos II. ſex annos præparationis biſſexti oſtendunt, & tertii digiti a minimis utriuſque manus III. ann. VI. præparationis biſſexti per VI. articulos utriuſque digiti demonſtrat. Porro ſeptimus biſſextilis annus cum tribus annis ſequentibus bis binos articulos duorum pollicibus teneat. In hoc ergo ordine calculator biſſextiles VII. annos per XXVIII. percurrens invenit, incipiens biſſextum in prima feria a minimo digito in ſummo articulo auricularis, & ſic dicis prima feria cum biſſexto. In ſecundo articulo minimi digiti VI. feria cum biſſexto. In tertio articulo IV. feria cum biſſexto. Deinde in dextera manu in ſummo articulo minimi digiti dicis ſecunda feria cum biſſexto. In ſecundo articulo VII. feria cum biſſexto. In tertio articulo hoc eſt in radice minimi digiti V. feria cum biſſexto. Deinde in radice pollicis dextræ dicis III. feria cum biſſexto. Hucuſque de Concurrentibus.

De Principiis quatuor temporum.

CV. Si vis ſcire, qua die ſeptimanæ intrant quatuor tempora, hoc eſt Ver, Æſtas, Autumnus, & Hyems, ſume principium a Kal. Maji. quacumque enim feria fuerint Kal. Maji, ſequenti die ſeptimanæ intrant Kal. Aug., hoc eſt principium Autumni tertia die Kal. Hyemis, quarta die principium Veris, hoc eſt Kal. Febr., nec biſſextus mutat hanc rationem.

Item Seſebutus de Eclipſibus Solis & Lunæ dicit.

CVI. Seſebutus dicit: Quur feſſo Luna * libeſcit circulus orbe
Purpureumque jubar nivei quur tabeat horis
Inſima vicinis novum quam decolor umbris
Fratre * curet vacuaque exanguis defficit hora.
Inviolatum * erit ſed vaſto corpore tellus
Quæ medium tenet immo polum dum culmina fratres
Deſerit umbriferis noctibus dum ſidere caſſo
Polleſcit terræ umbra rotæ dum tranſeat axem
Agere velox cumulo ſpeculoque roſanti
Fraternas reparet per cœlum libera flammas.
Quur autem ſola ſpolietur lumine Luna
Nil vero mirum eſt, quippe illam lucis egentem
Lux aliena fovet, quam cum pars proxima metæ
Invidet, expectat radius male cærula fratres.
Fort. At Chorus Aſtrorum. Ad chorum Auſtrorum reliquus non tangitur umbris,
Et proprium cunctis jubar eſt, nec Sole rubeſcunt,
Sed porro ultra Solem rapitur cum vertice cœli.

Jam

Jam quur menſtruo non ſemper palleat orbe
Inflexi præſtant illico jam tramite, curſus
Namque vagans errore rato cum devia tortus
Tum legit anfractus, metam ſol eminus exit
Intorquetque peplum noctis, radiatque ſororem.
Hæc eadem ratio eſt ſubitis ubi frangitur umbris
Auguſti Solis rutilum jubar indiga lucis,
Quando inter terram & Solem rota corporis albi
Lunam erat fratrem rectis arguens.

Argumentum ad Epactas Solis in Kal. XII. Menſium.

Si vis ſcire uniuſcujuſque menſis diem ſeptimanæ in Kal. per unam ſeptimanam, ita invenies, hoc eſt per illos dies VII. Primus Mart. Menſis uſque ad Non. Mart., quia qualicumque feria fuerint Kal. Mart., in illa erunt Kal. Novemb., & qualicumque die ſeptimanæ fuerint VI. Non. Mart., in illa ipſa die erunt Kal. Jun., & Kal. Febr. Et in quali feria fuerint VI. Non. Mart. in ipſa erunt Kal. Febr. & Decembr. In quacumque feria fuerint IV. Non. Mart. in illa erunt Kal. Apr. & Kal. Jul. Item III. Non. Mart. Kal. Octob. Prid. Non. Mart. Kal. Maji, & Kal. Janu. Non. Mart. Kal. Aug. in eadem feria ſunt. CVII.

De duodecim Signis Cœli, quæ currunt in Zodiaco circulo, qui circulus ſignifer dicitur, hoc eſt ſideralis curſus.

Zodiacus curſus ideſt ſiderius, vel ſideralis, & ſignifer dicitur, eo quod XII. ſigna inferre videtur. Undique enim gyrum cœli rotundiſſimum per lineam Zodiaci circuli, quaſi perſonam ampliſſimæ ſperæ circumdatam diſtincti ordines gemmarum XII. ſeſe invicem contingentium ab Oriente uſque in Occidentem, ita obſident, & cohærent. Hæc ergo Zona, quæ Zodiacus, & ſideralis dicitur, & Mazaroth, & horum cobus cingit cœlum XII. ſtellis diſtincta, per quæ Sol & Luna diſcurrunt. Et ſunt tantæ magnitudinis, ut non minus quam duabus horis ſingula ſigna oriri, vel occidere, vel de loco moveri poſſint. Tantum vero ambitum Zodiaci ictis LXV. diebus, & VI. horis peragit. Luna autem XXVI. diebus, & VIII. horis eadem XII. ſigna pervolat, binis verò diebus, & VI. horis, ac beſſe unius horæ unumquodque ſignum percurrit. Hæc autem ſigna XII., per quæ Sol & Luna currunt, ita vocantur: Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces. In unoquoque ſigno ex his Sol moratur XXX. diebus, & X. horis, & dimidia hora. Luna autem duobus diebus, & XI. horis unumquodque ſignum percurrit. Et hæc XII. ſigna cum firmamento currunt Linea obliqua candido circulo ab Oriente in Occidentem, & ab Occidente in Orientem ſemel in die & nocte per XXIV. horas. Sol autem & Luna, & Stella Saturni, ſtella Jovis, ſtella Martis, ſtella Veneris, ſtella Mercurii contra firmamentum currunt, ſed fortitudo curſus firmamenti trahit ea ſecum retro, unde retro gradiuntur. Et hæc cauſa eſt inæqualitatis dierum, & noctium in longitudine & brevitate obliquitas ſigniferi, per quem Sol & Luna currunt, cum pars æqua mundi ſuper, ſubterque terras omnibus CVIII.

bus fiat momentis. Inde Iſidorus dicit: *Sol enim obliqua linea pergit ad Boream, & ita ad Orientem revertitur*.

De cauſis quibus nomina acceperunt XII. ſigna.

CIX. Signa XII. vel a cauſis annalibus, vel a Gentilium fabulis nomina ſumpſerunt. Nam Arietem Martio Menſi propter Ammonem Jovem tribuunt, qui ut fabula fert, in illo Menſe Libero patri cum ſuo exercitu in India in arenoſis locis, ubi aquam non habebant, & illis ſitientibus Jupiter oſtenſus eſt in forma arietis, & oſtendit illis fontem. Propterea in ejus ſimulacro Arietis cornua finxerunt. Item Euſebius in Chronico ait: *Frixus cum Helle ſorore ſua fugiens inſidias novercales viſus eſt per eram vehi ab Ariete velleris aurei*. Fuit autem navis parata ei fugienti, cujus inſigne aries erat. Taurum Aprili tribuunt propter eumdem Jovem, eo quod in bovem converſus ſit, ut fabulæ ferunt. Geminos, ideſt Caſtorem, & Pollucem, quibus Majum propter inſignes virtutes eorum adſignarunt. Porrò Cancrum Junio adſignarunt, eo quod Sol in illo Menſe ad inferiora revertitur, ſicut Cancer impulſus retro curſum dirigere ſolet. Leonem, quem occidit Hercules, Julio propter vim fervoris adſignant. Virginem Auguſto, eo quod tunc tellus exuſta caloribus nihil pariat. Libra Septembri ob æqualitatem diei, & noctis. Scorpium & Sagittarium equinis cruribus formatum propter fulmina menſium ipſorum Octobrem, & Novembrem accipiunt, Capricornum December ſortitur propter capram Jovis nutricem, cujus extrema piſci ſimilia pinguntur, eo quod hujus menſis ultima ſpatia ſunt pluvida. Aquarium Januario, & Februario Piſces tradunt propter menſes illos imbriferos. Unumquodque ergo ſignum de his XII. annis a medio die Menſis ſemper incipit. hoc eſt XXV. Kal. Jun. cujuſque menſis exceptis duobus menſibus Januar. & Febr., quia XVI. Kal. Febr. Sol intrat Aquarium & XIV. Kal. Mart. ingreditur Piſces. In aliis autem X. ſignis Sol intrat principium uniuſcujuſque ſigni XV. Kal. Primum ſignum Arietis oriri incipit medio Martio, ideſt a XV. Kal. Apr. Secundum Tauri incipit XV. Kal. Maj. Tertium Geminorum XV. Kal. Jun. Quartum Cancri XV. Kal. Julias. Quintum Leonis incipit XV. Kal. Aug. Sextum ſignum Virginis incipit XV. Kal. Septemb. Septimum ſignum incipit Libræ XV. Kal. Octob. Octavum ſignum Scorpio XV. Kal. incipit. Nonum ſignum Sagittarius XV. Kal. Decemb. incipit. Decimum ſignum Capri XV. Kal. Janu. incipiunt. Undecimum ſignum Aquarii incipit XVI. Kal. Febr. Duodecimum ſignum Piſcium incipit XIV. Kal. Mart. Decem horæ & ſemis, quæ plus ſunt in ſignis ſingulis, computari negliguntur, ſed tamen computari, & memorari debent. Tricenis enim diebus, & X. horis & ſemis hoc eſt XX. momentis Sol in unoquoque Signo moratur. Singulis ſignis XXX. partes, ternæ verò decades deputantur, & ſingula ſigna X. punctos habent, ideſt duas horas V. Emm. puncti in luna unam horam faciunt. Singuli igitur menſes ſua ſigna habent. Aprilis ſignum Arietis, Majus Tauri, Junius Geminorum, Julius Cancri, Auguſtus Leonis, September Virginis, October Libræ, November Scorpionis, December Sagittarii, Januarius Capricorni, Februarius Aquarii, Martius Piſcium, ſicut quidam veterum etiam verſibus explicavit.

De

De curſu Solis, & Lunæ, ideſt in quo ſigno currit Sol, & in quo ſigno Luna.

Si vis ſcire, in quo ſigno Luna eſt, & quot ſigna, quot partes ſunt CX.
inter Solem & Lunam in unaqnaque die, ſume Lunam, quam volueris, ut puta primam. Multiplica unum per IV. fiunt IV. In IV. ergo punctis Luna prima ſemper a Sole diſtat. Duc quater ter, fiunt XII. Duodecim ergo partibus hoc eſt XII. diebus Luna prima ſemper a Sole elongatur. Propterea autem quotacumque Luna fuerit per IV. multiplicatur, quia IV. punctis ſemper creſcit ſplendor Lunæ recedendo a Sole; & IV. punctis ſplendor Lunæ decreſcit ſemper omni die poſt plenilunium adpropinquando ad Solem uſque ad accenſionem. & IV. punctis ſemper Luna creſcens omni die elongatur a Sole uſque ad plenilunium. Sic etiam Luna decreſcens IV. punctis omni die adpropinquat ad Solem. Propterea, ſicut diximus, quæcumque Luna fuerit per IV. multiplicatur. Et ideo poſtea ille numerus quaternarius quotuſcumque fuerit ter ducitur, quia tres partes ſunt in unoquoque puncto, & ita in IV. punctis ter ductis XII. partes ſunt. Aut eo amplius; hoc eſt XIII. partibus. Quod enim Luna currit in unoquoque die per IV. punctos illud ſpatium cœli, & temporis, non poteſt Sol currere minus, quam XII. vel XIII. partibus hoc eſt diebus. Item Luna ſecunda multiplica II. quater, fiunt VIII. Tot puncti ſunt inter Solem & Lunam, hoc eſt una hora, & III. puncti. Quando Luna ſecunda eſt, duc VIII. ter, fiunt XXIV. Tot partes ſunt inter Solem & Lunam, quando ſecunda eſt. Item tertia Luna multiplica ter quater: XII. fiunt. Duc ter, fiunt XXXVI. Uno ergo ſigno & VI. partibus Luna III. elongatur a Sole. Sic Luna IV. multiplica, XVI. fiunt. Duc ter, fiunt XLVIII. Uno ſigno, & XVIII. partibus Luna quarta elongatur a Sole. Item Luna V. multiplica quinque quater, fiunt XX. Tot puncti ſunt inter Solem, & Lunam, quando Luna quinta eſt, hoc eſt duo ſigna integra. X. enim puncti in Luna, hoc eſt duæ horæ unum ſignum faciunt. XX. autem puncti duo ſigna complent. Si enim ter duxeris LX. ſunt, hoc eſt bis XXX., qui faciunt duo ſigna. Tricenæ enim partes unum ſignum faciunt. Item Luna VI. ſi vis ſcire, quantum a Sole diſtet, multiplica VI. quater, fiunt XXIV. Hos partire per decies. bis deni ſunt, hoc eſt duo ſigna. remanent IV. Multiplica ter, fiunt XII. Duobus ergo ſignis, & XII. partibus Luna VI. ſemper a Sole diſtat. Item Luna ſeptima multiplica VII. quater, fiunt XXVIII. Duc ter, fiunt LXXXIV. Duobus ſignis, & XXIV. parte tertii ſigna * Luna a Sole elongatur. Item Luna VIII. multiplica VIII. quater, fiunt XXXII. His ductis ter fiunt XCVI. tribus ſignis, & VI. partibus Luna VIII. elongatur a Sole. Sic Luna nona ſi volueris ſcire quantum diſtat a Sole: multiplica IX. quatuor vices, fiunt XXXVI. Duc ter, fiunt CVIII. tribus ſignis, & XVII. partibus Luna nona a Sole elongatur. Item Luna X. multiplica X. quater, XL. fiunt XL. punctis, hoc eſt VIII. horis Luna decima elongatur a Sole. X. ergo puncti, ideſt duæ horæ unum ſignum faciunt. Et XL. puncti, hoc eſt XIV. IV. ſigna complent. Et ita Luna X. IV. ſignis ſemper a Sole diſtat. Luna ergo XV. ſi vis ſcire, quantum a Sole diſtet, & quot ſigna ſunt inter Solem, & Lunam, quando plenilunium eſt, multiplica XV. per IV. vices, fiunt LX. Tot puncti ſunt in Luna XV., & tot punctis lucet, hoc eſt XII. horis, & tot punctis, & tot horis, diſtat Luna decimaquinta, hoc eſt VI. ſignis; ſi enim LX. per decem partitus fuerit; hoc eſt per ſigna integra, quia X. puncti ſemper ſignum faciunt. Sexaginta ergo ſexies deni ſunt, hoc eſt VI. ſigna. Item LX. ter

multiplicati fiunt ter ſexageni, hoc eſt VI. triceni, qui perficiunt VI. ſigna. Sex ergo ſignis ſemper, ideſt dimidio ſpheræ cœleſtis Luna XV. a Sole diſcernitur. Denique orbem Lunæ, quotiens pleniſſimus eſt, contra Solem cernis oppoſitum, humilem videlicet Sole ſublimi, & ſublimem Lunam Sole humili. Sole æſtivum tenente circulum, hoc eſt confinia ſolſtitii æſtivi plena Luna tenet brumalem circulum, hoc eſt confinia hyemalis ſolſtitii. Sole devexo & inclinante in brumalem circulum, Lunam plenam ſolſtitiali circulo ſcandere nox longiſſima prodit. Cum Sol unum æquinoctium tenet, in plenilunio alterum æquinoctium Luna ſervat. Sol æquinoctii tranſgreſſus longitudinem noctis ſuperat Luna per plenilunium totam noctem in æquinoctio, & poſt æquinoctium inluſtrat, ideſt totum ſpatium, quod Sol per diem percurrens inluſtravit, ſimiliter Luna tota nocte peragrando illluminat. Hucuſque de Luna creſcente diximus per quot punctos, horas, partes, & ſigna elongatur a Sole uſque ad plenilunium. Nunc etiam videamus, quomodo Luna decreſcens adpropinquet ad Solem omni die. Æquali numero punctorum, & horarum, & partium, & ſignorum uſque ad accenſionem in XXX. die. Sicut ergo Luna creſcens IV. punctis omni die elongatur a Sole, ſic etiam Luna decreſcens IV. punctis omni die adpropinquat ad Solem. Et quantum XV. Luna diſtat a Sole recedendo, ideſt V. ſignis, & XVIII. partibus, hoc ſpatio Luna XVI. diſtat a Sole adpropinquando, hoc eſt V. ſignis, XVIII. partibus. Et quantum Luna XIII. elongatur a Sole recedendo, ideſt V. ſignis, & VI. partibus interpoſitis. Et ſicut Luna XII. quatuor menſibus & XXIV. partibus elongatur a Sole, hoc numero interpoſito Luna XVIII. adpropinquat ad Solem. Et ſic de ſingulis uſque ad Lunam XXX.

Argumenta de curſu Solis per XII. ſigna.

CXI. Si ſcire volueris, in quo ſigno, vel in qua parte ſigni eſt Luna, & quot partes, vel quot menſes ſunt inter Solem, & Lunam, in omni die ſume Lunam præſentem, quamcumque volueris, & multiplica duodecies, quia XII. partibus Luna omni die elongatur a Sole, & quotus numerus de illa multiplicatione fuerit, tot partes, ideſt dies, vel ſigna ſunt inter Solem, & Lunam. Si autem terdecies Lunam quamlibet multiplicaveris, quotus numerus fuerit, tot partes vel menſes erunt inter illum locum, in quo Luna accenſa fuerit, & illam partem cœli, ubi Luna currit præſens. Illam ergo partem cœli, quam prima Luna die nocteque completa percurrit, ſic Luna II., ubi currit, ibi XXIV. dies Sol perveniet, & ita inveſtigandum eſt per cetera.

De Septem Sideribus errantibus.

CXII. Inter cœlum terramque ſeptem ſidera pendent certis diſcreta ſpatiis, quæ vocantur Sol, & Luna, Stella Saturni, Stella Jovis, Stella Martis, Stella Veneris, Stella Mercurii. Hæc autem VII. ſidera errantia dicuntur contrarium * mundum agentia curſum, ideſt lævo illo ſemper in dextera percipiet, quamvis aſſidua converſatione in menſe celeritatis adtolluntur ab eo, rapianturque in occaſum, adverſo tamen ire motu per ſuos quæque paſſus advertuntur nunc inferius, nunc ſuperius propter obliquitatem. Signiferi vagantur; radiis autem Solis præpedita, anomala, vel retrograda, vel ſtationaria fiunt. Summum Planetarum, ideſt errantium ſiderum, Saturni ſidus eſt natura gelidum. Inde Auguſtinus dixit: *Stella*

Satur-

Saturni circulum ſuum XXX. annorum ſpatio implet, quæ pro aquarum vicinitate frigida eſſe fertur. XXX. annis Signiferum peragit. Hæc ergo ſtella in ſeptimo cœlo poſita eſſe dicitur. VII. enim cœli eſſe dicuntur. Inde enim Iſidorus dicit: *Philoſophi mundi VII. cælos globorum conſono motu introduxerunt*. In ſexto cœlo ſtella Jovis eſſe dicitur, quæ alio nomine vocatur ſtella Phaetontis, natura temperata, annis XII. curſum ſuum peragit. In V. circulo ſtella Martis currere dicitur, quæ Veſper vocatur natura fervida, annis duobus curſum ſuum peragere videtur, totum verò circulum Zodiacum XV. peragit annis. In quarto cœlo Sol medius Planetarum currit CCCLXV. diebus, & quadrante curſum ſuum peragens, ſed tamen poſt XXVIII. annos peractos in eumdem circulum revertitur. In tertio cœlo ſtella Veneris infra Solem diſcurrens, quæ Lucifer dicitur, ut * aliodem CCCXLVIII. diebus curſum ſuum perficiens. Totum autem circulum novem annis implere dicitur. In ſecundo cœlo Mercurii ſidus currere dicitur CCCXL. diebus ociore ambitu modo ante Solis exortum, modo poſt occaſum ſplendens. In primo circulo Luna percurrere dicitur XXVIII. diebus, & XII. horis, ut alii autem dicunt XXVII. diebus, & tertia parte diei, hoc eſt VIII. horis ſigniferum pervolat. Poſt XIX. autem annos completos in eumdem circulum revertitur.

De velocitate curſus Lunæ.

Luna vicinior eſt terris, quam Sol, unde & breviore orbe celerius peragit curſum ſuum; nam iter, quod in diebus CCCLXV. & quadrante Sol peragit, Luna currit per XXX. dies; Unde & antiqui menſes in Luna annos, non in Solis curſu poſuerunt. Creſcens autem Luna Orientem cornibus petit, decreſcens Occidentem; & merito, quia caſura, & amiſſura eſt lumen. CXIII.

De aſcenſu Solis, & deſcenſu per totum annum, quomodo creſcit in unaquaque die, vel quomodo decreſcit.

Quot dies ſunt in aſcenſione Solis, & deſcenſione, ut ſit æqua diviſio inter lucem, & tenebras, hoc eſt inter aſcenſum Solis, & deſcenſum? Si hoc ſcire volueris, ita inveſtigandum eſt. A XII. Kal. Janu. dies incipit creſcere uſque in XI. Kal. Jul. hoc eſt per duo XC., & duos dies, ideſt per VI. menſes, qui habent dies CLXXXII. Per hos ergo ſex menſes, & dimidium diem naturalem, hoc eſt XII. horas creſcit lux, & dies, & decreſcit nox, & tenebræ in omni die per II. momenta, & dimidium, & ſextam partem momenti; hoc eſt duas tertias momenti. Et ita per XV. dies, & paul. amplius hora creſcit. Per XXX. autem dies duæ horæ creſcunt, ſed tamen non ſunt illæ duæ horæ integræ adhuc uſque dum pervenias ad octo horas diei de menſe ſequente. In duobus autem menſibus IV. horæ creſcunt in Sole in augmento diei, ſed tamen illæ IV. horæ non ſunt plenæ uſque ad XVI. horam diei de Menſe tertio. Et ita in tribus menſibus tricenis, & in uno die addito, hoc eſt per XCI. dies ſex horæ creſcunt. Tot dies ſunt a XII. Kal. Janu. uſque ad XII. Kal. Apr., hoc eſt XII. horis in die, & XII. in nocte, æqualem namque horarum, & momentorum, quæ CDLXXX., & totidem in die quot in nocte. In VI. horis autem creſcentibus momenta ſunt CCXI. Item ab XI. CXIV.

Kal. Apr. uſque ad XII. Kal. Jul. III. menſes ſunt, qui habent dies XCI. & ſic creſcit Sol in unoquoque die per duo momenta, & duas tertias momenti. Per XV. autem dies una hora creſcit, ſed tamen paulo amplius, quia uſque ad IV. horas XV. diei non eſt illa hora integra. Et ſic in uno Menſe XXX. dierum duæ horæ creſcunt. In duobus menſibus IV. horæ, & ita in tribus menſibus, hoc eſt ab Æquinoctio vernali, uſque ad Solſtitium, ideſt ab XI. Kal. Apr. uſque ad XI. Kal. Jul. per XCI. dies aliæ ſex horæ creſcunt, ſic enim Anatholius Alexandrinus Laodiciæ civitatis Epiſcopus demonſtrat dicens: *Per XV. dies Sole aſcendente per duo momenta, & dimidium, & ſextam partem momenti, hora diminuitur de tenebris, hoc eſt de nocte, & creſcit in lumine, hoc eſt in die*. Et ſic creſcunt XII. horæ, hoc eſt CDLXXX. momenta a XII. Kal. Jan. uſque in XI. Kal. Jul. I, & tunc fiunt XVIII. horæ in die ſolſtitiali æſtivo, hoc eſt III. partes diei naturalis, qui habet XXIV. horas in ſe, & quarta pars illius diei naturalis fit in nocte ſolſtitiali, hoc eſt ſex horæ ſimili modo, & ſimili numero dierum, hoc eſt nonageni bini, & duodecies per VI. menſes, & dimidium diei naturalis, ideſt XII. horas per duo momenta, & duas tertias momenti in unoquoque die decreſcit lux, & creſcunt tenebræ, & nox ab XI. Kal. Jul. uſque in XII. Kal. Janu. uſque ad Solſtitium hyemale ſimili numero horarum, & momentorum, & dierum ſicut lux ſic decreſcit, & creſcunt tenebræ hora per XV. dies duæ horæ, per XXX. horæ IV. per duos menſes, hoc eſt per XL. dies ſex horæ: Per III. menſes hoc eſt a Solſtitio æſtivo ab XI. Kal. Jul. uſque ad Solſtitium hyemale, & ad XII. Kal. Janu. ſecundum Græcos XII. horæ creſcunt in tenebris, & duæ diminuuntur per dies CLXXXII., hoc eſt per momenta CDLXXX. Et tunc habentur in illa nocte ſolſtitiali hyemali XVIII. horæ, hoc eſt tres partes diei naturalis, & quarta pars in die illo ſolſtitiali, nempe VI. horæ. Hucuſque de aſcenſu, & deſcenſu Solis ſit dictum, ſapientiori majora relinquendo.

De Eclipſi Lunari, & Solari Plinius, & Hieronymus.

CXV. Plinius ſecundus in opere pulcherrimo naturalis Hiſtoriæ ita deſcripſit: *Certum Solis defectum non niſi noviſſima vel prima Luna fieri, quod vocant cœtum. Luna autem non niſi plena patitur eclipſin; omnibus autem annis fieri utriuſque ſideris defectus ſub terra, nec tamen cum supernè fiunt ubique cerni, aliquando propter nubila, ſæpius globo terræ obſtante, & convexitatibus Mundi*. Item Hieronymus: *Deliquium Solis, ideſt defectus veris, æſtatiſque temporibus accidere ſolet, nunquam niſi ortu Lunæ fieri ſolet*.

Lacteus circulus eſt via candida, quæ in ſpera videtur, a candore dicta, quia alba eſt, quam aliqui viam eſſe dicunt, quia circuit Sol * ſplendoris ipſius tranſitu, ita Lunare.

Sol dum igneus ſit, præ nimio motu converſionis ſuæ amplius incaleſcit, cujus ignem dicunt Philoſophi aqua nutriri, & e contrario elemento virtutem luminis, & caloris accipere.

De variis nominibus Solis per varias linguas.

CXVI. Quam ſe in Hebræo Luna ſimplicia. Ælios in Græco, Phanath cum Philoſophis, Tithan cum Caldæis, Sol cum Latinis de ſoliditate luminis, vel eo quod Solus appareat obſcuratis ſideribus radiis ejus potentibus.

Ar-

Argumenta de initio Quadrageſimæ, & de clauſula Paſchæ, & de Rogationibus, & Pentecoſte.

Si volueris ſcire, quota Luna ſit initium Quadrageſimæ in Rogationibus, ſcias quota Luna fuerit in Paſcha in unoquoque anno. De illa Epacta præſenti in Paſcha reſcinde XII., ſic erit Luna initii Quadrageſimæ. Item adde VII. ſuper illam ætatem, quam in Paſcha præſenti habueris, ſic erit Luna in Rogationibus. Item hoc ſcias, quia qualis Luna fuerit in clauſula Paſchæ in unoquoque anno, talis erit in Rogationibus. Quando enim XV. Luna in Paſcha fuerit, tunc XXII. Luna in clauſula Paſchæ, ſic etiam XXII. erit in Rogationibus: ſic per VII. ætates Luna in clauſula Paſchæ, & in Rogationibus, ideſt a XXII. uſque ad XXVIII. Item quando XV. Luna in Paſcha fuerit, tunc erit XXV. in Aſcenſione Domini, & quando XXI. Luna in Paſcha invenitur, tunc prima Luna erit in Aſcenſione Domini a XXV. Luna uſque ad XXXI. Et quandocumque XV. Luna fuerit in Paſcha, tunc erit V. in Pentecoſte, & quando XXI. in Paſcha, tunc erit XI. Luna in Pentecoſte. Hæ enim ſunt VII. ætates Lunæ ſervandæ in Pentecoſte a V. Luna uſque ad XI. Et quando XV. Luna in Paſcha invenitur, tunc VIII. Luna in Dominica Palmarum eſt, & quando XXI. Luna in illa die Palmarum ante Paſcha, & hæ ſunt VII. ætates Lunæ die illius, ideſt ab VIII. Luna uſque ad XI. CXVII.

Argumenta de Cyclo magno decemnovennali, & Lunari & de Cyclo magno demonſtrandis per annos ab origine Mundi.

Si vis ſcire, quotus ſit annus Cycli Solaris, qui XXVIII. annis peractis in ſe revertitur XXIX. anno incipiente; quod ſi volueris ſcire, quotus annus Cycli XIX., immo etiam quotus annus ſit Cycli Magni, qui DXXXIII. anno incipiente in ſemetipſum revertitur, aut quot anni ſunt ab origine Mundi, & quot Cycli Solares, & decemnovennales, & quot ſaltus, & biſſextiles dies, & quot Cycli magni: computa undecies DXXXIII. D. ergo anni undecies multiplicati fiunt $\bar{V}$. Item XXX. undecies multiplicati fiunt CCCXXX., ſimul autem & prædictus numerus $\bar{V}$DCCCXXX. Item III. undecies multiplicati XXXIII. qui additi ſuper numerum prædictum fiunt ſimul $\bar{V}$DCCCLXIII. In XI. ergo Cyclis magnis tot anni ſunt, ideſt $\bar{V}$DCCCLXIII., remanent CXXVI. De numero annorum ab initio Mundi. Centeſimus igitur vigeſimus ſextus annus nunc agitur duodecimi magni Cycli. Hos ergo omnes annos divides per Cyclos Solares, & decemnovennales, ut ſciamus, quot Cycli Solares ſint, & quot decemnovennales ab origine Mundi, & quotus annus ſit in præſenti anno Cycli Solaris, & Cycli decemnovennalis. In uno ergo Cyclo magno, quem dicunt in ſe reverti DXXXIII. anno incipiente Solares Cycli ſunt XIX. Decemnovennales vero XXVIII.. Si enim XXVIII. decies & novies multiplicaveris, vel XIX. per XXVIII. DXXXII. efficiunt. Et ſi in XI. Cyclis magnis CCIX. Solares Cycli ſunt; nam X. undecies multiplicati fiunt CX. & IX. undecies, vel undeno ducti XCVIIII. ſunt, ſimul autem CXVIII.

 CCIX.

CCIX. Item in XI. magnis Cyclis Decemnovennales ſunt CCCVIII. XX. enim undecies multiplicati CCXX. ſunt, & VIII. undecies, vel XI. octies ducti LXXXVIII. faciunt. Simul verò CCCVIII. in quibus ſunt anni V̄DCCCLXIII. Item in annis CXXVI., qui ſuperſunt IV. Cycli Solares continentur. XX. enim quater ducti fiunt LXXX., & VIII. quater multiplicati fiunt XXXII. ſunt ſimul autem CXII. Adde iſtos IV. Cyclos ſolares ſuper alios ſupradictos CCIX., fiunt CCXIII. Tot Cycli Solares integri ab initio Mundi, in quibus anni continentur V̄DLXXV. remanent XIV. Quartus decimus annus eſt Cycli Solaris. Item in CXXVI. annis, qui remanent ſuper XI. Cyclos magnos per XIX. diviſi VI. decemnovennales ſunt. Si enim de CXX. tolle VI. ſex decemnovennales feciſti, & illi VI., quos tuliſti, & alii VI., qui ſuper CXX. fuerant, fiunt ſimul LXII. Duodecimus annus eſt Cycli decemnovennalis. Qui annus communis incipit a XVI. Kal. Mai. uſque in prid. Non. Apr. dies habens CCCLIV. Illos ergo VI. decemnovennales, quos feciſti de CXX. mitte ſuper CCCVIII. ſupradictos, fiunt CCCXIV., tot Cycli decemnovennales ſunt integri ab initio Mundi, in quibus ſunt anni V̄DCCCCLXXVII., remanent XII. Duodecimus annus eſt Cycli decemnovennalis, ſicut diximus.

De numero Cyclorum, & quot dies biſſextiles, & quot ſaltus ab origine Mundi.

CXIX. Quot ergo Cyclos decemnovennales habet ab origine Mundi, CCCXIV. tot ſaltus ſunt, ideſt CCCXIV. Biſſextiles autem dies ſunt MCDXCVII., in quibus continentur anni IV., & dies XXXVII.

Incipit Cyclus Decemnovennalis, quem Græci Enneacaidecacterida vocant.

CXX. Conſtitutus a Sanctis Patribus, in quo XIV. Paſchales omni tempore ſine ulla reperies falſitate: tantùm memineris annis ſingulis, qui Cyclus Lunæ, & qui decemnovennalis exiſtet. In præſenti namque tertia Indictio eſt Conſulatu Probi junioris tertius decimus Circulus decemnovennalis, X. Lunaris eſt. finit.

Hic autem Cyclus Dionyſii V. decemnovennalis conſtat, hoc eſt XCV. annis, ſumitque exordium a XXXII. anno Incarnationis Domini, & definit in DXXVI. annos. Hunc ergo Cyclum prætermiſimus, quia præteriit totus.

Incipit Præfatio Sancti Felicis Abbatis Cyrillitani.

CXXI. Olympiade CXCIV. mediante, ideſt XLII. anno Imperii Octaviani Auguſti natus eſt Dominus N. J. C. in carne. A nativitate ergo Domini uſque in Olympiadem XLV. tam idem uſque in primum annum Diocletiani fiunt anni CCLXXXIV. Et a primo anno Diocletiani uſque in primum Cyclum Dionyſii invenies annos CCXLVIII. fiunt quippe ſimul anni DXXXII. Ab hoc & Dionyſius annos DXXXII. in primo ſuo Cyclo ab Incarnatione Domini. Nam hic Cyclus S. Cyrilli in CCXLVII. finivit.

Addes

Addes I., quem inchoat Dionyſius, & invenies annos CCXLVIII., ſicut ſupradictum eſt. Finit.

Incipit Prologus Sancti Chyllitani. Iterum Sermo Felicis, incipit de Dionyſio, & de ſemetipſo in Chriſti nomine.

Dionyſius quondam Urbis Romæ Sanctiſſimus Abbas utriuſque linguæ CXXII.
Græcæ ſcilicet & Latinæ eleganti ſcientia præditus Paſchalium interea rationum decemnovennales numero V. ſagaci ingenio anteriores compoſuit Cyclos, exordium ſcilicet ſumens ab Incarnatione D. N. J. C. DXXXII. ann. Indictione X. uſque ad DCXXVI. Incarnationis annum Indict. XIV. memoratorum Cyclorum ſerie continuata produxit. Et quoniam memorati viri quintus nunc peragitur Cyclus, ad cujus ſupplementum X. adhuc ſuperſunt anni ad * noſtram providet parvitas alios ſubſequentes Cyclos decemnovennales numero V. ad inſtar ſuperiorum Cyclorum rationali diſpoſitione componere, initium facientes a DCXXVII. Incarnationis anno Indict. XV. uſque ad DCCXXI. Incarnat. annum Indict. IV. certum præfixum * eſt poſuimus terminum. Quapropter monuimus Lectorem, ut dum præfati, & venerabilis Dionyſii quintus expletus fuerit, ad noſtros ſubſequentes Cyclos, ut diximus V. tranſitum faciat, & abſque ulla erroris caligine dies feſtos Paſchales, vel Lunas per ordinem fida ratione reperiet.

Expliciunt Chyllitani V. Cycli Decemnovennales prætermiſſi, eo quod omnes præterierint.

Anno XIX. IV. Luna I. a Kal. Janu. uſque ad XIII. Kal. Janu. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. V. Luna II. a XII. Kal. Janu. uſque in V. Id. Decemb. quia communis eſt annus, dies CCCLIV.

Anno XIX. VI. Luna III. a IV. Id. Decemb. uſque in V. Kal. Janu. quia Embolimæus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. VII. Luna IV. a IV. Kal. Janu. uſque in XVII. Kal. Janu., quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. VIII. Luna V. a XV. Kal. Janu. uſque in VIII. Id. Decemb. quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. IX. Luna VI. a VII. Id. Decemb. uſque in VIII. Kal. Jan. quia Emboliſmalis eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. X. Luna VII. a VII. Kal. Janu. uſque in VIII. Kal. Janu. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XI. Luna VIII. a XVIII. Kal. Janu. uſque in IV. Non. Janu., quia Embolimæus eſt, dies CCCLXXXIV. Ogdoas.

Anno XIX. XII. Luna IX. a III. Non. Janu. uſque in XI. Kal. Janu., quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XIII. Luna X. ab XI. Kal. Janu. uſque in III. Id. Decemb., quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XIV. Luna XI. a prid. Id. Decemb. uſque in III. Kal. Jan., quia Embolimæus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. XV. Luna XII. a prid. Kal. Janu. uſque in XIV. Kal. Janu., quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XVI. Luna XIII. a XIII. Kal. Janu. uſque in VI. Id. Decemb. quia communis eſt, dies CCCLIV.
Anno XIX. XVII. Luna XIV. a V. Id. Decemb. uſque in VI. Kal. Janu. quia Embolimæus eſt, dies CCCLXXXIV.
Anno XIX. XVIII. Luna XV. a V. Kal. Janu. uſque in XVII. Kal. Jan. quia communis eſt, dies CCCLIV.
Anno XIX. XIX. Luna XVI. a XVI. Kal. Janu. uſque in Non. Decemb., quia communis annus eſt, dies CCCLIV.
Anno XIX. I. Luna XVII. a Nonis Decemb. uſque in X. Kal. Janu., quia Embolimæus eſt, dies CCCLXXXIV.
Anno XIX. II. Luna XVIII. a IX. Kal. Janu. uſque in prid. Id. Decemb., quia communis annus eſt, dies CCCLIV.
Anno XIX. III. Luna XIX. ab Id. Decemb. uſque in prid. Kal. Janu., quia Embolimæus eſt, dies CCCLXXXIV.
Idcirco autem XVII. Luna anno compotus ab ipſo, quo prior explicitur eſt annus die incipit, & non a ſequente, ut cæterorum, ne propter ſaltum Lunæ, quem dicunt, unum eidem anno dies X. videatur, quia ipſum Dionyſius Decemnovennalem Cyclum hujuſmodi vocavit percurrens edocuit ab eodem die, quo ultimi concluſit anni ætas primi inchoando principium.
Menſis Lunaris habet dies XIX., & dimidium, hoc eſt XII. horas, ſed illam medietatem de altero menſe auctores conjungunt, & faciunt unum diem, & propterea dicitur unus menſis in Luna XXIX. Luna habere, & alteram XXX.

De concordia menſium.

CXXIII. Januarius autem cum Decembrio in horarum menſura concordat. Februarius cum Novembrio ſpatium æquale conſummat. Martius conſentit cum Octobrio. Aprilis æquat Septembrem. Majus reſpondet Auguſto. Junius compar eſt Julio.

De Cyclo Libri Romanorum Incipit, qui inventus eſt apud Romanos XXX. anno ante Nativitatem Chriſti.

CXXIV. Quinto Cycli Decemnovennalis regione Lunaris Cyclus includitur a quarto hujus anno incipiens, & in tertio ejuſdem anno completur. Hic autem Cyclus propriè Romanorum eſt, & ad menſem Januarium pertinens. nam ſicut annum Decemnovennalis Cycli propter legalem Hebræorum obſervationem a Paſchali menſe inchoat, ibidemque finitur, ita & hic Romanorum inſtitutione a Luna Januarii menſis inchoat, atque ibi definit. Sicut ille, ſic & iſte primum & ſecundum annum habet communes, tertium habet Embolimæum, quartum & quintum communes, ſextum Embolimæum, ſeptimum communem, octavum Embolimæum. Huc uſque Ogdoas. Endecas quoque Cycli Lunaris inſtar Decemnovennalis Cycli VII. annos communes habet, & IV. Emboliſmales, & habet communis annus menſes Lunares XII., ideſt dies CCCLIV. Embolimæus autem annus habet XIII. menſes, videlicet dies CCCLXXXIV. præter unum dumtaxat XVII. annum Cycli hujus, qui eſt Decemnovennalis primus, in quo unus de ratione ſaltus Lunæ intercipitur. Quæ ut manifeſtius clara

ra fiant, ſingulorum annorum ordinem, & curſum videamus, & quæ Dionyſius in menſe Paſchali, nos in Januario facere curamus.

Annus Solaris incipit a Kal. Janu., & habet dies CCCLXV. Annus communis habet dies CCCLIV. Annus autem Embolimæus habet dies CCCLXXXIV., & menſes XIII.

Anno Decemnovennali I. Luna XVII. a XV. Kal. Majas uſque ad Non. Apr. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. II. Luna XVIII. a prid. Non. Apr. uſque in VIII. Kal. Apr. quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. III. Luna XIX. ab VII. Kal. Apr. uſque in Id. Apr. quia Embolimæus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. IV. Luna I. a prid. Id. Apr. uſque in IV. Non. Apr., qnia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. V. Luna II. a Kal. Apr. uſque in XI. Kal. Apr. quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. VI. Luna III. a X. Kal. Apr. uſque in IV. Id. Apr. quia Embolimæus annus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. VII. Iuna IV. a V. Id. Apr. uſque in III. Kal. Apr. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. VIII. Luna V. a prid. Kal. Apr. uſque in XIV. Kal. Maji quia Embolimæus eſt, dies CCCLXXXIV. Ogdoas.

Anno Decemnovennali IX. Luna VI. a XV. Kal. Maj. uſque in VII. Id. Apr. quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. X. Luna VII. a VIII. Id. Apr. uſque in VI. Kal. Apr. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XI. Luna VIII. a V. Kal. Apr. uſque in XVII. Kal. Majas, quia Embolimæus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. XII. Luna IX. a VI. Kal. Majas, uſque in II. Non. Apr., quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XIII. Luna X. a Non. Apr. uſque in IX. Kal. Apr. quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XIV. Luna XI. ab VIII. Kal. Apr. uſque in prid. Id. Apr., quia Embolimæus eſt dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. XV. Luna XII. a III. Id. Apr. uſque in Kal. Apr. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XVI. Luna XIII. a IV. Non. Apr. uſque in XII. Kal. Apr., quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XVII. Luna XIV. ab XI. Kal. Apr. uſque in V. Id. Apr., quia Embolimæus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. XVIII. Luna XV. a IV. Id. Apr. uſque in IV. Kal. Apr. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XIX. Luna XVI. a III. Kal. Apr. uſque in XV. Kal. Majas, quia Embolimæus eſt, dies CCCLXXXIV. Endecas.

Quot ſunt menſes qui habent XXXI. dies? VII. hoc eſt, Janu. Mart. Maj. Jul. Aug. Octob. Decemb. Item IV. menſes, qui habent dies XXX. hoc eſt Apr. Jun. Septemb. & Novemb. Februarius autem XXVIII. Coæqua omnes menſes, ut unuſquiſque XXX. dies habeat, ſuperſunt V. dies intercalares. Cum ipſis augmenta, ubi opus fuerit. Hoc autem ſcito, quia ſi unus dies plus aut minus fuerit, evidens error eſt.

De

De ætate Lunæ ſi quis computare non poteſt.

CXXV. Quod ſi adeo quiquam deſes, vel hebes ſit, ut abſque omni labore computandi Lunæ curſum ſcire voluerit, innitetur Alphabetis, quæ in hujus annali videlicet libello juxta curſum diſtinata Lunarem, ubi duos Lunæ circuitus, ideſt quinquagenos, & novenos dies terna tenet Alphabeta. Et quamcumque literam Luna in hac ætate ſemel habet, eamdem per totum annum ſimili modo notatam in eadem ſemper ætate habere non deſinit, niſi forte (quod tamen raro accidit) Emboliſmorum hæc ratio immutet. V. G. anno tertio cycli decemnovennalis Luna quæ XXX. dies habitura eſt, ſemper ab A nodo incipit, ſecunda eſt in B. tertia in C. ſimiliter nodis, ideſt nullo puncto * adnotaris. Et ſic ex ordine ſuæ literæ quamque reſerva ætatem Lunæ. Item Luna, quæ eoſdem XXX. dies habitura eſt ab I. ſubnotato incipiens, ſecunda ſemper in M., tertia eſt in N. ſimili figura, & ſic ex ordine recurrens Lunam ſui cuicumque literæ reſtituit ætatem. Deſcendendi enim gratia primum de ternis Alphabetum nodis utrinque literis ſecundum ſubnoteris, tertiam ſemper notaris determinandum providit Antiquitas.

Item de Lunæ curſu ſi quis ignorat.

CXXVI. Si quis verò etiam calculandi minus idoneus Lunaris circuitus exiſtit curioſus; & huic ad commoditatem ingenioli ſui commodamus argumentum, ut omnes inveniat. Siquidem totam annalis circuitus ſeriem, quæ XII. menſibus continetur, Alphabetis diſtinximus, ita dumtaxat, ut primi & ſecundi ordo vicenos ſeptenos dies, tertius autem uno amplius complectatur, illo videlicet, qui de tertio repetitis octo horis ſuperfluis adcreſcit, & ut dies, quo ſignare volebamus, literæ ſufficerent, non ſingulis has diebus adpoſuimus, atque ideo non ultra O Alphabetum tangere opus erat. Præpoſuimus eidem operi paginam regulam, quæ decem & novem Alphabeta hujuſmodi a diverſis literis inchoantia totidem annorum circuli Decemnovennalis caperet ſimul & menſium ſingulorum, ſignorumque vocabula duodecim, quæ hoc ordine diſpoſita eſt. Juxta numerum dierum, quibus Luna Zodiacum perſolvat XXVII. lineas habet in longitudine nominibus ſingulorum ante, nominibus vero menſium retro adnotatis, ut qui ſignorum imperitus eſt, ex menſium tamen notitia poſſit invenire quod quærit. Decem verò & novem habet in latitudine lineas, quæ ordine Decemnovennalis circuli ſuperſcripto adnotato annorum ex numero præmonſtret. Cum igitur anno quolibet diem quemlibet in quo ſigno, vel cujus menſis in partibus Lunam habet, ſcire volueris aperto, literam q. * idem ſit propoſita die, recurres ad regularem paginam, in qua literarum eſt diſtincta congeries, eodemque ſtatim anno ex titulo frontis invento illam, quam quærebas, literam ejuſdem diei invenies, atque ante, ac retro incipiens quod ſignum, quemve menſem e regione habet adnotabis. Ponamus aliquod, quo ad cætera Lector convaleſcat exemplum. Quæris, ubi ſit Luna V. G. in Kal. Apr. anno ſexto circuli Decemnovennalis. Aperi Codicem, quære diem Kalendarum memoratarum, invenies E literam præſcriptam. Recurre ad paginam regularem, videbis annum ſextum, perſpecto ejus Alphabeto E literam reperies. Circumfer oculos ad latera, hinc Geminorum extrema, illinc Junii menſis initia deprehendes eſſe notata, & ſive eruditus, ſive ſimplex es Lector, palam te quod cupie-

cupiebas, inveſtigaſſe lætaberis in ſupernotato illo anno quibuſcumque diebus E literam videris, adſcriptam ſive creſcentem, ſive decreſcentem in hiſdem cœli partibus Lunam noveris eſſe converſatam.

Incipit Epiſtola de Ratione Lunæ primo anno Embolimæo Ogdoad.

In primo igitur anno Embolimæo, hoc eſt in Ogdoade * tertia ſunt Epactæ XXII. & ideo eſt Luna in Kal. Septembr. & Octobr. XXVII. In Kal. Novemb. & Decembr. XXIX. Ipſa autem Luna, quæ eſt XXIX. in Kal. CXXVII.
II
Decemb. * extingit illic, ſua Luna eſt. Illa verò Luna, quæ in quarto Non. Decemb. incipit, & terminatur XXX. II. Kal. Janu. Emboliſmi eſt. Quæ autem in Kal. Janu. & prima Luna, ipſius eſt, quam & ipſam tricesimam terminare debeas. Ecce inveniſti Lunam in primo anno Embolimæo in Kal. Janu. primam.

Item de ſecundo anno Embolimæo Ogdoad.

Item de ſecundo anno Embolimæo ideſt Ogdoadis VI. Sunt autem in ipſo anno Epactæ XXV. Luna verò in Kal. Septemb. XXX. extingit illic, quia Luna ipſius eſt. Illa enim Luna, quæ initiatur prima IV. Non. Septemb., & finitur XXX. Kal. Octob. Emboliſmalis eſt. Et illa, quæ incipit prima VI. Non. Octob. & III. Kal. Novemb. finitur XXIX. Luna Octobris eſt. In Kal. verò Novemb. & Decemb. fit Luna II. in Kal. Janu. IV., ſicut ordo eſt. CXXVIII.

Item de tertio anno Embolimæo Ogdoadis.

Item de tertio anno Embolimæo, ſunt autem in ultimo Embolimæo Ogdoadis Epactæ XVII. Luna verò in Kal. Septemb. & Octob. XXII. In Kal. Novemb. & Decemb. XXIV. in Kal. Mart. XXVI. in Kal. Apr. & Maji: XXVII. in Kal. Jun. & Jul. XXIX. in Kal. Aug. I. in Kal. Septemb. III. Quare facis unam ætatem Lunæ in Kal. Apr. & in Kal. Maj., quia nuſquam ſic in calculo requiritur; ideoquippe quia Luna, quæ XXVII. eſt in Kal. Apr. in IV. Non. Apr. XXVIII. III. Non. Apr. XXIX. Prid. Non. Apr. XXX. Emboliſmalis eſt. extingit illic. Et illa quæ initiatur Non. Apr. ipſa eſt Paſchalis, & evenit XIV. XIV. Kal. Maji, & terminatur XXIX. V. Non. Maji Luna Aprilis eſt. Illa vero quæ eſt prima IV. Non. Maji, & finitur XXX. IV. Non. Jun., Luna Maji eſt; Luna enim, quæ initiatur prima III. Non. Jun. finiturque XXIX. Kal. Jul. Luna Junii eſt. Luna namque quæ incipit VI. Non. Jul., terminaturque XXX. prid. Kal. Aug., Luna Julii eſt. Poſtea autem fit Luna in Kal. Aug. prima in Kal. Septemb. III., ſicut ordo habet. Nam ſi non feciſſes unam ætatem Lunæ in Kal. Apr., & in Kal. Maji, & ſi non fuiſſet Luna Emboliſmalis, quæ finitur XXX. in Apr., ſed XXIX. eveniſſet tibi in ipſo anno in termino Paſchali, quod eſt XIV. Kal. Maji, non XIV. ſed XV., & fuiſſet error in Paſcha, ſeu in ætatibus Lunæ. CXXIX.

Item de primo anno Embolimæo in Endecade.

CXXX. In primo igitur anno Embolimæo Endecadis ſunt Epactæ XX. & idcirco eſt Luna in Kal. Septemb. & Octob. XXV. in Kal. Novemb. & Decemb. XXVII. in Kal. Janu. XXIX. in Kal. Febr. prima. In Kal. Mart. XXIX. VI. Non. Mart. XXX. Luna Martii eſt. Illa autem Luna, quæ V. Non. Mart. incipit, & extingit XXX. in Kal. Apr. Emboliſmalis eſt. Illa verò quæ IV. Non. Apr. initiatur prima, ipſius Luna eſt, extingit XXIX. prid. Kal. Maji: Et Luna quæ in Kal. Maji evenit prima, ipſius Luna eſt. Cæteræ vero ordinem ſuum ſequuntur.

Item de ſecundo anno Embolimæo Endecadis.

CXXXI. In ipſo autem anno ſunt Epactæ XXIII. Luna enim in Kal. Septemb. & Octob. XXVIII. in Kal. Novemb. & Decemb. XXX. Illa autem Luna, quæ in Kal. Novemb. XXX. terminatur, Luna ipſius eſt Novemb. Et illa quæ in Kal. Decemb. XXX. finitur Embolimæa. Quæ verò prima IV. Non. Decemb. inchoat, finitque XXIX. III. Kal. Jan., ipſa eſt Decemb. in Kal. Janu. II., & in Kal. Febr. III. Cæteræ autem ordinem ſuum ſequuntur.

Item de tertio anno Embolimæo Endecadis.

CXXXII. Sunt autem in ipſo anno Epactæ XXVI. Nullatenus tamen Lunam Emboliſmalem per ipſas Epactas reperies, niſi ad Epactas anni communis ſuperioris reverteris. Nam anno communi præterito fuerunt Epactæ XV. Ideo autem Luna in Kal. Aug. XXIX., ibique terminatur quia Luna ipſius eſt. Illa verò, quæ IV. Non. Aug. inchoat, finiturque XXX. prid. Kal. Septemb. Embolimæa eſt. In Kal. igitur Septemb., & Octob. per Epact. XXVI. fit Luna prima. Cæteræ vero deinceps ordinem ſuum ſequuntur.

Item de IV. anno Embolimæo Endecadis.

CXXXIII. Sunt namque Epactæ in ultimo Embolimæo Endecadis XVIII. In Kal. autem Septemb. & Octob. Luna XXIII. In Kal. Novemb. & Decemb. XXV. In Kal. Janu. XXVII. In Kal. Febr. XXVIII. in Kal. Mart. XXVII. in Kal. Apr. & Maji XXVIII. in Kal. Jun. XXX. in Kal. Jul. prima. In Kal. Aug. II. in Kal. Septemb. V. Ideo namque facimus unam ætatem Lunæ in Kal. Apr. & in Kal. Maji, quia Luna, quæ in Kal. Apr. eſt XXVIII. IV. Non. Apr. XXIX. III. Non. Apr. XXX. Emboliſmalis eſt. Illa enim Luna, quæ prid. Non. Apr. initiatur prima, & extenditur uſque in VI. Non. Maji XXIX. Luna Aprilis eſt. Ipſa enim Paſchalis, & evenit XIV. XV. Kal. Maji: Et niſi ita feciſſes, eveniſſet tibi in termino Paſchali Luna XV., & fuiſſet error in Paſcha, ſive in ætatibus Lunæ. Luna vero, quæ initiatur prima V. Non. Maji, & finitur XXX. in Kal. Jun. Luna Maji eſt. Illa vero quæ in Kal. Jul. eſt prima extingit III. Kal. Auguſt. XXX. Luna Julii eſt. Illa autem Luna, quæ in Kal. Auguſti eſt II. jam ordi-

ordinem ſuum tenet ; terminatur enim XXIX. V. Kal. Septemb. Ideo namque evenit Luna prima IV. Kal. Septemb., & III. Kal. Septemb. II. prid. Kal. Septemb. III. in Kal. verò Septemb. non IV. ſecundum compotum, ſed V. propter ſaltum.

De curſu Lunæ per XII. ſigna in anno.

CXXXI

Aries.	AKE.	NHC.	MGB	KEO.	DMG.	BLF.	Martius.
Taurus.	B	OID.		LFA.	NH.	C.	Aprilis.
Gemini.	CLF.	AKE.	NHC.	MGB.	EOI.	DMG.	Majus.
Cancer.	DMG.	BLF.	A°ID	NHC.	FAR.	ENH.	Junius.
Leo.	ENH.	CMG.	BKE.	OID.	GBL.	FA°I.	Julius.
Virgo.	FA°I.	DNH.	CLF.	AKE.	HCM.	CBK.	Auguſtus.
Libra.	GBK.	EOI.	DMG.	BLF.	IDN.	HCL.	September.
Scorpius.	HCL.	FAK.	EMH.	CMG.	KEO.	IDM.	October.
Sagittarius.	IDM.	GBL.	F°AI	DNH.	LFA.	KEN.	November.
Capricornus.	KEN.	HCM.	GBK.	EOI.	MGB.	LFA°.	December.
Aquarius.	LFA°	IDN. K E.	HCL. M.	FAR. GBL.	NHC. OID.	MGB.	Januarius.
Piſcis.	MGB. NBC.	LFA°.	ID N. KE	HEM.	A B KE.	NHC. OID.	Februarius.
Aries.	OID.	MGB.	LFA°.	IDN.	CLF.	AKE.	Martius.

A	a	KAL. JANU. Circumciſio Domini.
	b	iv. Non.
B	c	iii.
	d	ii.
C	e	Non.
	f	viii. Id. Epiphania.
D	g	vii.
	h	vi.
E	i	v.
	k	iv.
F	l	iii.
	m	ii.
G	n	Id. Octava Epiphaniæ.
	o	xix. Kal. Febr.
H	p	xviii.
	q	xvii.
I	r	xvi. Depoſ. S. Antonii Monachi. Sol in Aquario.
	ſ	xv.
K	t	xiv.
	u	xiii. S. Sebaſtiani Martyris.
L	a	xii. S. Agnetis.
	b	xi. Natale S. Anaſtaſii ad aquas Salvias.
M	c	x.
	d	ix.
N	e	viii.
	f	vii.
O	g	vi.
	h	v. S. Perpetuæ, & Agnetis.
A	i	iv.
B	k	iii.
	l	ii.

C	m	KAL. FEBR.
	n	iv. Non. dies S. Mariæ:
D	o	iii.
	p	ii.
E	q	Non. S. Agathæ.
	r	viii. Id.
F	ſ	vii. Id. veris initium * habet dies XCI.
	t	vi.
G	u	v.
	a	iv.
H	b	iii.
	c	ii.
I	d	Idus.
	e	xvi. Kal. Mart.
K	f	xv. Diabolus retrorſū receſſit a Domino.
	g	xiv. S. Julianæ in campo Fauſtinæ. Sol in Piſcibus.
L	h	xiii.
	i	xii.
M	k	xi.
	l	x.
N	m	ix.
	n	viii.
O	o	vii.
	p	vi.
A	q	v. Septb. Ægyp. menſe Famenoth.
	r	iv.
B	ſ	iii.
C	t	ii.

D	a	KAL. MART.
	b	vi. Non.
E	c	v.
	d	iv.
F	e	iii.
	f	ii.
G	g	Non.
	h	viii. Id. Prima incenſio Lunæ Paſchalis.
H	i	vii.
	k	vi.
I	l	v.
	m	iv. Depoſ. S. Gregorii Papæ.
K	n	iii.
	o	ii.
L	p	Idus
	q	xvii. Kal. Apr.
M	r	xvi.
	ſ	xv. Sol in Arietem.
N	t	xiv.
	u	xiii.
O	a	xii. Natale S. Benedicti Abbatis. XIV. Luna, & æquinoctium.
	b	xi. Primum Paſcha, & ſedes Ep. prim. ſcl. cl.
A	c	x.
	d	ix. Sedes concurrentium.
B	e	viii. Dominus crucifixus eſt, & conceptus.
	f	vii.
C	g	vi. Ogd. Endec. menſ. Farmuthi.
	h	v.
D	i	iv.
	k	iii
E	l	ii.

	m	KAL. APRIL.
F	n	iv. Non.
	o	iii.
G	p	ii.
	q	Non. Ultima incenſio Lunæ Paſchalis.
H	r	viii. Id.
	ſ	vii.
I	t	vi.
	u	v.
K	a	iv.
	b	iii.
L	c	ii.
	d	Id.
M	e	xviii. Kal. Maii.
	f	xvii.
N	g	xvi.
	h	xv. Sol in Taurum.
O	i	xiv.
	k	xiii.
A	l	xii.
	m	xi.
B	n	x.
	o	ix.
C	p	viii. S. Gregori Martyris.
D	q	vii. S. Marci Euang. & Letaniæ Majores.
	r	vi. Nonus Ægypt. Amphaom Paſch.
E	ſ	v.
	t	iv.
F	u	iii.
	a	ii.

G	b	KAL. MAII. Natale Apoſtolorum Philippi, & Jacobi Fratris Johannis.
	c	vi. Non.
H	d	v. Inventio S. Crucis.
	e	iv.
I	f	iii.
	g	ii.
K	h	Non.
	i	viii. Id. Ortus Virgiliarum.
L	k	vii. Æſtatis initium ┼ habet dies XC.
	l	vi.
M	m	v.
	n	iv. Natale S. Pancratii Martyris.
N	o	iii.
	p	ii.
O	q	Id. Pentecoſtes primus.
	r	xvii. Kal. Jun.
A	ſ	xvi.
	t	xv. Sol in Geminos.
B	u	xiv.
	a	xiii.
C	b	xii.
	c	xi.
D	d	x.
	e	ix.
E	f	viii.
	g	vii. Dec. Ægypt. menſ. Paoni.
F	h	vi.
	i	v.
G	k	iv.
	l	iii.
H	m	ii. S. Petronillæ.
	n	

I	o	KAL. JUN.
	p	iv. Non.
K	q	iii. Depoſ. S. Benedicti, & S. Johannis, & S. Fauſtini.
	r	ii.
L	ſ	Non.
	t	viii. Id.
M	u	vii.
	a	vi. Dedicatio S. Stephani.
N	b	v.
	c	iv.
O	d	iii. Bernabe Ap.
	e	ii.
A	f	Id.
	g	xviii. Kal. Jul.
B	h	xvii.
	i	xvi.
C	k	xv. Nicandri, & Marciani. Sol in Cancrum.
	l	xiv.
D	m	xiii. Gervaſii, & Protaſii.
E	n	xii.
	o	xi.
F	p	x. S. Jacobi Alphæi Apoſt.
	q	ix.
G	r	viii. S. Johan. Baptiſtæ. Solſtitium.
	ſ	vii. Dec. Ægyp. Menſ. Ephipi.
H	t	vi. Johannis, & Pauli.
	u	v. Dedicatio S. Petri.
I	a	iv.
	b	iii.
K	c	ii. S. Pauli propriè Petoni Abbatis.
	d	

L	e	KAL. JUL.
	f	vi. Non.
M	g	v.
	h	iv.
N	i	iii. Dedicatio S. Martini.
	k	ii.
O	l	Non.
	m	viii. Id.
A	n	vii.
	o	vi.
B	p	v.
	q	iv. Naboris, & Felicis.
C	r	iii.
	ſ	ii. Dies Caniculares.
D	t	Id.
	u	xvii. Kal. Aug.
E	a	xvi.
	b	xv. Depoſ. Hermereſii Abb. Sol in Leone.
F	c	xiv.
	d	xiii. S. Severi.
G	e	xii. S. M. Magdalenæ.
	f	xi.
H	g	x. S. Apollinaris Martyris.
	h	ix.
I	i	viii. Jacobi Zebedæi Apoſt. fratr. Johannis.
	k	vii.
K	l	vi.
	m	v. Nazarii, & Celſi.
L	n	iv.
	o	iii.
M	p	ii.

	q	KAL. AUG.
N	r	iv. Non.
	ſ	iii.
O	t	ii.
	u	Non.
A	a	viii. Id. Romæ Sixti, Feliciſſimi, & Agapiti.
	b	vii. Autumni ✝ initium.
B	c	vi.
	d	v.
C	e	iv. Natale S. Laurentii.
	f	iii.
D	g	ii.
	h	Id.
E	i	xix. Kal. Sept.
	k	xviii. Adſumptio S. Mariæ.
F	l	xvii.
	m	xvi.
G	n	xv. Sol in Virgine.
	o	xiv.
H	p	xiii.
	q	xii.
I	r	xi.
	ſ	x. Autumnus oritur.
	t	ix. reſidui v. dies Ægyp. Epagomenæ.
	a	viii. Natale S. Bartholomæi Apoſtoli.
	b	vii.
M	c	vi.
	d	v. Natale S. Auguſtini.
N	e	iv. Decollatio S. Johannis Baptiſtæ. Primus Ægyptiis menſ. Thoth.
	f	iii.
O	g	ii.

	h	KAL. SEPTEMB.
A	i	iv. Non.
	k	iii.
B	l	ii.
	m	Non.
C	n	viii. Id.
	o	vii.
D	p	vi. Nativitas S. Mariæ.
	q	v.
E	r	iv.
	ſ	iii.
F	t	ii.
	u	Idus.
G	a	xviii. Kal. Octob. Cornelii, Cypriani, & Exaltatio S. Crucis.
	b	xvii.
H	c	xvi. S. Euphemiæ, & S. Luciæ.
	d	xv. Sol intrat in Libram.
I	e	xiv.
	f	xiii.
K	g	xii.
	h	xi. Matthæi Apoſt. & Euangeliſtæ.
L	i	x. Paſſio S. Mauricii Martyris.
	k	ix.
M	l	viii.
	m	vii.
N	n	vi.
	o	v. Coſmæ, & Damiani.
O	p	iv.
	q	iii. Dedicatio Baſilicę S. Angli Ægypt. mens Saofi.
A	r	ii. Depoſ. Hieronymi Presbyteri.
	ſ	

B	t	KAL. OCTOB.
	u	vi. Non.
C	a	v.
	b	iv.
D	c	iii.
	d	ii.
E	e	Non.
	f	viii. Idus.
F	g	vii.
G	h	vi.
	i	v.
H	k	iv.
	l	iii.
I	m	ii.
	n	Idus.
K	o	xvii. Kal. Novemb.
	p	xvi.
L	q	xv. Lucæ Euang. Sol in Scorpionem.
	r	xiv.
M	ſ	xiii.
	t	xii.
N	a	xi.
	b	x.
O	c	ix.
	d	viii.
A	e	vii.
	f	vi.
B	g	v. Apoſtoli Simonis, & mutet h. ter. Ægypt. menſ. Athyr.
	h	iv.
C	i	iii.
	k	ii.

D	l	KAL. NOVEMB.
	m	iv. Non.
E	n	iii.
	o	ii.
F	p	Nonæ.
	q	viii. Id.
G	r	vii. Hyemis initium ✝. habet dies XCII.
	ſ	vi.
H	t	v.
	u	iv. S. Marci Epiſcopi.
I	a	iii.
	b	ii.
K	c	Idus.
	d	xviii. Kal. Decemb.
L	e	xvii.
	f	xvi.
M	g	xv. Sol in Sagittario. Teclæ Virginis.
	h	xiv.
N	i	xiii.
	k	xii.
O	l	xi.
	m	x. Natale S. Ceciliæ.
A	n	ix. Natale S. Clementis.
	o	viii. Chryſogoni.
B	p	vii.
	q	vi.
C	r	v. Quart. Ægypt. menſ. Choeac.
	ſ	iv.
D	t	iii.
	u	ii. Natale S. Andreæ.

E	a	KAL. DECEMB.
	b	iv. Non.
F	c	iii.
	d	ii.
G	e	Nonæ.
H	f	viii. Id.
	g	vii. S. Ambroſii.
I	h	vi.
	ij	v.
K	k	iv.
	l	iii.
L	m	ii.
	n	Id. S. Luciæ de Syracuſis.
M	o	xix. Kal. Janu.
	p	xviii.
N	q	xvii.
	r	xvi.
O	ſ	xv. Sol in Capricorno.
	t	xiv.
A	u	xiii.
	a	xii. In India translatio Thomæ Apoſtoli.
B	b	xi.
	c	x.
C	d	ix.
	e	viii. Nativ. D. N. J. C.
D	f	vii. S. Stephani.
	g	vi. S. Johannis.
E	h	v. Infantium & lactentium.
	i	iv.
F	k	iii.
	l	ii. S. Columbæ Virg. & Silſtri.

De curſu Solis per XII. ſigna.

CXXXV. Quaſi quodam modo IV. dierum munera primordialis IV. dierum creationis deſignarent. Et quia prima die lux condita eſt, prima die lucis materia oſtendit mihi. Secunda die Creator firmamenti pulchritudinem extendit inter aquas, & aquas. Secunda die in muneribus veſtimenta Sacerdotalia diviſionum inter corpora Sacerdotum, & popoli demonſtrare cognovi. Tertia die, terra cum ornamentis ſuis apparuit. Tertia die auri electiſſima ſpecies, quæ gremio eruitur terræ, directa eſt mihi. Quarta die Sol honor ſeculi cum ſideribus cœlo inditus eſt. Quarta die clara quædam, & rotunda in ſimilitudine Solis ſpecies honor menſæ allata eſt mihi, habens XXVII. ſemicirculos, qui ſi bis ducantur, erunt LIV. propter horas lunaris curſus, quibus per ſingula ſigna currere ſolet, habens circulum rotundum in medio propter Solis perpetuam rotunditatem, quomodo X. horæ, & ſemis ſingulis menſibus adcreſcere ſolent.

Sol igitur primo anno poſt biſſextum initio primæ horæ noctis intrat in Arietem, & poſt dies XXX. & decem ſemis horis exit de Ariete, hoc eſt hora XI. noctis trigeſimæ primæ, & ſecundo puncto, & tertio puncto XI. hora ejuſdem noctis intrat in Taurum, & ibi moratur XXX dies, & decem ſemis horas; & exit de Tauro IX. hora diei plena, & ibi habes unam horam ex IV. punctis in duobus ſignis, & fiunt duorum ſignorum LX. dies, & XXI. hora. Et decima hora diei intrat in Geminos, & exiet de Geminis VII. hora plena noctis, & duobus punctis. VIII. hora noctis, & tertio puncto intrat in Cancrum, & exiet de Cancro ſexta hora diei plena, & ibi habes ſecundam horam, & V. punct. Duorum ſignorum, & fiunt in Geminis, & in Cancro dies. LX., & horæ XXI. & habes in his IV. ſignis horas XLII. & dies CXX. Et intrat in Leonem ſeptima hora diei, & exiet de Leone quarta hora noctis, & duobus punctis decima horæ & III. puncto. Quinta hora noctis intrat in Virginem, & exiet de Virgine tertia hora diei plena, & habes unam horam ex IV. punctis Leonis, & Virginis, & habent LX. dies hæc duo ſigna, & horas XXI. & fiunt horum ſex ſignorum dies CLXXXII. & horæ LXIII. & fiunt, ut dixi, dies CLXXXII. & tertius dies dimidius ex duodecim horis, & tres horæ ſupra quadrantiles. Et intrat Sol in Libram hora diei quarta, & exiet de Libra prima hora diei, & ſecundo puncto ſecundæ horæ noctis exiet de Scorpione XII. hora noctis plena, & habes unam horam ex IV. punctis, & fiunt horum duorum ſignorum dies LX. & horæ XXI. Et intrat Sol in Sagittarium prima hora diei, & exiet de Sagittario decima hora diei plena, & duobus punctis. Decima hora intrat in Capricornum tertio puncto XI. horæ diei, & exiet de Capricorno hora IX. noctis plena. Et habent hæc duo ſigna dies LX., & horas XXI. Has adde ad ſupra ſcripta ſigna, & habes dies CCC., & horas CV. Et intrat Sol in Aquarium decima hora noctis, & exiet de Aquario hora ſeptima diei, & ſecundo puncto hora octava, & intrat tertio puncto octava hora diei in Piſces, & exiet de Piſcibus ſexta hora noctis plena; & hæ ſunt ſex horæ, quæ de punctis ſingulorum ſignorum adcreſcunt, & habent hæc duo ſigna LX. dies, & XXI. horas. Has adde ad ſupraſcriptos dies vel horas, fiunt dies XII. ſignorum CCCLX. & horæ CXXVI. Partire CXX. horas per XXIV. & fiunt quinquies XXIV. quot ſunt V. dies, & erunt totius anni tricenteni, ſexageni, & quinque dies, & ſex horæ, quia ante habuiſti centum viginti ſex horas. Has ſex horas per quadriennium ductas faciunt XXIV. horas, quod eſt unus dies, quem Latini bis ſextum vocant; Et ſi non adderetur in Februario quar-

quarto anno hæc dies, intraret * itaque Sol quartas decimas Kal. Apr. prima hora noctis in Arietem, & poſt CXX. annos traditas Solis, dum Arietem intrare debuiſſet, intraſſet itaque in Taurum, niſi dies XXX. in centum XX. annis biſſextiles augerent curſus illius. Hæ & hujuſmodi rationes tam ſuaves ſunt in conſideratione ſcientibus, ut cæteræ artes Philoſophiæ ſolent eſſe dicenti, & intelligenti eas. Nam Philoſophi non fuerunt conditores harum artium, ſed inventores. Nam Creator omnium rerum condidit eas in naturis, ſicut voluit. Illi vero, qui ſapientiores fuerunt in Mundo inventores erant harum artium in naturis rerum, ſicut de Sole, & Luna, & Stellis facile poteſt intelligi. Quid enim aliud in Sole, & Luna, & ſideribus conſideramus, & miramur, niſi ſapientiam Creatoris? Et curſus illorum naturalis fertur. Itaque Abraham Patriarcha ex Aſtrologiæ ratione Creatorem Deum intellexiſſe, & veneraſſe, & inde amicus Dei appellatus eſt, & temptatus in fide jam fortis inventus eſt. Nam dicunt Hebræi, exiſſe eum de Hur Chaldæorum, ideſt de igne Chaldæorum, qui Chaldæi ignem pro Deo coluerunt. Solebat Magiſter meus mihi ſæpe dicere: Sapientiſſimi hominum fuerunt, qui artes in naturis rerum invenerunt. Obproprium grande, ut dimittamus eas perire diebus noſtris, ſed nunc puſillanimitas multorum non curat rationes rerum, quas Creator condidit in naturis. Scis optime, quam dulcis eſt in rationibus Arithmeticæ verſari, quam neceſſaria ad cognoſcendas Scripturas divinas, quam jucunda eſt cognitio cœleſtium aſtrorum, & curſus illorum; & tamen rarus eſt, qui talia ſcire curet, & quod pejus eſt, reprehendunt hoc ſcire ſtudentes, & ut cum * ille naturæ rerum ignoratio inculpabilis potuiſſet illis * eſſet, ſi divinis ſe ipſos tradere voluiſſent Scripturis, & laborare in illis, in quibus vitæ æternæ cognitio conſideratur, & ut potuiſſent Fidem Catholicam veraciter defendere, & fiducialiter ſtare contra adverſarios Chriſti, per quos multis modis Diaboli aſtutia fidem Catholicam impugnare ſtudet, & ſunt modo tempora, de quibus B. Paulus prædixit: *Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidem a fide adtendentibus Spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium habentes cauteriatam ſuam conſcientiam.*

Item alia.

Si vis ſcire, quomodo adcreſcunt ſingulis annis menſibus Solaris curſus decem ſemis horas, multiplica decem per X. fiunt C. quia una hora decem minuta habet, Decies verò decem minuta faciunt C. minuta. Da unicuique diei ex triginta diebus tria minuta, faciunt XC. minuta, & remanent X. minuta. His adde quinque minuta, quæ fiunt ex dimidia hora, & fiunt XV. minuta. Hec partire per XXX., faciunt tricies dimidium minutum XV. minuta. Et adcreſcunt quotidie in XXX. diebus tria minuta, & dimidia pars unius minuti.

Item alia.

Et ſi ſcire vis, quantum quotidie creſcat ad biſſextum, partire V. minuta in XXX. fiunt ſexies quinquies; ſexta pars unius minuti adcreſcit quotidie, ut dimidia hora fiat per menſem unum; hanc dimidiam horam duc duodecies, & fiunt ſex horæ. Has multiplica in IV. quater ſex faciunt XXIV., quot ſunt horæ unius diei per quadriennium adcreſcit, ut biſſextus fieri poſſit, & fiunt quarto anno CCCLXVI. dies, qui ſen-

rius numerus multum valet in circulo anni, nam CCCLX. faciunt ſexies ſexaginta, qui ſexagenarius ſi per denarium * eſſe perfectum, ſicut ſenarius per unitatem; nam unum duo, & tres faciunt ſex, & eſt perfectus numerus in partibus ſuis. Ita ſexagenarius quamdam perfectionem habet, ſi partitur per denarium numerum. Nam ſemel decem, & bis decem, & ter decem ſexaginta ſunt; nam quantum valet in primo verſu numerorum ſenarius, ut perveniatur ad decem, tantum valet in ſecundo verſu numerorum ſexagenarius, ut perveniatur ad centum. Quicumque vero dies, qui ſuperſunt trecentenis ſexagenis diebus in ſingulis menſibus eſt ſexta pars menſis uniuſcujuſque. Sex verò horæ, ex quibus quarto anno ſexta dies adcreſcit, habent ſuam perfectionem in partitione ſenarii numeri, ſicut paulo ante præfati ſumus, & ſicut Creator æquiſſimns in ſex diebus fecit omnia opera primordialis mundi, ut ſignificaretur in perfectione numeri ſenarii omnia in naturis ſuis feciſſe eum perfecta, & ille ipſe Creator magnus admirabilis perfectus eſt in natura ſua, cui placuit omnia in ſenarii numeri perfectione perficere. Unde & ſexto die creatus eſt homo perfectus anima, & corpore, propter quem omnia creata ſunt, quæ ſex diebus condita eſſe leguntur. Unde & ipſe Deus Dei filius, qui eſt virtus, & ſapientia Dei ſexta ætate venit in Mundum ſalvare hominem, quem ſexta die creavit. Ita ſenarius numerus & in conditione primordialium creaturarum, & in ſucceſſione ſæculorum, quæ ſex ætatibus concurrerunt, & quod ſexta ætate venit filius Dei humanum genus repararo ad priſtinam dignitatem conditionis ſuæ, multum valent tales rationes.

Item alia.

Si omnipotens Deus univerſa in pondere, & menſura, & numero diſpoſuit, ita ut etiam multitudinem ſtellarum nominibus ſimul numeroque complecteretur, quanto magis illius præcipui, maximique ſideris curſus glorioſe ordinatus extitit, qui ſuper omnia ſidera ſplendore pariter, atque virtute præcellit? De cujus ſubtiliſſimo, magnificoque curſu quamvis multa ſubtiliter magnificeque & dicta ſint, & dici poſſint, vix tamen aliquid invenitur, quod operoſius numerando aliquid, dum examinatur, quam quod de biſſexto, & quadrantis ratione diſtinguitur. De quo videlicet biſſexto quamquam multi & magni multa, & magna dixiſſent jam edidiſſent, propter compendium tamen legentium ſeu ſcire ejuſdem biſſexti incrementa volentium, quædam ſecundum ingeniolum mihi ab omnipotenti Deo gratis datum breviter adnotare curavi, obſecrans ut ea dilectione a legentibus ſuſcipiantur, quam noſtræ humilitati præbent. Et ſi quid largiente Chriſto utile invenerit, datori omnium bonorum mecum gratiæ agantur. Si quid verò ineptum, corrigere, vel emendare caritatis ſtudio non dedignetur, & quanquam quædam a majoribus ad minora, quædam vero a minoribus ad majora numerari ſoleant, ſicut exemplis quamplurimis oſtendi poteſt; Nos tamen quia præfatos biſſextos non ex majoribus ad minora, ſed ex minoribus ad majora creſcendo * perducitur, incrementa illius ſubtiliter quantum noſtra puſillitas ratiocinando comprehendere valet, rimare cogitantes, a minimis inchoemus, ut ad majora Domino ducente pervenire valeamus. Verum tamen illud non eſt prætereundum, quod in quibuſdam locis per æquas diviſiones, ſeu collectiones, vel a minimis ad majora, vel a majoribus ad minora præfata ratio duci poteſt, eo quod propter indiviſibilem, ſeu inſenſibilem atomi quantitatem ſectio ulla haberi nequit. Sed & ad illud commemorandum, quod

quod in quibuſdam prædictorum numerorum nominibus, ſeu numeris auctoritatem, in quibuſdam verò conſuetudinem in hoc ipſo opere tamdiu ſequimur, quouſque aliquis nobis auctoritatem majorem tribuat, aut conſuetudinem meliorem oſtendat. Ut igitur quibuſdam placet, atomi CCCLXXVI. faciunt unum Oſtentum. Oſtentum vero & dimidium procreant unum momentum continent atomos DLXIV. Momenta autem duo, & duæ partes unius momenti procreant partem unam habentem oſtenta IV., atomos MDIV. Pars quoque, & dimidia efficiunt minutum unum comprehendens minuta IV., oſtenta VI. Atomos $\overline{V}$CCLVI. Minuta etiam duo gignunt punctum unum amplectentem partes IV., momenta VIII., Oſtenta XII., atomos $\overline{IV}$DXII.; Puncta verò V. complent horam unam conſtantem minutis X., partibus XV., momentis XL., oſtentis LX., atomis $\overline{XXII}$DLX. Horæ autem XXIV. reddunt unum diem habentem puncta CXX., minuta CCXL., partes CCCLX., momenta CMLX., oſtenta MCDXL., atomos $\overline{DXLI}$. CDXL. Dies autem XXX. efficiunt ſignum unum continens DCCXX. puncta, $\overline{II}$DC. minuta, $\overline{VII}$CC. partes, $\overline{X}$DCCC. oſtenta, $\overline{XLIII}$CC. atomos ſedecies mille millia CC$\overline{XLIII}$CC. Signa autem XII. reddunt dies CCCLX. horas $\overline{VIII}$DCXL., punctos $\overline{XLIV}$CC., minuta $\overline{LXXXVI}$CD., partes $\overline{CXXIX}$DC., oſtenta $\overline{DXVIII}$CD., atomos centies nonagies mille millia, & quater mille millia, & $\overline{CM}\overline{XVIII}$CCCC. Et deſunt ad completionem anni ſolaris dies V. & quadrans, qui habent horas CXXIII., puncta DCXXX., minuta MCCLX., partes MDCCCXC, momenta $\overline{V}$XL., oſtenta $\overline{VII}$DLX., atomos bis mille millia $\overline{DCCCXLII}$DLX. Qui numeri ſinguli ſi diligenti cura conſiderantur, reddunt, ut dictum eſt, dies V. & quadrantem, quorum rurſus dierum & quadrautis ſumma collectio propter tarditatem Solis per ſigna.

Item alia.

Inter primum enim diem ſpiritalem adſtrues eſſe creaturam, & quomodo habuit veſpere, & mane? Reſpondetur: Omnis namque creaturæ cognitio in ſemetipſis veſpere erat; in Deo autem mane, quia plus videtur ipſa creatura in Deo, quam in ſe ipſa videtur; creatura ſcilicet plus videtur in arte, quia facta eſt. Propterea enim ait Euangeliſta Johannes: *Quod factum eſt in ipſo vita eſt*. Omnia igitur, quæ facta ſunt, & vitam habent in ipſo verbo Dei, vita ſunt, in ſe ipſa non ſunt vita. Cœlum, terra, lapis vitam non habent, & tamen in Deo vita ſunt. Vivant igitur in Deo ſine initio, atque incommutabiliter omnes rationes creaturarum. Ac per hoc plus videtur in Angelis Sanctis in Verbo Dei, ubi ſunt vita, quam in ſe ipſa. Ergo in cognitione firmamenti ſecundus in cognitione diſcretionis terræ, & maris. Tertius in cognitione Solis, ac Lunæ, & ſtellarum. Quartus in cognitione reptilium. Quintus in cognitione jumentorum, & ferarum, vel ipſius hominis ſextus neque enim hi dies Solares intelligendi ſunt, ſed ipſius diei unius, quem intelligimus ſpiritalem creaturam, ideſt Euangelicam, ſexies facta cognitio. Sex dies fecit pro-

propter ſenarii perfectionem . Si vis ut aliquid tibi de Scripturis colligam, libens adeſto, & totum te ad audiendum præpara. Unus in numeris dividi non poteſt, ab ipſo enim ſurgit omnis numerus. Ergo duo dividi poſſunt, & pars ejus unus eſt. Igitur diviſio duorum in unum eſt. Quid aliquid hic numerus oſtendit, niſi Trinitatem, quæ Deus eſt? Quæ quamvis tres perſonæ ſint, in una creduntur unitate naturæ. Quaternarius ſcilicet duas partes habet; nam quarta ejus unus eſt, media ejus duo. Unum videlicet, & duo tria ſunt. Ecce partes ſuas nec ultra excreſcent, nec complent, & ideo imperfectus eſt numerus. Quinarius vero non habet niſi unum, quod eſt quinta ejus pars. Unus ſenarius igitur numerus perfectus eſt, quia partibus ſuis completur; habet enim unum, quod eſt ſexta ejus, duo, quod eſt tertia, tria, quod eſt dimidia. Unum ergo, duo, & tria ſex faciunt. Ideoque hujus numeri perfectionem ſex diebus operatus eſt Deus omnem creaturam. Tres hæ partes ſenarii numeri demonſtrant nobis Trinitatem numeri, menſuræ, & ponderis feciſſe omnem creaturam. Primum valere ſenarii numeri perfectionem in Scripturis Sanctis frequenter reperimus, præſertim in morte Domini ſimpla. Mors itaque D. N. J. C. non fuit in anima, ſed in carne ſola; mors vero noſtra non ſolum in carne, ſed etiam in anima propter peccatum, in carne propter pœnam peccati. Ille vero quia peccatum non habuit in anima, non eſt mortuus niſi tantum in carne, & hoc propter ſimilitudinem carnis peccati, quam de Adam traxerat. Igitur ſimpla ejus mors profuit de * plebe noſtræ, & ſimpla ejus reſurrectio profuit duple noſtra mors carnis ejus, & reſurrectio ejus mors animæ noſtræ, & reſurrectio ejus duas mortes noſtras, & duas reſurrectiones noſtras, duas & duas quatuor ſunt; unam mortem Domini, & unam reſurrectionem ejus, adde quatuor noſtras, ſex faciunt. Igitur ſimplum Domini, & duplum noſtrum tres ſunt, & tres partes habet, ſecundum quod ſupra diximus, ſenarius numerus. Nam & XXXVI. horæ, quibus fuit Dominus in Inferno, huic ſimplex, & duplex congruunt duodecim. Igitur horæ fuerunt diurnæ, & XXIV. nocturnæ. Iſtæ XXIV. nocturnæ ad duplam mortem noſtram concinnant, & illæ duodecim horæ ad mortem Domini ſimplam: Revera enim natura ejus ſenarium numerum habet. XLVI. annis ædificatum eſt templum, adſtruerunt in Euangelio Judæi, quod intelligitur de corpore Domini. Quadraginta ſex anni pro diebus poſiti ſunt. XLVI. diebus dicunt infantem formari in utero, & ſubinde uſque in diem parturitionis augmentari. Quadragies quippe ſeni fiunt CCLXVI., qui faciunt menſes novem, & dies ſex. Compota ergo ab VIII. Kal. Apr., quando paſſus eſt Dominus, & tunc etiam creditur fuiſſe conceptus uſque ad diem VIII. Kal. Janu., & reperies dies a LXXVI., qui conſtat per ſenarium numerum. Quid de illa muliere in Euangelio, quam XVIII. annis curvaverat Satanas, quam ſanavit Dominus, niſi quia & ipſi anni ſenarium numerum habent? Ter igitur ſex decem, & octo faciunt. Illa itaque mulier intelligitur genus humanum, quod ſexta ætate ſcilicet a captivitate Diaboli Dominus liberavit. Prima ætas eſt ab Adam uſque ad Noe. Secunda ætas eſt a Noe uſque ad Abraham. Tertia ætas eſt ab Abraham uſque ad David. Quarta ætas eſt a David uſque ad tranſmigrationem Babyloniam. Quinta ætas eſt a tranſmigratione uſque ad adventum D. N. J. C. Sexta ætas, quæ nunc agitur, donec excelſus veniat ad Judicium. Sexta igitur ætate ſeculi reformatur genus humanum ad imaginem Dei. Profecto enim anni decem, & octo non ſolum ſex ætates, ſed etiam tria tempora evidenter demonſtrant; unum ſcilicet ante legem, alterum ſub lege, tertium ſub gratia. Igitur & ipſe annus ſenario numero continetur; habet enim dies CCCLV. ſexies quippe ſexageni CCCLX. remanent profecto

ſecto V. & quadrans. V. dies ſexta ſunt menſis tamen ſi & illud pro die ponas aperte totum ſex faciunt. Ecce quantum me Deus adjuvet, de ſenarii numeri perfectione, etſi non quantum volui, tamen quantum potui, reddidi rationem.

De Luna per XII. ſigna.

Luna duobus diebus, & VI. horis, & beſſe unius horæ ſingula ſigna pervolat velociore ſuo curſu. Singula vero ſigna XXX. habent partes. Si vis ſcire quantas horas Luna peragat medium ſignum ideſt XV. partes cujuslibet ſigni, divide LIV. hor. in duas medietates, & beſſem unius horæ, quæ ſunt horæ uniuſcujuſque ſigni, & habebis XXVII. horas, & medium ſignum partes XV. peragendas, & trientem, ideſt tertiam partem unius horæ. In quibus horis XV. partes præpoſiti tibi ſignum Luna percurrit. CXXXVI.

Si vis ſcire, quo ſpatio unam partem ſigni pervolat, tolle exinde XXII. horas XV. horas da ſingulis partibus ſingulas horas, remanent XII. horæ. Has XII. divide per punctos ſingulos ea lege, quia hora a Luna * V. punctos habet ergo XII. ſi quinquies ducantur, faciunt LX. puncta; partire per XV. quater XV. LX. ſunt. Da IV. punctos ſingulis partibus, & videbis, quod unam partem ſigni Luna percurrit in ſpatio unius horæ ex IV. punctis, & remanet triens, ideſt tertia pars unius horæ; quot ſunt oſtenta XX., quia plena hora LX. habet oſtenta. Da ſingulis partibus unum oſtentum, & videbis, quod Luna ſpatio unius horæ, & IV. punctorum, & unius oſtenti, quod eſt triens, partem unam ſigni, quod eſt triceſima pars unius ſigni, peragit.

De ſaltu Lunæ per XIX. annos, quomodo decreſcit nox.

Si vis ſapere in XIX. annis quomodo dies, & nox minuitur, quando Luna facit ſaltum, ſingulis annis & menſibus per momenta, & atomos unoquoque anno momenta L. & medium (* & nona decima pars de dimidio momenti) facit ipſe medius momentus atomis CCLXXXII. in unoquoque menſe momenta IV. Et ſextam partem momenti atomis XXIV. Secundo menſe momenta IV. & ſextam partem momenti, atomis XXIV. Tertio menſe momenta IV. & ſextam partem momenti, atomis XXIV. Et ſic in ſingulis menſibus. Hæcque XII. menſes ad ſaltum Lunæ; ſit ſumma in uno anno momenta L. & dimidium. De iſto momento facimus atomos CCLXXXII. Ipſa L. momenta faciunt unam horam, & quartam partem de hora, & dimidium momentum, ſimili numero in XIX. annis. Ad ſaltum Lunæ momenta in XIX. annis CMLX. Ipſa momenta faciunt horas XXIV., quæ minuit dies & nox in XIX. annis, quæ Luna facit ſaltum. CXXXVII.

* *Alia manu addita ſunt.*

De flexibus digitorum.

CXXXVIII. Ita digitorum flexus ſervantur per primum digitorum trium in læva ab extremo inflexionem palmæ in medium artum dicitur I. II. III. cum dicis IV. extremum digitum leves . Cum dicis V. ſecundum ab extremo ſimiliter erigas. Cum dicis VI. modicum in medium palmæ extremo, & medio levatis eriges. Quando ad VII. perveneris , minorem ſolum cæteris levatis ſuper palmæ radicem pones, juxta quem in VIII. medium . In IX. autem impudicum e regione compones X. ungues indicis in medio fixus artu pollicis XX. ſummitas pollicis medio artu inter indicem , impudicumque XXX. * in inmollis in ſummitate pollicis indiciſque complexus XL. pollicis ſummitas adjiacens artui , in medio latere pone * a dorſu indicis L. curvate pollex in palmam cæteris erectis LX. pollicem curvam in exteriore artu inter eumdem artum , ungulamque indicis trie * undique medio tere indicis artum medio pollicis fronte inter artum & ungulam ſito circumpone LXX. pollicis artu curvato trans medium indicis artum radicem pollicis. a latere circuivit * indicis LXXX. pollicem in longum tendens indice illius ſummitatem , ungulamque circumpone XC. indicis ungulamque in pollicis radice eriges . C. in dextera quomodo X. in læva. CC. in dextera , quomodo XX. in læva. CCC. in dextera , quomodo XXX. in læva . CCCC. in dextera , quomodo XL. in læva . D. in dextera , quomodo L. in læva. DC. in dextera , quomodo LX. in læva. DCC. in dextera, quomodo LXX. in læva . DCCC. in dextera , quomodo LXXX. in læva. DCCCC. in dextera, quomodo XC. in læva . Sic quoque a Mille currit in dextera compotus uſque $\overline{VII}$. , quomodo currunt monades in læva I. uſque ad IX. $\overline{X}$. in ſiniſtra palma ſupra verticem ſupinatum retro ponas . $\overline{XX}$. eodem ſitu prona ſuper manum colli . $\overline{XXX}$. eodem ſitu prona in medio pectoris. $\overline{XL}$. eodem ſitu prona in latere dextro . $\overline{L}$. pollex in umbiculo . $\overline{LX}$. ſiniſtra palma ſub umbiculo ſupina . $\overline{LXX}$.eodem ſitu in inguine prona . $\overline{LXXX}$. eodem ſitu in femore ſiniſtro . $\overline{XC}$. eodem ſitu prona , ſed foris . Ita facitur in dextera manu , cum dicis C. millia. Cum autem dicis decies centena millia , duæ palmæ apertæ erga faciem e regione interpoſitæ , ſed ante aures retro reſpicientes tres digiti in ſiniſtra manu , ideſt auricularis, medicus, & impudicus uſque ad IX. continent. I. II. III. &c. Duo digiti in ſiniſtra manu, ideſt index , & pollex uſque ad XC. continent. X. XX. XXX. &c. Duo in dextera manu digiti ſemper continent uſque ad CM. pollex , & index . C. CC. CCC. &c. Tres in dextera manu digiti continent uſque ad $\overline{IX}$., auricularis, impudicus, & medicus. M. $\overline{II}$. $\overline{III}$. &c. Continet ſiniſtra manus particulas ſemper uſque ad $\overline{XC}$. $\overline{X}$. $\overline{XX}$. $\overline{XXX}$. &c. Continet dextra manus per juncturas ſemper uſque ad $\overline{CM}$. $\overline{C}$. $\overline{CC}$. $\overline{CCC}$. &c.

In Dei nomine incipit ratio Paſchalis, & ceterorum CCCXVIII. Epiſcoporum, qui conſideratione feſti Paſchalis, & ceterorum ſapientium virorum, qui dixerunt auctoritatem.

Cum omnes Apoſtoli de hoc mundo per univerſum orbem per ſingulas provincias Eccleſiæ diverſa tenebantur jejunia. Nam & omnes Galli quacumque die VIII. Kal. Apr. fuiſſet, ſemper Paſcha celebrabant dicentes: Quid nobis eſt a XIV. Luna compotum cum Judæis facere Paſchæ? Sed ſicut eſt Domini natalis quocumque die evenerit VIII. Kal. Janu., ita & VIII Kal. Apr., quando traditur Chriſti Reſurrectio, debemus Paſcha tenere. Orientales verò, ſicut Euſebii Cæſarienſis narrant eloquia, quocumque die in menſe Martio XIV. Luna fuiſſet inventa, Paſcha celebrabant. In Italia autem alii diebus XL. jejunabant, alii XX., alii VII. diebus, in quibus Mundus omnis concluditur, ſic ſufficit jejunare. Alii quia Dominus XL. diebus jejunaſſet, & alii XL. horas. Cum hæc talis * obſervationis per ſingulas provincias, unde error erat Sacerdotibus, eo quod a quibus una Fides recta tenebatur, eorum diſſentirent jejunia. Tunc Papa Victor Romanæ Urbis Epiſcopus hoc elegit, ut dirigeret auctoritatem, quia tunc non Hieroſolyma, ſed Cæſarea Metropolis dicebatur, unde Paſchalis ordinatio proveniret; quo modo Paſcha recto jure a cunctis Catholicis celebraretur Eccleſiis, ubi Dominus, & Salvator mundi in carne fuerat converſatus. Accepta itaque auctoritate Theophilus non ſolum de ſua Provincia, ſed etiam de diverſis regionibus omnes Epiſcopos, & ſapientes viros ad Concilium evocavit. Ubi cum illa Sacerdotum, vel ſapientium virorum multitudo in omnibus Scripturis erudita in unum fuiſſet collecta; tunc prædictus Epiſcopus protulit auctoritatem ad ſe miſſam a Papa Victore, & quid ſibi operis fuiſſet injunctum oſtendit. Tunc pariter omnes Epiſcopi dixerunt. Primum nobis inquirendum eſt, quomodo in principio mundus fuerit factus, & cum hoc fuerit diligentius inveſtigatum, tunc poterit ex eo Paſchalis ordinatio ſalubriter pervenire. Dixerunt ergo Epiſcopi: Quo die credimus primum fuiſſe factum Mundum, niſi Dominico? Alii dixerunt: Quomodo ergo potes probare, quia primus dies dies Dominicus fuerit? Theophilus Epiſcopus dixit: Probate, quod dicitis. Epiſcopi reſponderunt: Secundum Scripturæ auctoritatem Divinæ factum eſt veſpere, & factum eſt mane dies unus, & ſecundus, & tertius, & quartus, & quintus, & ſeptimus. In quo ſeptimo requievit ab omnibus operibus ſuis, quem diem ſeptimum Sabbatum appellavit. Cum ergo noviſſimus dies ſit Sabbatum, quis poteſt eſſe primus, niſi Dominicus. Theophilus Epiſcopus dicit: Ecce de die Dominico quia primus ſit, probatum. De tempore quid vobis videtur? IV. autem tempora mundi in anno accidunt: Ver, Æſtas, Autumnus, & Hyems. Quod ergo tempus primum factum eſſe creditis in mundo? Epiſcopi dixerunt: Vernum. Theophilus Epiſcopus dixit: Probate quod dicitis. Et illi reſponderunt: Scriptum eſt: *Germinet terra herbam feni ſecundum genus ſuum, & lignum pomiferum ferentem fructum*. Hæc enim veris temporibos videmus fieri. Theophilus Epiſcopus dixit: Quo loco caput mundi eſſe creditis? in principio temporis, an medio temporis, an in fine? Epiſcopi dixerunt: In Æqui-

CXXXIX

Confer iſta cum iis, quæ habent de iſto Concilio Beda, Baronius ad An. 198. & Labbe Tom. I Concil. pag 596.

Æquinoctio, idest VIII. Kal. Apr. Theophilus Epiſcopus dixit: Probate quod dicitis. Et illi reſponderunt. Scriptura dicit, quia *fecit Deus lucem, & vocavit Deus lucem diem, & fecit Deus tenebras, & tenebras vocavit noctem, & diviſit inter lucem, & tenebras æquas partes*. Theophilus Epiſcopus dixit: Ecce de die, vel tempore probaſtis. De Luna quid vobis videtur? utrum creſcentem, an plenam, an imminutam a Domino fuiſſe creatam? Epiſcopi reſponderunt: Plenam. Et ille dixit: Probate quod dicitis: Epiſcopi reſponderunt: Dicit divina Scriptura: *Fecit Deus duo luminaria magna, & poſuit ea in firmamento cœli, ut lucerent ſuper terram, Luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus initio noctis*. Non poterat, * niſi plenum.

Nunc ergo inveſtigavimus, quomodo in principio factus fuerit mundus: idest die Dominico, verno tempore, in æquinoctio VIII. Kal. Apr. Luna plena. Per ipſum tantummodo tempus dies, & elementa reſurgunt. Theophilus Epiſcopus dixit: Nunc igitur agendum de ordinatione, quomodo debeamus Paſcha tenere. Epiſcopi dixerunt: Numquid dies Dominicus præterire poteſt, & in eo Paſcha celebraretur, qui tot & talibus benedictionibus ſanctificatus eſt? Theophilus Epiſcopus dixit: Apertius ergo dicite, quibus, & qualibus benedictionibus eum fuiſſe ſanctificatum aſſeritis, ut ſcribere poſſimus. Epiſcopi reſponderunt: Prima illi benedictio eſt, quod in ipſo tenebræ remotæ ſunt, & lux apparuit. Secunda illi benedictio eſt, quod de terra Egypti populus Iſraheliticus, velut de tenebris, quaſi per fontem Baptiſmi, per mare Rubrum de duro ſervitio fuerit liberatus. Tertia illi benedictio eſt, quia in eodem die celeſtis cibus manna hominibus datum eſt: Quarta illi benedictio eſt, quia Moyſes mandavit ad populum: *Sit vobis obſervatus dies primus, & noviſſimus*. Quinta illi benedictio eſt, ut CXVII. Pſalmus dicit, qui totus de Paſſione, & Reſurrectione cantatur. De Paſſione ait: *Circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini vindicavi in eis. Circumdederunt me ſicut apis, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis*. Et interjectis verſibus: *Lapidem, quem reprobaverunt, factus eſt in caput anguli*. De Reſurrectione autem dicit: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*. Et item interjectis verſibus: *Conſtituit diem feſtum in confrequentationibus uſque ad cornu altaris*. Sexta illi benedictio eſt, quod in ipſa Dominus reſurrexit. Videmus ergo, quia diem Dominicum ſingulariter in Paſcha tenere præcepit. Theophilus Epiſcopus dixit: De tempore autem ad Moyſen mandatum eſt a Deo: *Hic vobis erit menſis initium menſium; Paſcha facite in eo*. Non dixit in prima die menſium, aut in decima, aut in alia qualibet, ſed totos XXX. dies in Paſcha ſanctificavit. Epiſcopi reſponderunt: Qui ſunt illi XXX. dies. Superius ergo jam reſponſum dedimus, principium mundi eſſe in Æquinoctio VIII. Kal. Apr., & ab VIII. Kal. Apr. uſque in VII. Kal. Mai: legimus conſecrandos. Theophilus Epiſcopus dixit: Et impium non eſt, ut illi tres dies Paſſionis Dominici tantum Sacramenti myſterium foras limitem excludantur? Paſſus namque Dominus ab XI. Kal. Apr. V. Fer. quam Cena Domini vocamus, quia nocte a Judæis traditus, quando & cum diſcipulis diſcubuit, quando & Judæ prædixit, quod ab ipſo eſſet traditurus. Quod & ita conſtat fuiſſe ſuppletum, & VIII. Kal. Apr. reſurrexit. Quomodo ergo hi tres dies foras terminum excludentur? Epiſcopi dixerunt: Nulla ratione fieri debet, ut tantum Sacramentum foras limitem excludatur, ſed introducantur in ordine Paſchali hi tres dies. Conſtitutum eſt ergo in illa Synodo ut nec ab ante XI. Kal. Apr., nec poſt VII. Kal. Mai: Paſcha non debeant obſervare, & nec antea, nec poſtea cuicumque conſtitutum limitem tranſgrediendi eſſet libertas. Similiter & de Luna præceptum divinum ſervetur,

quod

quod mandatum eſt per Moyſen, ſit vobis obſervatum a XIV. Luna uſque in XXI. Has ergo VII. Lunas conſtat fuiſſe conſecratas, ſed quia Judæi a XIV. Luna tenent Paſcha, nos neceſſe eſt a XV. uſque in XXI. celebrare Paſcha. Quando ergo ſit intra illum limitem conſtitutum ab XI. Kal. Apr. uſque in VII. Kal. Mai: dies Dominicus, & Luna aliqua ex illis VII. ſanctificata obveniret, Paſcha nobis juſſum eſt celebrare.

Incipit Epiſtola Cyrilli Alexandrinæ Urbis Epiſcopi.

Antiquitus Eccleſia Paſcha XIV. Luna cum Judæis celebrabat, quocumque die occurreret. Sed hunc ritum Sancti Patres in Nicæna Synodo prohibuerunt, conſtituentes non ſolum Paſchalem & menſem inquirere, ſed etiam diem Reſurrectionis Dominicæ obſervare, & ob hoc Paſcha a XV. Luna uſque in viceſimam primam extenderunt, ut dies Dominicus non obmitteretur. Paſcha autem vocabulum non Græcum, ſed Hebræorum eſt, nec a Paſſione, quam Phaſin Græcè dicimus pati, ſed a tranſitu Hebræo verbo Paſcha appellata eſt, eo quod tunc populus Dei ex Ægypto tranſierit. Unde in Euangelio, *cum vidiſſet*, inquit, *Jeſus, quia venit hora, ut tranſiret de mundo ad Patrem.* Cujus nox ideo per vigiliam ducitur propter adventum Regis, ac Dei noſtri, ut tempus Reſurrectionis ejus nos non dormientes, ſed vigilantes inveniat. Cujus noctis duplex ratio eſt, ſive quod in eadem vitam tunc recepit, cum paſſus eſt, ſive quod poſtea hora, qua reſurrexit, ad judicandum venturus eſt. Eo autem modo agimus Paſcha, ut non ſolum mortem, & reſurrectionem Chriſti in memoriam revocemus, ſed etiam cætera, quæ circa eum ad teſtantur, ad Sacramentorum ſignificationem inſpicimus; propter initium enim novæ vitæ, & propter novum hominem, quem jubemur induere, & exuere veterem, *expurgantes vetus fermentum, ut ſimus nova conſperſio, quoniam Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Propter hanc ergo vitæ novitatem primus menſis novorum in anni menſibus ad celebrationem Paſchæ myſtice adtributus eſt. Quod tertia Hebdomada dies Paſchæ celebretur, id eſt qui dies occurrerit a XV. in XXI. hoc ſignificat, quia toto tempore ſeculi, qui ſeptenario numero agitur, nunc tertium tempus eſt, quod hoc Sacramentum apparuit. Primum enim tempus eſt ante legem, ſecundum ſub lege, tertium ſub gratia. Ubi jam manifeſtum eſt Sacramentum prius occultum Prophetiæ Ænigmaticæ. Ideo & propter hoc tria tempora ſæculi Reſurrectio Domini triduana eſt. Quod vero a XV. Luna uſque ad viceſimam primam per dies ſeptem Paſchalis dies quæritur, propter ipſum numerum ſeptenarium in univerſitate. Unde & Johannes Apoſtolus in Apocalypſi ad ſeptem ſcribit Eccleſias. Eccleſia verò adhuc in iſta mortalitate carnis conſtituta propter ipſam mutabilitatem Lunæ nomine in Scripturis ſignificatur. Varia autem obſervantia opinionum Paſchalis feſtivitatis interdum errorem gignit. Latini namque a tertio Nonas Martias uſque in III. Non. Apr. primi menſis Lunam inquirunt, & ſi XV. Luna die Dominico provenerit, in aliam diem Paſcha protrahunt. Græci primi menſis Lunam ab VIII. Id. Mart. uſque in diem Non. Apr. obſervant, & ſi XV. Luna die Dominico concurrerit, ſanctum Paſcha celebrant. Hujuſmodi ergo diſſenſio inter utroſque Paſchalem regulam turbat. Communis autem annus dicitur, qui tantum XII. Lunas, hoc eſt dies CCCLIV. habet; dictus autem communis, quia ſæpe duo ita conjuncti incedunt invicem, & ſe in Paſchali ſolemnitate ſequun- CXL.

quuntur. Nam emboliſmalis annus ſemper ſolus eſt. Emboliſmalis annus eſt, qui XIII. menſes Lunares, ideſt CCCLXXXIV. dies habere monſtratur. Ipſe eſt annus Sancto Moyſi divinitus revelatus, in quo jubentur hi, qui longius habitabant, in ſecundo menſe Paſcha celebrare. Emboliſmus autem nomen Græcum eſt, quod interpretatur Latinè ſuperaugmentum, eo quod expleat numerum annorum communium, quibus XI. Lunares dies deeſſe cernuntur. Embolimæi autem anni, & communes ſic inveniuntur. Si enim a XV. Luna Paſchæ præcedentis uſque ad quartam decimam ſequentis CCCLXXXIV. dies fuerint, Emboliſmalis annus eſt. Si CCCLIV., communis. Biſſextus eſt per annos IV. unus dies adjectus. Creſcit enim per ſingulos annos quarta pars aſſis, ac ubi quarto anno aſſem compleverit, biſſextilem annum facit. Dictus autem biſſextus, quia bis ſexies ductus aſſem facit, quod eſt unus dies, ſicut & quadrantem propter quater ductum, quod eſt biſſextum, quod ſuper dierum curſum in anno Sol facit. A VI. autem Non. Mart. uſque in diem prid. Kal. Janu. in Lunæ curſu bis adponitur, atque inde detrahitur. Intercalares autem dies idcirco vocantur, quia interponuntur, ut ratio Lunæ ſoliſque conveniat. Calare enim ponere dicitur. Intercalare interponere. Epactas Græci vocant, Latini adjectiones annuas Lunares, quæ undenarium numerum uſque ad tricenarium in ſe revolvuntur, quas ideo Ægyptii adjiciunt, ut Lunaris menſis rationi Solis æquetur. Luna autem juxta curſum ſuum XXIX., & ſemis dies lucere dignoſcitur, & ſunt in anno Lunares dies CCCLIV. remanent ad curſum anni Solaris dies XI., quos Ægyptii adjiciunt, unde & adjectiones vocantur. Abſque his non invenies Lunam, quota ſit in quolibet anno, & menſe, & die. Iſtæ Epactæ ſemper in XI. Kal. Apr. reperiuntur in eadem Luna, quæ fuerit eo die. Continentur autem circulo decemnovennali, ſed cum ad XIX. pervenerint, qui eſt circulus decemnovennalis, jam ſequenti anno non addes ſuper XXIX. XI., ut X. adnuncies, deſtructis XXX., ſed inde revertere ut XI. pronuncies.

Explicit Epiſtola S. Cyrilli.

CXLI. Epiſtola Paſchaſini Epiſcopi ad Beatiſſimum Papam Leonem de indaganda ratione Paſchali. *Edita eſt a Bucherio, & aliis.*

De nominibus Stellarum, quibus ex cauſis nomina acceperunt.

CXLII. Sol appellatus, eo quod ſolus appareat obſcuratis fulgore ſuo cunctis ſideribus. Luna dicta quaſi Lucina, ablata media ſyllaba, de qua Virgilius: *Caſta fave Lucina*. Sumpſit autem nomen per derivationem a Solis luce, eo quod ab eo lumen accipiat, acceptum reddat. Stellæ dictæ a ſtando, quia fixæ ſtant ſemper in Cœlo; nec cadunt; nam quod videmus e cœlo ſtellas labi, non ſunt ſtellæ, ſed igniculi aere lapſi, qui fiunt, dum ventus altiora petens æthereum ignem ſecum trahit, qui tractu ſuo imitatur ſtellas cadentes. Nam ſtellæ cadere non poſſunt, immobileſque ut prædictum, ſunt, & cum cœlo fixæ feruntur. Sidera dicta, quod ea navigantes conſiderando dirigunt ad curſum conſilium, ne fallacibus undis, aut ventis alio deducantur. Quædam autem ſtellæ idcirco ſigna

ſigna dicuntur, quia ea nautæ obſervant in gubernandis remigiis, contemplantes aciem fulgoremque eorum, quibus rebus ſtatus cœli futurus oſtenditur. Sed & omnes homines ea intendunt ad prævidendas aeris qualitates per æſtatem, & hyemem, vernalemque temperiem. Ortu enim vel occaſu ſuo certis ſtationibus temporum qualitates ſignificant. Signorum primus Arcton, qui in axe fixus Septentrionali in ſe revolutus rotatur. Nomen eſt Græcum, quod Latinè dicitur Urſa, quæ quia in modum plauſtri vertitur, noſtri eam Septemtrionem dixerunt. Triones enim propriè ſunt boves aratorii dicti, eo quod terram terant, quaſi teriones. Septemtriones enim non occidere axis vicinitas facit, quia in eo ſunt. Arctophilax dictus, Arctonidem ſcilicet curſum ſequitur eumdem, & Bootem dixerunt, eo quod plauſtro hæret, *multis ſignum expectabile ſtellis*. inter quas Arcturus eſt. Arcturus ſidus eſt poſt caudam majoris Urſæ poſitum in ſigno Bootis, unde Arcturus dicitur, quaſi ἄρκτυ ὑρὰ, quia Bootis præcordiis conlocatus eſt. Oritur autem Autumnali tempore. Orion Auſtrum ante Tauri veſtigia fulget, & dictus Urion ab urina, ideſt ab inundatione aquarum; tempore enim hyemis ortus mare, & terras aquis, ac tempeſtatibus turbat. Hunc Latini Jugulam vocant, quod ſit armatus, ut gladius, & ſtellarum luce terribilis, atque clariſſimus. Quo fulgente omnis ſerenitas tollitur, ac obſcuratur, & imminere tempeſtas cernitur. Hyades dictæ ab Hyan, ideſt a ſucco, & pluviis, nam pluviæ hyetos dicuntur. Ortu quippe ſuo efficiunt pluvias, unde & eas Latini ſucculas appellaverunt, quia quando naſcuntur, pluviarum ſigna naſcuntur. De quibus Virgilius: *Arcturum, pluviaſque Hyadas*. Sunt autem ſeptem in fronte Tauri, & oriuntur tempore vernali. Pleiades a pluralitate dictæ, quia pluralitatem Græci a to * tylicton appellant. Sunt autem ſtellæ ſeptem ante januam Tauri, ex quibus ſex videntur, nam latet una. Has Latini, Virgiliuſque dicunt a temporis ſignificatione, quod eſt ver, quando exoriuntur. Nam occaſu ſuo hyemem, ortu æſtatem primæ, primæque navigationis tempus oſtendunt. Canicula æſtuale ſidus, quæ & Syrius dicitur. Æſtivis menſibus in medio centri cœli eſt, & dum Sol ad eam aſcenderit, conjuncta cum Sole, duplicatur calor ipſius, & diſſolvuntur corpora, & vaporantur. unde, & ipſi ſtellæ dies Caniculares dicuntur, quando & moleſtæ ſunt purgationes. Canis autem vocatur, propterea quod corpora morbo afficiat, ſive propter flammæ candorem, quæ hujuſmodi ſit, ut præ cæteris lucere videatur. Itaque quo magis eam cognoſcerent, Syrion appellarunt. Cometes ſtella eſt dicta, eo quod comas luminis ex ſe fundat, quod genus ſideris quando apparuerit, aut peſtilentiam, aut bella, aut famem ſignificat. Cometes autem Latinè crinitus appellatur, quia in modum crinium flammas ſpargit, eaſque Stoici dicunt eſſe ultra triginta, quorum nomina, & effectus quidam Aſtrologi ſcripſerunt. Lucifer dictus, eo quod inter omnia ſidera plus lucis ferat. Eſt autem unus ex Planetis. Hic propriè & jubar dicitur, eo quod jubas lucis oſtendat. Sed & ſplendor Solis, & Lunæ, & ſtellarum jubar dicitur, quod in modum jubæ radii ipſorum extendantur. Veſperus ſtella Occidentalis, quam cognominatam perhibent a Veſpero Spaniæ Rege. Eſt autem & ipſa ex quinque ſtellis planetis noctem ducens, & Solem ſequens. Fertur autem, quod hæc ſtella Oriens Luciferum, Occidens Veſperum facit. De qua Statius: *Et alterno dependitur unus in ortu*. Planetæ ſtellæ ſunt fixæ in cœlo, ut reliquæ, ſed in aere feruntur. Dictæ autem planetæ apo to planos, ideſt ab errore; nam interdum in Auſtrum, interdum in Septemtrionem, plerumque contra Mundum, non numquam cum Mundo feruntur. Quarum nomina Græca ſunt. Phaeton, Phaetonta, Phyriona aſperum, Stel-

 bom.

bom. Has Romani nominibus Deorum ſuorum, ideſt Jovis, Saturni, Martis, Veneris, atque Mercurii ſacraverunt; decepti enim, & decipere volentes in eorum adulatione, qui ſibi aliquid ſecundum amorem præſtitiſſent, ſidera adtendebant in cœlo dicentes: Quod Jovis eſſet illud ſidus, & illud Mercurii, & concepta eſt opinio vanitatis. Hanc opinionem erroris Diabolus confirmavit, Chriſtus evertit. Jam vero illa, quæ ab ipſis Gentilibus ſigna dicuntur, in quibus & animantium imago de ſtellis formatur, ut Arcton, ut Aries, Taurus, Libra, & hujuſmodi alia, hi qui ſidera perviderunt, in numerum ſtellarum ſpecie corporis ſuperſtitioſa vanitate permoti finxerunt, & ex cauſis quibuſdam Deorum ſuorum & imaginis nomen confirmarunt. Nam Arietem primum ſignum, cui, ut Libræ, mundi lineam tradunt propter Ammonem Jovem ideò vocaverunt. In cujus capite qui ſimulacra faciunt arietis cornua fingunt; quod ſignum Gentiles ideo inter ſigna conſtituerunt, quia in Martio menſe, qui eſt anni principium Solem in eo curſum ſuum agere dicunt. Sed & Taurum inter ſidera conlocant & ipſum in honorem Jovis, eo quod in bovem ſit fabuloſe converſus, quando Europam tranſvexit. Caſtorem quoque & Pollucem poſt mortem inter noviſſima ſigna conſtituerunt, quod ſignum Geminos dicunt. Cancrum quoque inde dixerunt, eo quod cum ad illud ſignum menſe Junio Sol venerit, retro graditur in modum Cancri, brevioreſque dies facit; hoc enim animal incertam habet primam partem, denique ad utramque partem greſſum dirigit, ita ut prior pars ſit poſterior, & poſterior prior. Leonem in Græcia ingentem Hercules occidit, & propter virtutem ſuam hunc inter aſtra, & duodecim ſigna conſtituunt. Hoc ſignum Sol cum adtigerit, nimium calorem mundo reddit, & annuos flatus, Eteſias nempe facit. Virginis etiam ſignum idcirco inter aſtra collocaverunt, propterea quod iiſdem diebus, in quibus per illud Sol decurrit, terra exhauſta Solis ardore nihil pariat. Eſt enim hoc tempus Canicularium dierum. Libram autem vocaverunt ab æqualitate menſis ipſius, quia VIII. Kal. Octob. Sol per illud ſignum currens Æquinoctium facit, unde & Lucanus: *Ad juſtæ pondere libræ*. Scorpium quoque & Sagittarium propter fulgora menſis ipſius appellaverunt. Sagittarius vir equinis cruribus deformatus, cui ſagittam, & arcum adjungunt, ut ex eo menſis ipſius fulmina demonſtrentur, unde & Sagittarius.

Incipit Epiſtola Dionyſii Exigui.

CXLIII. Dominis a me plurimum venerandis Bonifacio Primicerio Notariorum, & Bono Secundicærio Dionyſius Exiguus, &c. *Edita a Bucherio in Append.*

Incipit Epiſtola S. Cyrilli V. Kal. Decembr.

CXLIV. Dominis venerabilibus Sanctis Fratribus Epiſcopis Aurelio, Valentino, ſed & omni Sanctæ Congregationi &c. *Edita a Bucherio pag. 72. hunc autem finem in Codice noſtro habet*. Et omnia ſcripta autentica Synodi Nicænæ protuli Innocentio Presbytero ut adferat ad vos. Pax cum ſpiritu veſtro & meo in Chriſto Jeſu. Finit. Amen.

Inci-

Incipit Epiſtola Sancti Proterii Alexandrini Epiſcopi ad Beatiſſimum Papam Leonem Romanæ Urbis Epiſcopum de ratione Paſchali.

Domino meo dilectiſſimo Fratri, & Conſacerdoti Leoni Proterius &c. CXLV.
Edita a Bucherio pag. 82.

Incipit Epiſtola Moriani Epiſcopi Alexandrini de ortu Paſchali, eo quod ſenſerunt alii diverſè.

De eo quod ſcriptum eſt : *Poſt biduum Paſcha fiet*, incongruum fuit CXLVI.
Paſcha Judæorum in Æquinoctio, hoc eſt in VIII. Kal. Apr. In Æquinoctio renovatio noviſſima Mundi, & redemptio per Crucem Chriſti, quia in Æquinoctio fuit Mundi conſtructio, & compoſitione diſpar ſibi invicem fuerat utraque. Deinde Adam longitudo facta eſt, & potentia Dei tribus diebus factis; ſed Sol addidit curſum dierum, quando inluxit in Mundo quarto diei * e contrario dempſit. cur * noctium etenim Adæ venerationem & honorem æquinoctii noviſſimi, & Paſchæ Chriſti perſignata eſt, & facta eſt prima Mundi conſtructio in æquinoctio primo. In æquinoctio quaque facta eſt ſolutio, & redemptio Iſrahel de ſervitute Judæorum, & in eodem æquinoctio poſt XII. Kal. Apr. præcepit filiis Iſrahel celebrare Paſcha, quod eſt typus Paſchæ futuri Chriſti per omnia in finem ex initio. Typus namque Chriſti agnus, qui eſt occiſus, & manducatur quotidie Agnus a ſeptem viris, hoc eſt a ſeptem gradibus Eccleſiæ. Tantum autem miniſterium Dei ſcitote, quod non mirum ſi accenderet, * ſi in judicium convenerit æquinoctium, quod eſt VIII. Kal. Apr. ſexta Feria Luna XIV., & reſurrectio Luna XVI. poſt XI'. Kal. Apr., quod æquinoctium vernale, hoc eſt initium anni Solaris, & ante hoc initium non facitur Paſcha apud Hebræos, & Græcos, & Latinos, niſi in errore, quia dies Dominica, in qua facta eſt lux, non fuit ante XII. Kal. Apr., quod eſt in nocte II. Feria numero crucis. XII. autem Kal. Apr. III. Feria, & X. Kal. Apr. IV. Feria, in qua dictum eſt: *Poſt biduum Paſcha fiet*. Deinde aliquod ita fiat poſt biduum Paſcha, ideſt poſt completionem, & integritatem duorum teſtamentorum, & tranſcenſus ad regnum Dei conveniente ad VI. Feriam æquinoctio Luna XIV. & ſolemnitate Reſurrectionis die Dominica, hoc eſt totius generis humani, ex quo genere virga de radice Jeſſe exiit, quæ redemit Iſrahel de Ægypto, quæ converſa eſt in Serpentem, ut liberarentur Iſrahelitæ ab Ægypto. Quid Serpens perſuaſit homini, hoc eſt Diabolus mortem. Si ergo a Serpente eſt mors, Virga in Serpentem, Chriſtus in mortem, Serpens exaltatur in heremo aere, ut ſanaret vulnera corporum reſpicientem * aenium. Ut ſolvit ſervitutem Iſrahelitarum famulantium in Ægypto, ſic omnis * Moyſi a ſerpentibus a venenis intuendo Serpentem magnum Sacramentum quod eſt intuendo Serpentem ſanari, niſi credo in mortuum Chriſtum ſanari a morte peccatorum. Et ut liberaretur populus ab Ægypto per Virgam in Serpentem converſam, & Agnum in Paſcha occiſum, hoc eſt Chriſtum in mortem, ita liberator totum humanum genus in Paſcha Paſſionis Chriſti, qui eſt verus ſerpens occidens Serpentem, ideſt Diabolum, & devorans Virgas Magorum, ideſt Philoſophorum, & miniſtrorum Diaboli.

Qui eſt autem, expavit Moyſes, & fugit, quia quando mortificatus eſt Chriſtus, expaverunt, & fugerunt diſcipuli. Caudam apprehende poſteriore adprehendente, ut eſt illud: *Poſteriora mea videbis*. Primo factus eſt Serpens ſed cauda retenta, viſus eſt Cæphæ, deinde XI. Eſt etiam in cauda Serpentis finis ſeculi, quia mortalitas generis humani ambulat per mortem a Diabolo inlatam, ſed in fine ſeculi, ſicut a cauda redimus ad manum Dei, & efficimur ſtabilitum regnum Dei. Poſt hæc autem omnia breviter dicam, quod numquam breviter apud Hebræos ante XII. Kal. Apr. quia Luna nata in VIII. Id. Mart. XIV. in XI. Kal. Apr. Obſerva igitur curſum Lunarem juxta regulam Græcorum, & more Ægyptiorum, & non ſecundùm Epactas, ideſt adjectiones Lunares, quia ibi pervenitur a IV. Luna uſque ad XVI. hic autem ad XV. juxta compoſitionem Euſebii, qui primus conſcripſit circulum XIX. annorum, Athanaſii, Theophili, Cyrilli, Dionyſiique exigui, uſque dum ſcripſit Victorius Hilario Papæ Urbis Romæ Epiſcopo. Tunc acceſſerunt diſputatores Alexandrini, & Antiocheni circulos poſt alios deſcribere. Finiunt hæ Epiſtolæ in Dei nomine Amen.

Incipit Præfatio Patronio Epiſcopo.

CXLVII. Domino Beatiſſimo, & nimium deſideratiſſimo Patri Patronio Epiſcopo Dionyſius Exiguus, &c. *Edita a Bucherio pag. 485. Heic verò iſta leguntur.* Quia verò S. Cyrillus primum Cyclum ab anno Diocletiani centeſimo quinquageſimo ſecundo cæpit, & ultimum in anno XLVII. terminavit, nos a ducenteſimo quadrageſimo octavo anno ejuſdem, &c.

In nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti de Mundi principio.

CXLVIII. Quomodo factus eſt Mundus initio creaturarum Dei? in quo die? in diebus menſis? & in diebus ſeptimanæ? & in quo anno? & in quo tempore? ſive in die? an in nocte? & in qua hora? interrogamus. In Æquinoctio autem, & in die Dominico, & in communi anno, & in Ogdoade, & in prima hora creatus eſt, & in momento oculi omnia ſimul facta ſunt a Deo, ſecundùm Apoſtolum dicentem hunc ſermonem: *ut dixit, omnia ſimul facta ſunt*, & ſimiliter a Deo vivo in die Judicii omnia ſimul deſtruentur, & in meliorem ſtatum renovabuntur. Recto ergo tramite dierum, quos prædiximus ſuperius nuper, principium, & finis illorum numeratur, quod primum XII. Kal. Apr. in principio die Dominicæ incipit, quaſi fuiſſet ante in ſabbato dimidium ipſius diei, & in ſexta hora Dominici diei finitur, ſed paulo poſt X. Kal. Apr. conſecutus eſt. Et ſimiliter in ſexta hora II. Feria conſummatus eſt, & X. Kal. Apr. uſque ad dimidium III. Feriæ incipiens a ſexta hora ſecunda Feria migravit, & IX. Kal. Apr. uſque ad dimidium IV. Feriæ apparuit, incipiens ante ſextam horam V. Feriæ, & in hoc die Sol luxit. Initio ipſius, & in VIII. Kal. Apr. uſque ad dimidium V. feriæ morabatur, incipiens a ſexta hora IV. Feriæ ante, & in VIII. Kal. Apr. oſtenſa eſt Luna in cœlo in fine illius diei in XIV. Lunæ ætate. Sciendum eſt autem, cur major facta eſt Aurora Solis in principio Mundi, quam maneat in his temporibus, eo quod ſplendidior erat Sol ante peccatum Adæ ſeptem lucernis, quas habebat, & non manet in eo, niſi una pars tantùm de ſeptem lucer-

lucernis cauſa peccati illius Adæ. Sed nemo potuiſſet ſuſtinere eum propter ardorem ejus, niſi defendiſſet nos Deus tribus cœlis pro eo.

Nos ſcire volentibus, quomodo dicunt Hebræi XII. menſes anni, hoc modo reſpondemus: quod non adnumerant Judæi ſecundùm Solem, ſed ſecundùm curſum Lunæ. Tantum adnunciat qui Lun. XXIX. & ſemiſſe utuntur ætati * cum uniuſcujuſque incipientis a XV. Luna primi menſis uſque ad XIV. Lunam Paſchæ, excepto videlicet primo anno, quem curamus numerari a XV. Luna uſque ad XIV. Lunam primi menſis.

Initia menſium apud Ægyptios hæc ſunt: IV. Kal. Septemb. IV. Kal. Octob. V. Kal. Novemb. V. Kal. Decemb. V. Kal. Janu. VII. Kal. Febr. V. Kal. Mart. VI. Kal. Apr. VI. Kal. Maji. VII. Kal. Jun. VII. Kal. Jul. VIII. Kal. Aug. Ii ſunt intercalares dies, ut IX. Kal. Sept. VIII. Kal. Sept. VII. Kal. Sept. VI. Kal. Sept. V. Kal. Septemb. Et congregantur in unum apud Ægyptios intercalares dies, quia CCC. * unius menſis non habent ſecundùm Solem, ſed trecenteſim. XII. menſes habere monſtrantur. Illi autem Ægyptii ſupradicti totum annum complent, incipientes a IV. Kal. Septemb. uſque in IV. Kal. Septemb. Sciendum eſt nobis quot ſunt partes menſis, & quot habuerunt apud Romanos. Primum illud autem hoc modo ſolvitur: Quatuor partibus monſtrantur habuiſſe, ut eſt tres menſes, & XIV., & decimus. Sed tamen principium incipientes a Menſe Martio, & Aprili, & Majo annum totum ſuum compleverunt in tribus menſibus. Et aliquando in IV. menſibus, quando Junius conjungitur ipſis menſibus ſupradictis tribus, & tunc in decem menſibus adjectis quinque ipſis, ut eſt Jul. Aug. Septemb. Octob. Novemb. & Decemb., & tunc in XII. menſibus poſtea ii ſunt adjecti Janu. & Febr. omnibus, quos diximus nuper, & conſummatur annus Solis per hos duodecim menſes. Sed de cauda anni Januarium, & Februarium addiderunt ſapientes Gentilium virorum. Nobis ergo interrogantibus, qui ſunt iſti, qui conſtituerunt menſes primitus a Romanis, ſcire convenit, hoc modo ſolvitur, quod Numa Pompilius, & Zyngus Duces mirabiles compoſuerunt menſes apud Romanos, & invenitur proprium numeris ipſorum ab ipſis menſibus, eo quod Numa Pompilius * Julium & Auguſtum tantum addidit, & Zyngus alios omnes compoſuit menſes in commemoratione Idolorum ſuorum facere utilitatem per hos menſes ſupradictos. Ideo facti ſunt omnes per poteſtatem Domini. Quibus modis nomina ſortiti ſunt menſes apud Romanos? Quatuor modis dicuntur: Idolis, Regibus, & numeris. ut eſt: Januarius a Jano Idolo accepit, quia in eodem menſe docuit Romanos, ut implerent illi ſua verba tota dicens: Lignum fumigantem oleumque * tincta ad corpus meum devorandum, & totos inimicos veſtros retro jacentem pro eo quod me videt morientem, omnes vos amici mei accendite, & poſtquam moriturus ſum, templum ædificate in nomine meo ad orandum in eo, & imaginem meam facite cum duabus ſpeciebus facies viri & mulieris, ut adorent me viri, & mulieres in hoc templo, & multa oſtia in eo templo aptate, ut aperiantur adverſus eos, qui vos perſequentur, & non poſſint bellum facere adverſus vos cauſa hujus rei. Et hic Janus bifrons, de quo accepit Januarius nomen; aliter Januarius de janua nomen accepit, quia hic eſt janua anni. Menſis Februarius dictus eſt de lavatione, quia Februm interpretatur lavacrum, eo quod Lurconis, vel Luperci corpora ſua de immunditia hyemis lavaverunt, vel eo quod ſit febris. Deinde Februarius nominatur propter frigiditatem temporis iſtius. Martius de Marte Idolo accepit nomen, quia mortuus erat in illo Menſe, & propter hoc colebatur apud Gentiles hic menſis. Aprilis ab aperiendo dicitur, eo quod aperit Mundus flores in eo, vel eo quod aperitur cœlum oculis, quod opertum nubibus erat ante.

te. Majus dictus eſt de Majoribus Romanorum in ſapientia, vel de Maja matre Mercurii. Aliter de Majo Deo Idolo, qui Opiter magnitudine potentiæ dicitur. Junius a Junioribus Romanorum dictus eſt in ſapientia. Aliter de Junone dictus eſt, quæ ſoror Jovis, filia Saturni fuit. Julius a Julio Rege Romanorum dicitur propter honorem Regis. Nomen illius poſitum eſt in illo menſe, quia primus dedit regnum Romanis. Numa Pompilius hos duos menſes addidit Julium, & Auguſtum. Julius Cæſar cedente populo, quia per vim abſtrahit regnum. Auguſtus ab Auguſto Octaviano Rege dictuseſt. Auguſtus autem, qui ſolemniter ſtans interpretatur, quia per pacem invenit regnum. September eo quod ſit ſeptimus imber a Martio, qui eſt principium veris. Simili quoque ordine October, November, & December ex numero imbrium, atque veris acceperunt vocabulum. Kalendæ dictæ ſunt pro Kalendo, vel colendo, eo quod initia menſium apud Gentiles. Aliterque ideſt vocationis, quæ ſit a verbo Græco Kalo, & interpretatur voco. Ideo Kalendæ dicuntur a vocando; quia vocabantur omnes apud Gentiles in die hoc ad ſacrificandum ad oppidum magnum, & dicebatur eis, qui debuiſſent offerre. Kalendæ Lunæ dicebantur primitus, invento hoc nomine Lunæ, ideſt prima Lunæ primi menſis dicuntur Kalendæ Menſium diebus. Nonæ a nundinis dicuntur, eo quod in hoc die exercebantur nundinæ. Aliter eo quod nonus dies ſit ante Idus. Idus a die dictæ ſunt primitus in medio menſis, ut ejus cognoſceretur medietas. Id de die dicitur tranſmutata una litera, & immutatur u pro e, factumque eſt nomen. Aliter Græcum eſt, & interpretatur cor menſium, & nominis ejus genitivus invenitur, ut eſt Idus, Iduvum, Idibus. Interrogandum, quare dicatur menſis quarto Nonas habere, & ſexto Nonas, & quare non decem poſt Idus, & ſeptemdecim, & octodecim, aut ſexdecim? Ab Imperatoribus Romanorum factum eſt, ne alii inſidiatores dolum feciſſent uno die * facito conductionis, ut dubitatio eſſet in die conductionis abſque dubio quando * quam dabitur in menſem XXX. tertio dicitur malionienſem aurem. In menſe tricenario unum quarto dicitur malum id trigentarios trans diem ſilet trigentarios unos trans duos dies dic, quo incipit prid. Kal. Janu. abſque dubio incipit Apr. abſque biſſexto: Eodem autem die incipiunt, ſi biſſextus fuerit. Quarto autem die incipiunt Febr. & Mart. a die quo initiatur Janu. Die vero ex quo incipiunt Kal. Janu. Secundum initiatur Majus, tertio incipit Auguſtus, quarto incipit November. Hæ ſunt obſervationes Kalendarum menſium.

Incipit Epiſtola Papæ Leonis ad Marçianum Imperatorem per Darianum.

CIL. Tam multis per omnes Chriſti Eccleſias fides veſtræ pietatis innotuit, &c. *Edita eſt a Bucherio pag.* 78.

De Paſcha autem.

CL. Tamquam de maximo Sacramento ſalutis noſtræ paulo latius aliquid dicturus, etiamſi non eſt hujus temporis cuncta diſſerere, prius oſtendere volo, quibus vel quantis rationibus Phaſe Domini cuſtodire præcipitur. Menſe primo decimo die menſis agnus anniculus immaculatus ſegregari, & feriari uſque ad XIX. & in nono decimo die Domino per Moy-

ſen

ſeu occidi præcipitur ab univerſo filiorum Iſrahel cætu ad veſperum, qua fractiones ipſe Dominus verus agnus, cum ad verum Paſcha progreditur, aliquid permanere volens, cuſtodit aliquas, non ſervari cupiens, commutavit, quia cum in primo menſe ſecundum præceptum legis immolari dignatus eſt, & XIV. nullo modo pervenire ſuæ Paſſionis tempore permiſerit. Aliqua tamen contra figuram feciſſe narrat Euangelium, quia cum a Juda traderetur Judæis, non decima die menſis præmittendus eſt, & cum ſui corporis, & ſanguinis ſacramenta dare in ſua vita diſcipulis ſuis dignatus fuerit, hoc contra figuram feciſſe monſtratur. Cui ille agnus qui typo Chriſti in Paſcha præcipitur occidi, aſſatus igne cum capite, & pedibus, & intraneis poſt ſuam occiſionem conſumi a populo manducaretur. Hoc autem, ut mihi videtur, propter duas rationabiles cauſas Dominus feciſſe cognoſcitur. Nam cum Paſcha cum diſcipulis manducaret, niſi poſtea ſacrificium commutaſſet dicens: *Hoc eſt Corpus meum*, ſic etiam poſtea obſervari debere crederetur. Hæc autem altera, ut opinor, cauſa, ut cum Corpus Domini integrum, & ſuum ſanguinem in ſe continens ante Paſſionem cernerent, hoc corpore ſpiritaliter refici crederent, & ſic etiam nunc a nobis crederetur. Hoc etiam intueri debemus, quod non XIV. ad veſperum, ut lex præcipit, ille agnus qui tollit peccatum Mundi*, & Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, ſed quinto decimo die, in quo manifeſtum eſt diem Feſtum Judæorum cum ſuo ſacrificio a Domino eſſe ſolutum. Sed quid in hoc intelligere debemus, quod prius figuralis Agni carnem comederet, & poſtea ſui corporis cibo ſuos Apoſtolos reficeret, & poſt Judæorum typi cum noſtrum Paſcha immolatus eſt Chriſtus, hoc ut opinor ut non veritas figuram, ſed figura veritatem præcederet, quia non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale. Unde eleganter amica Sponſa Chriſti ſponſi univerſalis Eccleſia anathematizat eos, qui cum Judæis Feſtivitatem Paſchalem XIV. Luna celebrari definiunt, & cetera. Et hujuſmodi umbralis obſervantiæ, & hoc tantum obſervare dignatus eſt, quod & Dominus in primo menſe poſt quartam decimam diem Paſchalem feſtivitatem procedente una Sabbatorum celebrari ſine ulla ambiguitate cenſuerit, licet in hoc varietas Eccleſiæ orta eſt, aliis ſufficere credentibus, ut non cum Judæis XIV. Luna Paſcha celebrarent. Alii autem hoc fortiter, cauteque cuſtodiunt, ut immolationem veri Agni Dei, qui tollit peccata Mundi ante XIV. Lunam celebrare non audeant. Secundum illos legale præceptum, quod & Dominus ad Paſſionem veniens minimè contempſit, obſervabitis * eum uſque ad XIV., quod nunc maximè Eccleſia auctoritatem Sedis Apoſtolicæ ſequens obſervat. Sed & hæc deſerentes, quia non eſt hujus temporis per ſingula diſcurrere, ad ſpiritalem intelligentiam mentes etiam convertamus, quibus præcipitur ſpiritaliter menſe novorum XIV. die menſis primi Paſchalem carnem comedere, ut in vobis naſcentibus bonorum operum fructibus, cum Decalogi a nobis fuerint verba completa in Euangelii perfectione quater numero conſiſtentes * ternis noſtri agni in veſpere mundi, in quo ſeculorum finis pervenerit; non enim eſt * tenebricatis cordibus Spiritu Sancto noctem noſtram inluminante comedamus. Finit.

De nominibus Menſium.

CLI. Januarius, Aquarius, hydrodios. Februarius, Piſcis, Achis. Martius, Aries, Crios. Aprilis, Taurus, T. urus. Majus, Geminus, Daſdamus. Junius, Cancer, Carcenos. Julius, Leo, Leon. Auguſtus, Virgo, Parthenos. September, Libra, Tygos. October, Scorpius, Scorpios. November, Sagittarius, Toxotis. December, Capricornus, Evoceros.

De Menſibus Hebræorum.

Niſan, Aprilis. Jar, Majus. Siban, Junius. Tahani, Julius. Ab, Auguſtus. Elur, September. Theſeri, October. Marſuan, November. Casleu, December. Tereth, Januarius. Sabath, Februarius. Adare, Martius.

De Menſibus Macedonum.

November Apolus. December Audinæus. Januarius Peritus. Februarius Diſthor. Martius Pſanticus. Aprilis Artemiſius. Majus Deſios. Junius Panemos. Julius Loos. Auguſtus Sarpieos. September Hyperberetheus. October Dius.

De Menſibus Ægyptiorum.

Thot Septemb. Paophi Octob. Athir Novemb. Chiac Decemb. Tubi Janu. Mechir Febr. Famenoth Martius. Farmuthi Aprilis. Paſchon Majus. Pacni Junius. Epiſa Julius. Menſuri Auguſtus.

De regulari Anno Domini, & de Indictione.

CLII. Ad annos Domini ab Incarnatione ideo mittimus XII. regulares, quia nato D. N. J. C. illa Indictione, quæ tunc erat anni III. erant præteriti, & remanſerunt XII. Propterea auctores ad ſupplendum numerum de ipſis XII. regulares conſtituerunt.

Ad Indictione vero ideo mittimus III. regulares, quia illi III. anni, qui de illa Indictione præterierant, inde III. regulares conſtituerunt.

Ad biſſextum unum require, quia nato Domino primus annus erat poſt biſſextum.

Ad Cyclum decemnovennalem unum regularem mittimus, quia nato Domino unus annus Decemnovennalis Cycli præceſſit.

Ad circulum Lunæ de annis Domini duos ſubtrahimus, quia nato Domino de illo Cyclo Lunari duo anni remanſerunt.

Ad concurrentes IV. regulares mittimus, quia per quaternos VII Cyclus Solaris diſcurrit, ideſt XXVIII. annos.

Ad Epactam per XL. multiplicamus, quia de anno Solari XI. remanſerunt, & per ipſos XI. ceteras Epactas multiplicamus.

Inci-

Incipiunt in Chriſti nomine Argumenta Græcorum de Cyclis Paſchalibus Ægyptiorum, quæ inveſtigata ſolertia Dionyſius Urbis Romæ Sanctiſſimus Abbas utriuſque linguæ Græcæ videlicet & Latinæ eleganti ſcientia præditus compoſuit, & conſcripſit de numero annorum ab initio Mundi, vel Incarnatione D. N. J. C. quomodo invenire debeas, nec non & reliqua, quæ ſubnexa ſunt.

Si vis ſcire annos ab initio Mundi, multiplica XV. CD., fiunt $\overline{\text{VI}}$. CLIII.
Iterum multiplica XV. XXI., fiunt CCCXV. Adde Indictionem ejuſdem anni, in quo computas, ut puta anni præſentis, quæ eſt III., fiunt ſimul $\overline{\text{VI}}$CCCXVIII. Iſti anni ſunt ab ortu Mundi. Hoc tantummodo memor eſto Lector ſolicitus, ut ſuccedentibus annis ſemper, quando ad XV. Indictionem perveneris, XXI. per XV. multiplices, iterumque per XXII. per XV. multiplica, & poſt XV. Indictionem completam, & unum ſemper adjice.

De Indictione.

Si vis ſcire de annis ab initio Mundi Indictionem facere, ſume annos ab initio Mundi, ut puta $\overline{\text{VI}}$CCCXVIII. Hos divide per XV. partem, quia Indictio per XV. annos diſcurrit, hoc modo: Prius ſubtrahe XV. CD., fit $\overline{\text{VI}}$. Remanent CCCXVIII. Iterum XX. XV. Fit CCC. Item XV. ſemel fit XV. remanent III. tota Indictio eſt. Si nihil remanſerit, decima quinta erit.

De annis ab Incarnatione D. N. J. C.

Si vis noſſe quotus annus eſt ab Incarnatione D. N. J. C. compota XV. quinquaginta quatuor, fiunt DCCCX. His ſemper adde XII. regulares. Propterea autem Auctores XII. regulares ad annos Domini adpoſuerunt, quia quando Incarnatio facta eſt, XII. anni de illa Indictione remanſerunt. Ideo autem Regulares dicuntur, quia numerum annorum Domini regulare videntur. XII. ergo additis ad prædictum numerum, fiunt DXXI. Adde Indictionem ejuſdem anni, cujus volueris, ut puta VI. fiunt ſimul DCCCXXVII. Iſti ſunt anni Domini N. J. C. Hoc tantummodo memor eſto Lector ſolicitus, ut ſuccedentibus annis ſemper quando ad quintam decimam Indictionem perveneris, ſi LIV. per XV. multiplicabis, iterum LV. per XV. multiplicabis, & poſt XV. Indictione completa & unum ſemper adjice, quibus additis ſemper XII. ſupraſcriptis regularibus, implebis numerum annorum Domini, & nihil remanet, quod per XII. addere poſſis, ſicut in aliis Indictionibus remanet, ut in prima Indictione I. in ſecunda II. in tertia tertia, vel uſque ad XIV. tot remanent de compoto ſupraſcripto, quota fuerit Indictio. In XV. vero Indictione ſi ad ſummam ſuperiorem, ideſt LIV. vel LV. per XV. multiplicabis, ſemper I. addas. Hoc argumento ad annos Domini inveniendos pervenies.

Item

Item alia de annis Domini.

Si vis invenire annos ab Incarnatione Domini N. J. C., multiplica XV. quadragies, fiunt DC. & XV. terdecies, fiunt DCCXCV. Adde ſemper regulares XII. ad prædictum numerum, & Indictionem ejuſdem anni III. fiunt ſimul DCCCX. Iſti ſunt anni D. N. J. C. Hoc tantummodo memor eſto ſolicitus Lector, ut ſuccedentibus annis ſemper quando ad XV. Indictionem perveneris, ſi XIII. per XV. multiplicabis, iterum XIV. per XV. multiplica, & poſt XV. Indictionem unum ſemper adjice.

De Indictione.

Si vis ſcire, quota ſit Indictio anni præſentis, ſume annos Domini, quot fuerint, ut puta DCCCX. His ſemper adjice III. regulares. Propterea vero Auctores poſuerunt III. Regulares ad Indictionem, quia tertia Indictio erat, quando Incarnatio fuit. Tribus ergo additis ad prædictum numerum, anni Domini fiunt DCCCXIII. Hos partire per XV. partem, quia Cyclus Indictionum per XV. annos diſcurrit. ideo quinquageni XV. fiunt DCCL. Item quaterni quindecies, fiunt LX. remanent III. Tertia Indictio eſt anni præſentis. ſi nihil remanſerit, XV. erit Indictio.

De Circulo Decemnovennali.

Si vis ſapere, quotus annus ſit Circuli decemnovennalis annorum: ſume annos Domini, qui fuerint, ut puta DCCCX. & ſemper I. regularem adjice, quia quando Incarnatio facta fuit, unus annus decemnovennalis Cycli præceſſit. uno ergo addito ad annos Domini, fiunt DCCCXI. Hos partire per XIX. partem, quia Cyclus decemnovennalis per XIX. annos diſcurrit. XIX. quadrageni, fiunt DCCLX. Item bis decemnovies fit XXXVIII. remanent XIII. Tertius decimus Circulus eſt decemnovennalis anni præſentis. Quod ſi nihil remanſerit, nonus decimus annus eſt decemnovennalis Cycli.

De Epactis Lunæ.

Si vis cognoſcere, quot ſunt Epactæ, ideſt adjectiones Lunares, ſume annos Domini, qui fuerint, ut puta DCCCX. hos partire per XIX. partem, quia Cyclus Lunaris per XIX. annos diſcurrit. Decemnovies quadrageni fiunt DCCLX. Item bis decemnovies fiunt XXXVIII., remanent XII. Hos per XI. partem multiplica, fiunt CXXXII. Hos partire iterum per XXX. partem. Quaterni triceni fiunt CXX., remanent XII. Duodecima Epacta eſt adjectionis Lunaris.

De

De Cyclo Lunæ.

Si agnoſcere volueris, quotus Cyclus Lunæ eſt qui decemnovennali Cyclo continetur, tene annos Domini in manu tua, qui fuerint, ut puta, DCCCX. De his ſemper ſubtrahe duos, quia quando Incarnatio facta eſt, duo anni de illo Cyclo Lunari remanſerunt. Subtractis ergo duobus, remanent DCCCVIII. hos partire per XIX. partem, quia Cyclus Lunaris poſt XIX. annos in ſe revertitur. Decem novies quadrageni fiunt DCCLX. Item bis decem novies fiunt XXXVIII. remanent X. nonus Lunæ eſt decemnovennalis Circuli. Quotiens autem nihil remanet nonus decimus eſt.

De Concurrentibus.

Si vis noſſe adjectiones Solis, ideſt Concurrentes ſeptimanæ dies, ſume annos Domini, qui fuerint, ut puta DCCCX. & annorum Domini quartam partem ſemper adjice ſupra annos Domini, ſunt CCII. qui fiunt ſimul MXII. His ſemper adde IV. regulares. In fine fit omnis ſumma MXVI. hos partire per VII., quia Cyclus Solis per XXVIII. annos diſcurrit. Septies centum fiunt DCC. Item ſepties XL. fiunt CCLXXX. Itemque ſepties V. fiunt XXXV. remanet I. Tot concurrentes ſunt ſeptimanæ dies, qui de Solis curſu perveniunt.

De Biſſexto.

Si vis ſcire, utrum biſſextus ſit annus, an vero annus præparationis biſſexti: ſume annos Domini, qui fuerint, ut puta DCCCX. Hos partire per quartam partem. Si IV. tantum remanent, biſſextus eſt, quia poſt IV. annos peractos intervenit. Centum quaterni fiunt CD. Item nonageni quaterni fiunt CCCLX. Item deni quaterni fiunt XL. Item bis quaterni fiunt VIII. remanent duo. Secundus annus eſt præparationis biſſexti. Si III. remanſerint, tertius annus erit præparationis biſſexti. Si nihil remanſerit, hoc eſt, ſi totus numerus per quaternos æqualis fuerit, biſſextus annus erit. Ne tibi forſitan aliqua caligo erroris occurrat per omnem compotum, quem duces, ſi nihil ſupra fuerit, ſcies eumdem compotum eſſe, per quem duces, ut puta ſi per XIX. duces, & nihil ſuperfuerit, ſcies XIX. eſſe. Si per XV. duces, XV. ſi per VII. duces, VII. ſi per IV. quatuor.

Item de Biſſexto.

Si vis ſcire de biſſexto, tene annos Solaris Cycli, quicumque fuerint, in præſenti anno V.G. XIV. annus Cycli Solaris eſt. Dimitte ſemper I. Remanent XIII. Partire per IV. partes. Dimitte XII. quia IV. terni ſunt. remanet I. Primus annus eſt præparationis biſſexti. Si nihil remanſerit, biſſextus erit.

Sequun-

Sequuntur Cycli decemnovennales Cyrilli, & Dionyſii ab anno DCCXCVIII. incipientes, & in DCCCCLXXXVII. deſinunt.

De Cyclo Paſchali.

Paſchalem Cyclum Hippolytus Epiſcopus temporibus Alexandri Imperatoris &c. *Edita ſunt ab Iſidoro Hiſpalenſi lib. 6. cap. 17. Origin.*

Incipit Tractatus Sancti Athanaſii Epiſcopi Alexandrini de ratione Paſchæ.

Menſis hic vobis initium menſium primus erit vobis in menſibus anni &c. *Opuſculum iſtud olim miſi ad Cl. V.* D. *Bernardum de Montfaucon Monachum Benedictinum Congr. S. Mauri, qui & illud publici juris fecit Tom. 2. pag.* 741. *Operum S. Athanaſii a ſe editorum; quare omittendum heic cenſui.*

Incipit Cyclus Annorum Octaginta, & quatuor, qui computatur die Kalendarum Januariarum Feſto & Gallo Conſulibus, (1) & impletur Siagrio, & Antonino Coſſ., (2) & redit ad caput Merobaldo, & Saturnino Coſſ. (3) Et tertio redit ad caput Poſæo, & Joanne V. C. Coſſ. (4)

(1) *eſt ann.* 298.
(2) *eſt ann.* 382.
(3) *eſt ann.* 383.
(4) *eſt ann.* 467.

Conſulat Lector egregiam de Paſchali Latinorum Cyclo Diſſertationem editam ab immortalis memoriæ viro Henrico Noriſio S. R. E. Cardinali, qui hæc pluribus illuſtravit.

Anni	Dies	Solis	Luna xxi.	Paſch. v. Id. Apr.	Lun. xxi.
ii.	die	ii.	Lun. xxiii.	Paſch. ix. Kal. Apr.	Lun. xvii.
iii.	die	iii.	Lun. iv.	Paſch. Id. Apr.	Lun. xvii.
iv.	die	v.	Lun. xv.	Paſch. Non. Apr.	Lun. xx.
v.	die	vi.	Lun. xxvi.	Paſch. xii. Kal. Apr. ſive xiv. Kal. Maj.	Lun. xvi. Lun. xv.

vi.

vi.	die vii.	Lun. ii.	Paſch. v. Id. Apr.	Lun. xvii.
vii.	die ii.	Lun. xix.	Paſch. Kal. Apr.	Lun. xix.
viii.	die iii.	Lun. xxviii.	Paſch. Kal. Mai.	Lun. xxii.
ix.	die iv.	Lun. x.	Paſch. viii. Id. Apr.	Lun. xvi.
x.	die v.	Lun. xxi.	Paſch. v. Kal. Apr.	Lun. xix.
xi.	die vii.	Lun. ii.	Paſch. xv. Kal. Mai.	Lun. xix.
xii.	die i.	Lun. xiv.	Paſch. iv. Non. Apr.	Lun. xvi.
xiii.	die ii.	Lun. xxv.	Paſch. viii. Kal. Apr.	Lun. xix.
xiv.	die iii.	Lun. vi.	Paſch. xviii. Kal. Mai.	Lun. xx.
xv.	die v.	Lun. xvii.	Paſch. Non. Apr.	Lun. xxii.
xvi.	die vi.	Lun. xxviii.	Paſch. xiv. Kal. Mai.	Lun. xvii.
xvii.	die vii.	Lun. ix.	Paſch. iv. Id. Apr.	Lun. xix.
xviii.	die i.	Lun. xx.	Paſch. Kal. Apr.	Lun. xxi.
xix.	die iii.	Lun. i.	Paſch. xi. Kal. Mai.	Lun. xxii.
xx.	die iv.	Lun. xii.	Paſch. viii. Id. Apr.	Lun. xviii.
xxi.	die v.	Lun. xxvi.	Paſch. iv. Kal. Apr.	Lun. xxi.
xxii.	die vii.	Lun. iv.	Paſch. xv. Kal. Mai.	Lun. xx.
xxiii.	die i.	Lun. xv.	Paſch. iv. Non. Apr.	Lun. xvii.
xxiv.	die ii.	Lun. xxvi.	Paſch. viii. Kal. Apr.	Lun. xxi.
xxv.	die iii.	Lun. viii.	Paſch. xviii. Kal. Mai.	Lun. xxii.
xxvi.	die iv.	Lun. xix.	Paſch. iv. Kal. Apr.	Lun. xvii.
xxvii.	die vi.	Lun. xxx.	Paſch. xiv. Kal. Mai.	Lun. xix.
xxviii.	die vii.	Lun. xi.	Paſch. iv. Id. Apr.	Lun. xxi.
xxix.	die i.	Lun. xxii.	Paſch. vii. Kal. Apr.	Lun. xvii.
xxx.	die ii.	Lun. iii.	Paſch. viii. Kal. Mai.	Lun. xvii.
xxxi.	die iv.	Lun. xiv.	Paſch. viii. Id. Apr.	Lun. xx.
xxxii.	die v.	Lun. xxv.	Paſch. xi. Kal. Apr.	Lun. xvi.
xxxiii.	die vi.	Lun. vi.	Paſch. iii. Id. Apr.	Lun. xvii.
xxxiv.	die vii.	Lun. xvii.	Paſch. iv. Non. Apr.	Lun. xx.
xxxv.	die ii.	Lun. xxix.	Paſch. viii. Kal. Apr.	Lun. xxii.
xxxvi.	die iii.	Lun. x.	Paſch. vii. Id. Apr.	Lun. xvi.
xxxvii.	die iv.	Lun. xxi.	Paſch. iii. Kal. Apr.	Lun. xx.
xxxviii.	die v.	Lun. ii.	Paſch. xiii. Kal. Apr.	Lun. xx.

xxxix.	die vii.	Lun. xiii.	Paſch. iii. Non. Apr.	Lun. xvi.
xl.	die i.	Lun. xxiii.	Paſch. vii. Kal. Apr.	Lun. xix.
xli.	die ii.	Lun. v.	Paſch. xvii. Kal. Mai.	Lun. xx.
xlii.	die iii.	Lun. xvi.	Paſch. vii. Id. Apr.	Lun. xxi.
xliii.	die v.	Lun. xxvii.	Paſch. xi. Kal. Apr.	Lun. xvii.
xliv.	die vi.	Lun. xxviii.	Paſch. iii. Id. Apr.	Lun. xix.
xlv.	die vii.	Lun. xix.	Paſch. iii. Non. Apr.	Lun. xxii.
xlvi.	die i.	Lun. xxx.	Paſch. xvii. Kal. Mai.	Lun. xvi.
xlvii.	die iii.	Lun. xi.	Paſch. vii. Id. Apr.	Lun. xvii.
xlviii.	die iv.	Lun. xxii.	Paſch. iii. Kal. Apr.	Lun. xxi.
xlix.	die v.	Lun. iv.	Paſch. ii. Id. Apr.	Lun. xvi.
l.	die vi.	Lun. xv.	Paſch. iii. Id. Apr.	Lun. xvi.
li.	die i.	Lun. xxvi.	Paſch. vii. Kal. Apr.	Lun. xvi.
lii.	die ii.	Lun. vii.	Paſch. xvii. Kal. Mai.	Lun. xxi.
liii.	die iii.	Lun. xix.	Paſch. ii. Kal. Apr.	Lun. xviii.
liv.	die iv.	Lun. xxix.	Paſch. xi. Kal. Apr. ſive xii. Kal. Mai.	Lun. xxi. xviii.
lv.	die vi.	Lun. x.	Paſch. iii. Id. Apr.	Lun. xxi.
lvi.	die vii.	Lun. xxi.	Paſch. vi. Kal. Apr.	Lun. xvii.
lvii.	die i.	Lun. ii.	Paſch. xii. Kal. Mai.	Lun. xviii.
lviii.	die ii.	Lun. xiii.	Paſch. vi. Id. Apr.	Lun. xxi.
lix.	die iv.	Lun. xxiv.	Paſch. x. Kal. Apr.	Lun. xxi.
lx.	die v.	Lun. vi.	Paſch. ii. Id. Apr.	Lun. xviii.
lxi.	die vi.	Lun. xvii.	Paſch. ii. Non. Apr.	Lun. xxi.
lxii.	die vii.	Lun. xxviii.	Paſch. xv. Kal. Mai.	Lun. xvi.
lxiii.	die ii.	Lun. ix.	Paſch. vi. Id. Apr.	Lun. xvii.
lxiv.	die iii.	Lun. xx.	Paſch. ii. Kal. Apr.	Lun. xx.
lxv.	die iv.	Lun. i.	Paſch. xii. Kal. Mai.	Lun. xxi.
lxvi.	die v.	Lun. xii.	Paſch. ii. Non. Apr.	Lun. xvi.
lxvii.	die vii.	Lun. xxiii.	Paſch. vi. Kal. Apr.	Lun. xix.
lxviii.	die i.	Lun. iv.	Paſch. xvi. Kal. Mai.	Lun. xx.
lxix.	die ii.	Lun. xv.	Paſch. Kal. Apr.	Lun. xvi.
lxx.	die iii.	Lun. xxvi.	Paſch. x. Kal. Apr.	Lun. xviii.

lxxi.

lxxi.	die v.	Lun. vii.	Paſch. ii. Id. Apr.	Lun. xix.
lxxii.	die vi.	Lun. xix.	Paſch. v. Kal. Apr.	Lun. xvi.
lxxiii.	die vii.	Lun. xxx.	Paſch. xv. Kal. Mai.	Lun. xviii.
lxxiv.	die i.	Lun. xi.	Paſch. vi. Id. Apr.	Lun. xix.
lxxv.	die iii.	Lun. xxii.	Paſch. ii. Id. Apr.	Lun. xx.
lxxvi.	die iv.	Lun. iii.	Paſch. Id. Apr.	Lun. xxi.
lxxvii.	die v.	Lun. xiv.	Paſch. Non. Apr.	Lun. xviii.
lxxviii.	die vi.	Lun. xxv.	Paſch. vi. Kal. Apr.	Lun. xxi.
lxxix.	die i.	Lun. vi.	Paſch. xvi. Kal. Mai.	Lun. xxi.
lxxx.	die ii.	Lun. xvii.	Paſch. Kal. Apr.	Lun. xviii.
lxxxi.	die iii.	Lun. xxviii.	Paſch. x. Kal. Apr.	Lun. xxi.
lxxxii.	die iv.	Lun. ix.	Paſch. ii. Id. Apr.	Lun. xxii.
lxxxiii.	die vi.	Lun. xx.	Paſch. Kal. Mai.	Lun. xviii.
lxxxiv.	die vii.	Lun. i.	Paſch. xv. Kal. Mai.	Lun. xviii.

Iterum ad caput revertitur.

Explicit.

Nullum ſane pes moveat, eo quod quintus annus Cycli deſignatum diem Paſchæ habeat, hoc eſt XII. Kal. Apr. Die Dominica Luna XVI. hoc ſemel in annis LXXXIV. faciendum eſt hac ratione, eo quod violentia Lunæ, vel lex Paſchæ prohibet, ne die V. Kal. Apr. aliquis præſumptivè æſtimet ſe Paſcham facere, qua die erit Luna XXIII. & ſuper ſemiſſe. Maximè cum lege ſit cautum, ne modum Lunæ ſtatum aliquis excedat, & in gravem offenſionem incurrat. Sed potius eſt ut die XII. Kal. Apr. celebretur Paſcha, ubi levis reprehenſio eſt, quam criminis nota, ſicut & in veteri laterculo continetur. Et hoc neceſſario oportuit intermitti, eſſe quoſdam annos, in quibus duplicis Paſchæ, ſive duæ in unum veniunt, & quia una obſervanda eſt, erit in arbitrio ſummi Sacerdotis conferre cum Presbyteris, qui dies eligi debeat, dummodo omnes unanimes ipſum diem Paſchæ in unum convenientes celebremus.

Explicit Tractatus de ratione Paſchæ, hoc eſt de XII. Kal. Apr.

In commentariis Victorini inter plurima hæc etiam ſcripta reperimus: Invenimus in membranis Alexandri Epiſcopi, qui fuit in Hieruſalem, quod tranſcripſit manu ſua de exemplaribus Apoſtolorum ita VIII. Kal. Janu.

Janu. natus eſt Dominus N. J. C. Sulpitio & Camerino Coſſ. Et baptizatus eſt VIII. Id. Janu. Valeriano, & Aſiatico Coſſ. Paſſus eſt X. Kal. Apr. Nerone III. & Valerio Meſſala Coſſ. Reſurrexit VIII. Kal. Apr. Coſſ. ſupraſcriptis. Aſcendit in cœlos V. Non. Mai. poſt dies XL. Coſſ. ſupraſcriptis. Johannes Baptiſta naſcitur VIII. Kal. Jul. & circumciditur Kal. Jul. Ad Mariam vero locutus eſt Angelus VIII. Kal. Apr. Sexto jam Conceptionis menſe Eliſabeth * habere dicens. Ex quo ſupputatur, eodem die Dominum fuiſſe conceptum, quo & reſurrexit. Amen.

Domino & Filio Siſebuto Eſidorus.

Dum te præſtantem ingenio, facundiaque &c. *Editum eſt Opuſculum inter S. Iſidori Hiſpalenſis Opera hoc titulo: De rerum natura.*

Incipit Verſus.

ANnus Solis continetur
Quatuor temporibus,
Ac deinde adimpletur
Duodenis menſibus.
Quinquaginta, & duabus
Currit Hebdomadibus,
Una die ſuperducta,
Et ſex horis paribus.
Tricentenis ſexaginta,
Atque quinque diebus.
Sic ambitum Zodiaci
Sol luſtrat diſcurſibus,
Sed excepta parte quarta
Noctis atque diei,
Quæ dierum ſupereſſe
Cernitur ſeriei.
De quadrante poſt annorum
Bis binorum terminum
Calculantes colligendum
Decreverunt biſſextum.
Tantus ei honor datus
A regali culmine,
Quod ſic fuit nominatus
A Julio Cæſare.
Quem ponendum anni fine
Decrevente * Gajus
Dies quinque iterante
Quam brevis Februarius
Hinc annorum diverſantur
Luna longitudinis,
Quorum quidem Emboliſmi
Quidem fiunt communes;
Brevis quippe qui vocatur
Communis Lunaribus.
Sic ſemper duodecim
Terminatur menſibus
Tricentenis quinquageni
Biſque binis diebus.
Hic undenis annus Solis
Percurrit diſcurſibus;
Longus annus Emboliſmi
Supercreſcens dicitur;
Lunæ tribus, atque decem
Menſibus colligitur.
Longus iſte annus Lunæ
In dierum termino
Cóntinetur tricenteno
Octogeno quaterno
Novem idem Emboliſmis,
Atque decem diebus
Pervidetur annum Solis
Superatur eſt * curſibus.
Brevioris * Annus totus
Terminatur circulos
In trecentis quinquaginta
Atque quatuor diebus.
Uno nempe atque decem
Diebus in ordine
Brevis annus anno Solis
Superatur agmine

Embo-

Emboliſmo incremento
Magna larga copia
Anni Lunæ brevi ordine
Suppletur inopia.
Dehinc decem atque novem
Annorum conſtituitur
Tempus certum, quo Lunaris
Terminus porrigitur,
In quo Luna replicantur,
Curſu quodam ſubtili
Decies quini quinquies noni
Simul quinis circuli.
Huic Cyclus ut exigit
Perſcrutando ratio
Semper partes dies ſaltus
Interſerit ſpatio
In duodenæ horæ fine
Percurrit incenſio..
Sic momento quater ducto
Curſu * ſemper menſtruos.
Et momenti duodenæ
Addita particula
Per menſuum duodenorum
Singula curricula
Atomi ſuperadditis
Ducenteno numero
Trigeſies & quinquies
Ducto eorumdem cumulo.
Saltus Lunæ ſupercreſcit
Curſu ſubtiliſſimo
Ducenteno menſe quino
Necnon & trigeſimo.
Qui ſic fiant quater ducti
Efficiunt cumulum
Momentorum nongentorum
Quadraginta ad cumulum.
Quibus puncti fiunt cuncti
Sex & novem decies
Momentorum nongentorum
Atque decem ſexies,
Denis nonis annis ductis
Habent ſuum ſpatium
Dies Solis atque Lunæ
Æquum pondus partium.
Dionyſius attentus
Cyclum nobis tradidit,
Communis & Emboliſſimus
Jus Paſchale reddidit.
Sanctiſſimus ipſe Abbas
Diem ſaltus memorat,
Quinis denis Kalendarum
Magii demonſtraverat,
Calculavit unum diem
Bis * obtimini termini,
Ne deeſſet idem munus
Primo anno communi
Hoc augmentum ſi concreſcit
Menſibus pluriſſimis
Ducentenis, atque quinis
Nec non & trigeſimis.
Græci dicunt, & Ægyptii
De ſaltu certiſſima
In undenis Kalendarum
Epacta trigeſima
In Latinis diem ſaltus
Memorant in quindecim
Kal. Decemb. concelebrant.
Hujus Cycli pars vocatur
Ogdoas anterior,
Ac deinde appellatur
Endecas ulterior.
Ogdoadi deputantur
Octo anni priores.
Endecadis undena
Comprobatur ſeries.
In hoc curſu fiunt anni
Communes duodecies.
Anni verò Emboliſſimi
Subputantur ſepties.
Per decem & novem annos
Hic calculus tenditur
In eumdem Lunæ curſum
Cyclus revertitur
Sex millia nongentorum
Triennarum biennium
Biſque trinis ſupramiſſis.

Reliqua deſiderantur.

S. HILDEBERTI CENOMANENSIS Epiſcopi

Epiſtolæ quædam, & Sermones duo.

IN HILDEBERTI CENOMANENSIS Epiſcopi

Epiſtolas ac Sermones.

FLoruit Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus, ac deinde Archiepiſcopus Turonenſis initio ſeculi a Chriſto nato duodecimi, ac obiiſſe fertur An. 1136., ſive ut alii ſcribunt, 1132. Codicem concinne exaratum Ambroſiana Bibliotheca ſervat. Lit. Q. num. 6. ubi ejus Epiſtolæ plurimæ atque ſermones nonnulli continentur, characteribus ipſi ævo Hildebertino convenientibus. Cum eo exemplari conferebam ego olim ejuſdem ſcriptoris Epiſtolas jam editas Tom. XXI. Biblioth. Patrum, & non paucas deſcribebam, uti nondum publicæ luci redditas. Quum vero una & viginti ex editis Epiſtolis nullum nomen præferrent eorum ad quos datę fuerant: ope Ambroſiani Codicis & id ſupplebam. At irritus ille labor; ſiquidem primo animadverti, Tom. IV. Act. Erudit. Lipſiens. Jacobum Hommey Auguſtinianum in *Supplemento Patrum* edito Pariſiis An. 1684. acephalis Hildeberti Epiſtolis reſtituiſſe nomina; cujus quidem Librum etſi nondum legere potui, nihilominus ab iis repetendis abſtineo, quæ veriſimile eſt ab ipſo fuiſſe evulgata. Secundo didici, poſtremis hiſce annis novam Hildeberti Operum editionem in Gallia procuratam fuiſſe, quæ etiam exhibebat aliquot ejuſdem Scriptoris Epiſtolas non antea publicæ luci redditas. Editionem hanc adhuc deſidero. Quod potui, indicem Epiſtolarum ibi recenter editarum mihi comparavi, eoque cum Epiſtolis per me

deſcriptis collato, quæ pauca ſupereſſe mihi viſa ſunt luce donanda, nunc evulgo. Mihi vero ignoſcent, ut ſpero, eruditi, ſi homini neceſſariis adminiculis deſtituto acciderit, ut non ſatis accurate diſtincta ſint edita a nondum editis.

Do igitur quinque Hildeberti breves Epiſtolas, & unam Ivonis Carnotenſis, quæ cum Hildebertinis conjuncta erat in eodem Codice. Subſequuntur Sermones duo, quorum alterum pronunciatum in Carnotenſi Concilio, ac deinde expoſitum ab Auctore, contemnendum non puto. Sed iterum dolere cogor, quod ibi ſim, ubi fruſtra conquirantur omnia Hildeberti, ac Ivonis Opera huc uſque edita, quibuſcum conferre poſſem ſermones iſtos; & certior fieri, an vere ignota proferam. Quandonam habita fuerit Carnotenſis illa Synodus, quæ heic memoratur, facile non affirmem. Attamen habitam An. Ch. 1124. divinare poſſumus, quippe in Chronico Malleacenſi ſcriptum eſt, Labbeo teſte Tom. X. Pag. 906. Collect. Concilior. *Anno MCXXIV. fuit Concilium Carnoti*. Ceterum non deerunt, qui cogitabundi, & anxia conſideratione intuebuntur in hoc eodem ſermone tria tantum enumerari *Sacramenta, quorum primum eſt Conjugium, ſecundum Baptiſmus, tertium Dominicæ menſæ ſacra libatio*. Quum de reliquis Eccleſiæ Sacramentis ibi taceatur, continuo ingeretur ſuſpicio, ne ſermonis Auctor noſtrorum temporum Novatoribus arma miniſtret, eaque tria tantummodo Sacramenta probet. At animadvertendum, non adeo ſolicitos fuiſſe veteres Eccleſiaſticos Scriptores, ut quum de Sacramentis agebant, ſeptem ſemper commemorarent. Profecto neque plura, neque pauciora quam ſeptem, ſemper habuit, agnovitque Eccleſia Catholica. Singillatim de iis egere Patres, ut ex Theologiæ Dogmaticæ illuſtratoribus conſtat; rarum vero aut neminem fortaſſe apud illos reperias, qui de omnibus, hoc eſt de ſeptem, Eccleſiæ Sacramentis, ſermonem ex profeſſo inſtituerit. Petro præſertim Lombardo, Magiſtro, ut ajunt, Sententiarum debemus præter alia Theologica argumenta in unum congeſta Tracta-

ctatum de ſeptem Sacramentis plenum, & ea methodo digeſtum, quam tenuere poſtea ſucceſſores Scholæ Theologi. Et revera Sermonis hujus Auctor ita de tribus Sacramentis loquitur, ut reliqua non excludat; imo ſatis prodit, alia Sacramenta in Eccleſia haberi, quum ſcribit: *Tria ſunt in Civitate Dei noſtri Sacramenta, quæ & tempore CETERA præceſſerunt, & in reparatione filiorum Dei PRINCIPATUM obtinere noſcuntur.* Quibus ex verbis intelligimus, ipſum de iis tribus dumtaxat agere, quod & præcipua ab ipſo putarentur, & inſtitutione Sacramentis *ceteris* eſſent priora. Quod ſupereſt, poſtquam hic Scriptor pollicitus eſt in exordio, ſe de Matrimonio, Baptiſmo, & Euchariſtia loquuturum, quum deinde unius Matrimonii materiem perſequatur, conjicere cogimur, imperfectum ac mutilum in calce ad nos perveniſſe Sermonem ipſum.

S. HILDEBERTI

EPISTOLÆ.

HILDEBERTI EPISTOLA I.

Quæ eſt V. in Ambroſiano Codice.

USu pariter & neceſſitate docemur ad amicorum ſuffragia convolare. Hinc eſt, quod ego non ſolum in neceſſitatibus meis ad vos concurrere compellor, ſed etiam in meorum anguſtiis amicorum. Cum igitur ad vos Radulphus acceſſerit, ſcitote in eo me vobis loqui, vos & precari quatenus in eo mihi ſubveniatis, ſcientes me pro eo loqui devotius, quam pro me ipſo. Quia vero non eſt meum docere vos, quomodo, vel quam devote eum juvetis, hoc ſignifico tamen vobis, hanc meam eſſe voluntatem, ut impenſiori ſtudio ei ſubvenire ſatagatis quam mihi, quotquot adverſus eum convenerint filii ſeculi, ſcilicet quærentes ei potius incommodare, quam Eccleſiæ ſubvenire, vel juſtitiæ.

HILDEBERTI EPISTOLA II.

Epiſt. VI. *Quæ eſt VI. in Ambroſiano Codice.*

SAlutem, & obſequiorum devotionem. Novit dilectio veſtra Stephanum deceſſiſſe cum quo q. v. Radulphus, noſter quidem filius, veſter autem Decanus, in Apoſtolica acturus erat audientia, apud veſtram pro eo interpellamus diſcretionem, quatenus pro eo impetretis, ne pro cauſa, qua Romam iturus erat, neceſſe ſit eum ulterius fatigari.

HIL-

HILDEBERTI EPISTOLA III.

Quæ eſt VII. in Ambroſiano Codice.

SIcut dicit de cariſſimo patre Filius, ſic apud nos de vobis in aure conqueror, quoniam pro obedientia veſtra adverſariis meis factus ſum tota die in deriſum, & inſultationi eorum expoſitus ita confundor, tamquam omnino qui amiſerim diſponendi de commiſſa mihi Eccleſia facultatem. Quod profecto emerſerit ex eo, quod corrigendi enormitatem Capellaniæ meæ, Canonicam, & traditam omnibus Epiſcopis poteſtatem abſtuliſtis. Acceſſit etiam ad hoc, quod ego ſtupeo, quod vehementius quicumque audiunt, admirantur, & vos præcepiſſe excommunicatis noſtris non ſolum Eccleſiæ beneficium, quod pro ſua culpa amiſerant, reddi; verum etiam communionem Altaris, & Sacerdotii officium ſine ſatisfactione, ſine audientia, ſine abſolutione reſtitui. Ego autem licet gravatus, veſtris tamen ſum obſecutus præceptis, minus attendens illud apoſtolicum; *Quæ conventio Chriſti ad Belial? aut quis conſenſus templo Dei cum Idolis?* Veſtram itaque paternitatem precibus, & lacrymis exoro, & tamquam pedibus Apoſtolicis provolutus depoſco; ne corporis noſtri infirmitatem mentis anxietate gravetis, ſed dignemini præcipere, ut diſponendi Canonice de Capellania mea integram habeam poteſtatem.

HILDEBERTI EPISTOLA IV.

Quæ eſt X. in Ambroſiano Codice.

HOnorio Dei gratia Reverentiſſimo, ac Sanctiſſimo Patri ſuo Sanctæque Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici Hildebertus humilis Turonorum Miniſter integræ perſeverantiam obedientiæ. Literas ad nos, Beatiſſime Pater, veſtra dedit ſublimitas continentes,

ut

ut cauſam , quæ de conjugio N. de Edone , & Agn. uxoris ſuæ ſuſcitata fuerat , utraque parte convocata canonicè ſatageremus terminare. Quibus cum diem agendi ex noſtro dediſſemus præcepto , ipſa A. pro brevitate temporis , & pro loco , ad quem ſuos non poterat advocatos ducere, & maxime VV. de Javalle fratrem ſuum cum Comite Guerrino habere , ſe ad cauſam non poſſe venire prætendit. Præterea contigit, ut ante diem , quam poſueramus , Francorum Rex ad coronandum nos invitaret , & in eadem die , quam utique dederamus , egredi de noſtra ſede nos tempore, & conditione viæ cogeremur . Porro non exaudire Regem , cui poſtulatum debebamus obſequium , & quem vel ſic inſtigandum Eccleſiæ ſperavimus * ceſſurum & in majorem adverſum nos indignationem , nemo eſt qui dubitet . Cum igitur nos & excuſatione Agn. & vocatione , qua vocati ſumus a Rege , ſcripto die cauſam non poſſemus terminare , competentem ei obtulimus diem , quem tamen ipſe omnino ſuſcipere recuſavit , quod ideo vobis , Pater Sancte , ſignificandum cenſuimus , ut ſi quis aliter id referret , vos & dilationis cauſam & rei veritatem cognoſcatis. Conſervet vos Dominus Eccleſiæ , Sancte Pater .

IVONIS CARNOTENSIS EPIST.

Quæ eſt XLI. in Ambroſiano Codice .

SUo Benefactori , & Domino . Quantum liberalitati veſtræ ſimus obnoxii , quantaſve beneficiis veſtris debeamus gratias , nec explicare lingua ſufficimus , nec opere promereri . In quantum nobis deſuper datum eſt, æque per veſtram incolumitatem , & ſalutem orationes Deo multiplicabimus , quemadmodum & pro nobis . Quia vero fortaſſis , quod ſine lacrymis dicere non poſſumus , faciem veſtram ulterius viſuri non ſumus, quod ad ſalutem veſtram pertinet , veſtræ providentiæ duximus ſuggerendum . Eſt obedientia quædam in terra ve-

ſtra,

ſtra, ubi ſanctimoniales boni, & probati teſtimonii, Domino ſervire noſcuntur, unde & veſtram rogamus ſublimitatem, quatenus pro ſalute animæ veſtræ parentumque veſtrorum obedientiam illam manu tenere dignemini, præfatique loci Abbatiſſam, quæ ſibi nomen bonum Religione, & vita promeruit, & tuitione memoratæ obedientiæ fatigatam uſque ad vos exaudire velitis, Chriſtum in illa, ſicut credimus, ſuſcepturi. Denique transfretaturum vos audivimus, & a nobis longe receſſurum. Sed hoc certum habeatis, quod aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem, qua vos amplectimur, qua Dominum deprecamur, ut Angelus pacis iter veſtrum comitetur.

HILDEBERTI EPISTOLA V.

Quæ eſt LXXV. in Ambroſiano Codice.

SAlutem, & ætatem pariter, & conſilio ſuperare. Eos, qui obſequiorum ſunt immemores, bruta etiam accuſant, quæ benefactores ſuos & devotius ſequi manifeſtum eſt; & velut in gratiarum actione eis aſſiſtere, & blandiri. Quæ profecto te imitari, Domino Deo gratias ago, cujus conſilio providiſti, ne beneficia, vel obſequia ejus apud te inremunerata remanerent. Quod ego & laudo, & tibi gratias ago fidem in eo gerens, quod in futurum & majora providebis. De quo quid * ipſe plenius tibi indicabit, utpote qui preces meas, & conſilium ad illos vidit in literis meis, & legit, & intellexit.

Sermo in Adventu Domini.

SEntio, Fratres Kariſſimi, ſentio cum ſapiente illo, qui dicit: *Gratior eſt fructus, quem ſpes productior edit*. Unde & fructus divini cum hominibus colloquii tanto vobis debet eſſe jocundior, quanto fuit expectatio

tio ipſius diuturnior, exhibitio mirabilior, experientia dulcior, uſus major. Præmiſſi ſunt autem nuncii, qui ſacroſanctum edicerent colloquium, homines ad illud invitarent, venturis quidem præmia, nolentibus autem pęnam pollicerentur æternam. Hi Prophetæ fuerunt, qui colloquium illud non ſolum verbis prædocuiſſe, ſed actibus etiam figuraſſe noſcuntur. Sic enim Moyſes ait: *Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus de medio veſtri; tamquam me ipſum audite*. Et Iſaias; *Ecce*, inquit, *Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel*. Fuerunt etiam, quorum actus præfati colloquii Prophetiam fuiſſe ſcriptura commemorat. Hinc eſt, quod Jeremias, cum nudatur, prophetat; David, cum ſe ipſum propriis manibus gerit; Daniel, cum in lacum Leonum mittitur; Oſee, cum fornicariam ducit uxorem; Jonas, cum tribus diebus, & noctibus in ventre cæti tenetur. Has Apoſtolus Prophetias & præceſſiſſe perſtringens, & oſtendens completum in Chriſto colloquium, ſic ad Hebræos ſcribens ait. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus, & Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*. Locutus eſt, inquit, nobis in Filio, quod locutus eſt nobis in Chriſto. Quomodo Deus locutus eſt nobis inviſibilis, & incognitus nobis? Ut videri poſſet, & cognoſci a nobis, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Verbum Dei, filius Dei nobis in carne viſus eſt, in carne nobiſcum de nobis locutus eſt. Locutus eſt autem de pacificando homine cum Angelis, de collocando inter Angelos, de provehendo ſuper Angelos. Locutus eſt, inquam, de commutanda diſſimilitudine noſtra in ſimilitudinem ſuam, de morte noſtra in vitam ſuam, de confuſione noſtra in gloriam ſuam. De his omnibus omnium Creator ante omnia tempora habuit ſecum conſilium, colloquium cum homine in tempore. Ut autem ſecretum illud conſilium aperiretur, miſſi ſunt duo Angeli in mundum, unus qui conſilium detegeret, alter, qui detectum adimpleret. Unus, qui Mariæ Virgini nunciaret naſciturum de Maria Virgine ſequeſtrem noſtrum, alter qui in carne

ſum-

ſumpta de Virgine profiteretur advocatum noſtrum : Porro ſequeſter ille, & advocatus noſter hodie natus eſt nobis. Quare ſic Iſaias promiſit nobis: *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*. Puer, inquit, natus eſt; puer autem iſte Deus, & homo eſt. Deus & homo prę-fati conſilii negotium exſecutus eſt. Nulli fides deſit, cum denunciatur in matre Virginitas, nulli ſpes, cum prædicatur in prole divinitas. Geſtum quidem utrumque contra naturam, ſed propter naturam; utrumque etenim opus Gratiæ, ſed officium Naturæ. Utrumque novum, ſed oraculis repromiſſum. Utrumque beneficium, ſed uſu diverſum. Siquidem pudor Matris gloria eſt perſonæ. divinitas Filii profectus naturæ. Pudor in Matre ſervatus eſt, teſtificatur Filium ejus hominem Deum. Divinitas homini unita eſt, unitura Deo credentes in Deo homines. Erubeſcat Judęus infelix, confundatur infelicior Helvidius. Derogat Judęus divinitati Chriſti, uterque perpetuæ Virginitati Matris Chriſti. Debacchatur Judæus; & uritur, cum dicitur: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Idem quoque aurem avertit, & Iſaiam pervertit, cum ſcriptum advertit: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, & in Ezechiele: *Porta hæc, quam vides, non aperietur, & homo non tranſiet per eam, ſed clauſa erit in æternum*. Hæc ideo porta, quod per eam Chriſtus ingreſſus eſt in Mundum, ſed per clauſam in æternum. Bene clauſam in æternum, quoniam clauſam ante partum, clauſam in partu, & clauſam poſt partum. Faceſcat perfidia Judęi fabulantis ex Joſeph conceptum Chriſtum. Faceſcat Helvidii ſpurcitia garrientis filios Virgini natos poſt Chriſtum natum. Sed adhuc, o Judæe, ſermo nobis ad te eſt, adhuc enim apud te facies Moyſi velata eſt; nondum tibi tuæ legis ſplendor inluxit, nondum myſteria Prophetarum. Denſiores tenebræ operiunt te, quam Ægyptios propter te. Opes tibi exuberant, & egeſtate torqueris. Appoſitus eſt eſculentior apparatus, & fame deficis. In ſpica frumentum portas, & quam ſuave ſit, nondum guſtaſti, nondum ſenſiſti. Pueri

Di-

David per ſata tranſeuntes ſpicas fricabant, & manducabant. Frica & tu ſpicam legis, frange ordeum legis, & invenies ſiliginem legis. Invenies enim ſub palea præfocante medullam ſatiantem, ſub occidente litera ſpiritum vivificantem. Aperi ciſternas Prophetarum, puteos erudera, & occurret tibi fons David, fons aquę ſalientis in vitam æternam. Sed tu miſer venas aquæ limpidioris obturas, tu cum Allophylis puteos imples; quos foderunt pueri Iſaac. Opponis enim firmum, cum tibi fulgor legis exprimitur; inſultas gratiæ Dei, cum Maria Virgo concepiſſe, virgo peperiſſe perhibetur. In Patriarchis, & in filiis eorum opera gratiæ audis, & credis, veneraris, & extollis; in Creatore autem Prophetarum cur ita naturam amplecteris, ut gratiam perſequaris? Abrahæ Sara filium peperit, cum eis ſterilitas, & ſenium ſpem prolis abſtuliſſent. Inficiari, Judæe, non potes, Saram in Iſaac plus debuiſſe permiſſioni, quam nuptiis, gratiæ quam naturæ. Ante Moyſen viſus ardere rubus nullum patiebatur ex igne diſpendium. Inficiari, Judæe, non potes, opus hoc ſigni potius fuiſſe, quam rubi, gratiæ, quam naturæ. Sitiebat in deſerto Iſrael, & ſitis anguſtias impatienter ſuſtinebat, Acceſſit Moyſes ad petram, & ea bis percuſſa, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet, & jumenta. Judæe, inficiari non potes opus hoc ſigni potius fuiſſe, quam lapidis, gratiæ quam naturæ. Rem loquar manifeſtam; paucos eſſe credo, qui lapidem Cryſtallum ignorent. Lapis iſte lapis ſplendidiſſimi coloris, & candidi; hunc aqua perfuſum, ac deinde ferventi ſuppoſitum ſoli ſcintillulas emittere celebre eſt. Nulla tamen ex his ſciſſura lapidis, nulla ſui exitus veſtigia ſcintillæ derelinquunt. In cryſtallo eadem integritas, idem ſplendor perſeverat. Egreditur inde, quod humanis uſibus proſit, non quod lapidis interpolet claritatem. Idem tamen ſi ei aut Sol, aut aqua defuerit, non invenitur emittendo igni idoneus. Ubi autem ambo concurrunt, ex utroque ſimul in Cryſtallo conficitur, quod competenter & conceptum Virginis imaginetur, & partum.

Cui

Cui enim ſacratiſſima Virgo rectius quam Cryſtallo comparatur, in qua velut ad cumulandam ceterarum plenitudinem virtutum, perpetuæ Virginitatis ſplendor effulſit? Ea divinis præparanda myſteriis velut aqua perfunditur, ampliorem ſuſceptura gratiam, qua mirabiliter quidem admitteret filium Dei Deum, mirabilius autem emitteret eumdem hominem Deum. A natura ſiquidem minus alienum videtur cœleſti virtute Virginem impleri, quam de Virgine veram hominis exire ſubſtantiam. Fortaſſis autem, Judæe, moveris, quanam aqua Virginem perſcripſi perfuſam. Aquæ nomine Sanctum intellige Spiritum. De hujuſmodi aqua Dominus per Johelem loquens ſic ait: *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ.* Et per Ezechielem: *Effundam*, inquit, *ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Hac profecto aqua dum Virgo perfunditur, ad admittendum ſolem Juſtitiæ inviſibiliter præparatur. Præparatur, inquam, quod eam Spiritus Sanctus ab omni æſtu concupiſcentiæ carnalis obumbrando protexit. Unde ad incrementum, & plenitudinem gratiæ Virgini noſtræ acceſſit, ut ingreſſurus eam Dei Filius, & purgatam inveniret a reatu alieno, & immunem a proprio. In malivolam enim animam non poterat intrare ſapientia, nec habitare in corpore ſubdito peccatis.

Sermo in Carnotenſi Concilio.

SErmonem quem in Carnotenſi ſcriptum Concilio terminari ſuperveniens prohibuit cauſa, ut ad minorem eruditionem exarare non gravarer, nonnullos præſidentium poſtulaſſe recordor. Quod & vos, Fratres cariſſimi, flagitantes, adjeciſtis plurima, quibus ſtyli noſtri ſomnolentiam excitari poſſe crediditis. Scilicet ſic oportet Epiſcopum vivere, ut etiam ſepultus exemplo vivat omnibus aut verbo; eſſe apud Deum inferiorem popu-

pulo Sacerdotem , cujus nec doctrina in benedictione eſt , nec vita . Ex abundanti, Fratres , hoc addidiſtis , ſcientes quod pepegerim mecum vos honorare, vos diligere in Chriſto , vobis in his omnibus morigerari , quæ vel amicum poſtulare conveniat , vel facere poſſim poſtulatus . Unde & votis veſtris affuturum me promiſi , quod utinam minime promiſiſſem , ſiquidem mendacii arguar , niſi ſolvam quod ſpopondi ; ſi ſtylo indulgeam , ridiculus ſcriptor inveniar . In ſilentio itaque delictum eſt , in pagina confuſio . Malui tamen ingenium defectu , quam Sacerdotem mendacio accuſari . Hinc eſt , quod operi manum appoſui , rogans ipſum fieri procul ab oculis hominum, ſi ſenſeritis ipſum linguas hominum formidare. In quo ſi fortè reperiar addidiſſe aliquid , aut dempſiſſe , ſi non eumdem tenuiſſe ordinem : ſcitote , quod ſcribere decreverim, non prædicare, & corrigere ſcripto, ſi quid fuit in ſermone peccatum.

Niſi fallor, præſens Capitulum ſermonis initium fuit: *Oculi ſapientes in capite ejus , ſtultus autem in tenebris ambulat*. In ſuperficie hujus literæ nihil, quod ad fidem erudiat, nihil quod moribus proſit, invenitur ; ſive enim ſapiens homo ſit , ſive inſipiens , oculi ejus nuſquam niſi in capite ejus. Neceſſe ergo eſt intellectum quæri altiorem. Latet fructus in foliis, os putei clauſum eſt. Tollite folia, & invenietis fructum pretioſiorem cunctis operibus , & omnia , quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Eruderate puteum, & occurret vobis fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Apoſtolus dicit : *Caput mulieris vir , caput autem viri Chriſtus* . Caput iſtud , caput , de quo deſcendit unguentum in barbam , barbam Aaron . Ex iſto capite totum corpus Eccleſiæ ſubſiſtit , totum ſentit , totum vegetatur, totum regitur . Caput ergo Eccleſiæ Chriſtus. In hujuſmodi capite Scriptura ſapientis oculos eſſe commemorat . Verum non ſapientis ſapientia hujus mundi, quæ ſtultitia eſt apud Deum ; quia ſapientes ſunt homines ut faciant mala, bene autem facere neſcie-

ſcierunt. Alia vere & longe alia eſt ſapientia, ea ſcilicet, qua theſaurizamus theſauros in cœlo, qua miſerentes pauperi Deum fœneramus, qua facimus nobis amicos de mammona iniquitatis, cum defecerimus, in æterna nos tabernacula recepturos. Hujuſmodi ſapientiam ſapiens in Chriſto capite ſuo intentis oculis figat, is in ipſo legat, quod a nullo ſalus abſque ipſo. Is ipſum ſequitur propter ipſum, is arduam, & arctam metitur viam, cum Pſalmiſta dicens: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras*. Vobis etiam, quorum profeſſio eſt Sacerdotium, vobis, inquam, præ ceteris id ipſum incumbit, nam & veſtrum caput ipſe Chriſtus eſt. A Chriſto autem mentis lumina avertere, in tenebris ambulare eſt. Ne ergo vos tenebræ comprehendant, in eo ſint lumina cordis veſtri. Lux enim de Luce Chriſtus, Chriſtus liber vitæ eſt, ſed liber ſcriptus foris, & intus; ſi dirigantur in hanc lucem lumina veſtra, bonæ fient viæ veſtræ, & ſtudia veſtra. Si libro huic inhæſerint oculi veſtri, foris in eo temporalia videbitis, intus autem ſpiritualia. Foris enim cum Maria cernetis Chriſtum in muneribus a Magis adoratum, cum Anna ſuſceptum in templo, cum diſcipulis a diſcipulo traditum Judæis, cum Johanne clavis, & lancea perforatum. Foris, inquam, aſpicietis obſequio Joſeph eumdem exhibitum ſepulcro, cuſtoditum a militibus in ſepulcro, teſtibus Angelis ſuſcitatum de ſepulcro. Intus autem adorabitis unigenitum Dei Filium, quotidie audientem a Patre: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Intus contemplabimini ſapientiam, qua erupere abyſſi, & nubes rore concreſcunt. Intus amplectemini reformationem veſtram. *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Præterea cum his omnibus docebimini, Sacerdotem debere gloriam Deo, ſibi cenſuram, vitiis odium, confœderationem moribus, doctrinam populo, reverentiam Sacramentis, quorum ſcilicet Sacramentorum contemptus judicium * de his ergo rogatus ſcribere, quia Sacerdotibus obſequor; oratione Sacerdotum inde precor ſubveniri. Pulſantibus ad oſtium miſericordiæ fortaſſis aperie-

 tur,

tur, & ex eorum potero ſuffragiis, quod me nec ingenio, nec meritis poſſe confido.

Tria itaque ſunt in Civitate Dei noſtri Sacramenta, quæ & tempore cetera præceſſerunt, & in reparatione filiorum Dei principatum obtinere noſcuntur. Eorum primum eſt Conjugium, ſecundum Baptiſmus, tertium Dominicæ menſæ ſacra libatio. His in juventute mundi forma eſt divinitus impreſſa, certi fines aſſignati, quos excedere quia non expedit, auctoritas non permittit. Quippe Chriſtiani formam Conjugii primæ parentis nuptiæ prætenderunt. Baptiſmum diluvii ablutio expreſſit. In Sacrificio Melchiſedech præfixum eſt altaris Chriſti Sacramentum. De quibus nos amplius aliquid auxiliante Domino locuturi ſingula neceſſe eſt percurramus. In illo igitur primorum parentum conjugio maſculum, & feminam communis aſſenſus aſtrinxit. Ætas amborum ſuſcitandæ proli conveniens. Conjux una ſub uno marito. Secretiore thori licentia vir uxorem cognovit. Indiviſum uſque ad mortem Matrimonium. Ecce formam, ecce primi terminos Conjugii. Nos tamen excedere, atque uti carne carnalius neceſſitas, & proles, & duritia docuerunt. Conſtat enim neceſſitate factum, ut ad negotium nuptiale frater ſorori cohæreret, & propinquitatum nomina nominibus Matrimonii jungerentur. Dehinc amore prolis vir unus ad plures intravit uxores. Divortium autem contractum eſt duritia maritorum. Quid de Jacob Dominus dixerit audiamus: *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Ille tamen ante partum electus, dilectus ante meritum, Patriarcha ex Patriarchis, ex Jacob Iſrael, ex pecudum cuſtode cœleſtis militiæ contemplator, inter Liam, & Rachelem diſcurrit, utique conjugium debitum perſolvens. Helcana cum ei Phenenna filios generaret, Samuelem ex Anna ſuſcepit. Fuerunt & alii viri ſancti, qui non ad liberas tantum, ſed ſimul ad ancillas etiam ingreſſi, benedictionem filiorum ex carne præter carnem quæſierunt. Quorum tales cum talibus commixtiones ſi divinam traherent indignationem, Auguſtinus nuptias Abrahæ non his commendaret ver-

bis:

bis : *Sicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro , qui paſſus eſt , & in Johanne , qui paſſus non eſt , ſic non eſt impar meritum continentiæ in Johanne , qui nullas expertus eſt nuptias , & in Abraham , qui duos filios generavit . Illius enim cælibatus & hujus conjugium Domino pro tempore militaverunt* . Porro quod virorum duritia repudii libellum dictaverit , Salvator ſic ad Judæos loquens oſtendit : *Moyſes ad duritiam cordis veſtri uxores veſtras dimittere permiſit . Ab initio autem non fuit ſic* . Intra terminos itaque primi conjugii neceſſitate ſuſcepta eſt conſanguinitas, prolis affectu multiplex uxor, virorum duritia diffidium. *At ubi venit plenitudo temporis , miſit filium ſuum in mundum factum ex muliere, factum ſub lege , ut eos qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*; adventus ejus ſub priore forma Sacramentum reſtrinxit nuptiarum . Ex tunc a Matrimonio excluſa eſt cum affinitate conſanguinitas , remotus uxorum numerus, Euangelii inhibitum lege divortium. Etenim , quia *novus homo venit in mundum* , *nova præcepta dedit mundo . Mandatum* , inquit , *novum do vobis , ut diligatis invicem ſicut dilexi vos* . Et illud: *In hoc cognoſcent omnes , quia diſcipuli mei eritis , ſi dilectionem habueritis ad invicem* . Sancta & ſine exemplo hujus novi hominis, & vita ſimul , & doctrina . Qui enim caritate venit ad homines , doctrina ſimul , & vita dilatavit inter homines Caritatem . Si quidem ſub eo diſcitur inimicos etiam diligendos , ut Caritas dilatetur . Diſcitur bonum pro malo reddendum , ut caritas dilatetur . Diſcitur inter extraneos tantum contrahendas eſſe nuptias, ut Caritas dilatetur . Magnum in hoc etiam , & celebre conjugii bonum : amici fiunt inde , qui naſcuntur inimici . Inde eſt , ut carne quidem maritus & uxor uniantur , animo autem univerſa eorum parentela . A Chriſtianis autem nuptiis ideo multa uxor excluſa eſt ſub gratia , quia Salvatore nato quærendi potius erant Spirituales filii , quam carnales . Nec tam Jacob imitandus generans , qui generarent Chriſtum , quam Johannes generare renuens propter

 Chri-

Chriſtum. Unde & ſic Apoſtolus ait: *Volo omnes homines eſſe, ſicut & ego ſum.* Ne igitur homo fieret *ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*, licentia coeundi conjugibus obliterata eſt. Ne fornicationis ureretur incendio, una uni indulta eſt. De quo etiam Apoſtolus his loquitur verbis. *Unuſquiſque ſuam habeat propter fornicationem, & unaquaeque ſuum. Hoc autem dico non ſecundum imperium, ſed ſecundum indulgentiam.* Praeterea quidem Deus erat, qui ad procreandum genus humanum, mulieri uni conjugavit unam carnem; Lamec autem homo, & peccator; qui primus in duas uxores diviſit unam carnem. In quo jam tunc evacuatum eſt quoddam conjugii bonum, ſcilicet fides, qua ſicut uxor ad alterum vivente viro, ſic & vir ad alteram, dum ſuperſtes eſt conjux, ingredi prohibetur. Ne igitur vel hujuſmodi boni Chriſtianum defraudaretur Matrimonium, unitati pluralitas ceſſit. Ceſſit etiam ſtabilitati divortium, in qua Sacramentum eſſe conjugii ſic Auguſtinus oſtendit. *Omne nuptiarum bonum impletum eſt in parentibus Chriſti, proles, fides, Sacramentum. Plene cognoſcimus ipſum Dominum; fidem, quia nullum adulterium; ſacramentum, quia nullum divortium.* Porro nullum divortium eſſe nihil aliud eſt, quam uſque ad alterius mortem conjugium ſtabile, & firmum perdurare. ſanè quod aliis omnibus omiſſis, quæ in legitimo exiguntur Matrimonio, ipſius ſtabilitati Sacramentum Auguſtinus adſcribit, prærogative potius, quam ſingulariter dictum, quidam non imprudens, ſicut opinor, dixerit; Sacramentum enim ſacræ rei ſignum eſſe, non contemnenda tradidit auctoritas. Quod autem ſub nubilibus annis celebrandæ ſunt nuptiæ, ſacræ rei ſignum eſt. Quod aſſenſu viri ſimul & mulieris, ſacrę rei ſignum eſt. Quod unus uni tantum conjungatur, ſacræ rei ſignum eſt. Quod indulgetur invicem genitivo uſui, & honeſto, ſacræ rei ſignum eſt. Quod ſeparari non poſſint in Domino conjuncti, ſacræ rei ſignum eſt. Idcirco cum Apoſtolus de conjugio loqueretur, *Magnum*, inquit, *hoc Sacramentum; dico autem in Chriſto, & in Eccleſia.* Ni-

mi-

mirum ſponſus Eccleſiæ Chriſtus, ſponſa Chriſti Eccleſia. Hora, qua fons ſuper fontem ſedit, tempus fuit nuptiarum, hora autem illa hora quaſi ſexta. Oſtendit hoc Euangeliſta, cum dicit: *Jeſus fatigatus ex itinere ſedebat ſuper fontem, hora erat quaſi ſexta*. Si fides præſtatur auctoritati, ſexta hora ſexta ætas. In hac ætate celebrari nuptias oportuit, ætas enim illa plenitudo temporis eſt, in qua nubilis facta eſt Eccleſia, & viro paratior. Ante hoc tempus parvula fuit, & ubera nondum habebat. Ubi ad hoc temporis ventum eſt, in uberibus inventa eſt, & viro paratior. Quod Auguſtinus in Lib. de tempore Chriſtianæ Religionis his oſtendit verbis: *Dicimus tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus, & his locis, quibus Euangelium non eſt prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros eſſe præſciebat, quales non quidem omnes, ſed tamen multi in ejus præſentia corporali fuerunt, qui in eum nec ſuſcitatis ab eo mortuis voluerunt credere. Quales etiam nunc multos videmus, cum tanta manifeſtatione de illo compleantur præconia Prophetarum, nolle adhuc credere, & malle humana aſtutia reſiſtere, quam tam claræ atque perſpicuæ, tamque ſublimi, & ſublimiter diffamatæ divinæ credere auctoritati, quamdiu parvus & infirmus eſt intellectus hominis divinæ credere veritati. Quid ergo mirum, ſi tam infidelibus plenum orbem terrarum Chriſtus in prioribus ſeculis noverat, ut eis apparere, vel prædicari merito nollet, quos nec verbis nec miraculis ſuis credituros eſſe præſciebat?* His itaque præmiſſis, conſultum eſt infirmitati mortalium, & medicamine congruo, & tempore opportuno. Hora ideo ſexta ſedit ſupra puteum Jeſus, ſciens hora ſexta venturam ad fontem Samaritanam; unde & ipſa ad fontem venit, & vivum fontem invenit. Sitiebat fons, & ſibi dari libere poſtulavit; adquievit Samaritana, dedit de fonte fonti, ipſa ſuſceptura fontem aquæ ſalientis in vitam æternam. Sexta igitur hora Chriſtus potum petit, ſexta hora ſitienti Samarita-

na miniſtravit. Tempus hoc tempus opportunum, in quo nuptias filio ſuo paterfamilias faceret, in quo Chriſtus Eccleſiam oſcularetur oſculo oris ſui, in quo inter ubera Virginis Sponſæ ſponſus Virgo commorari, & quieſcere lætaretur. Tempus, inquam, opportunum, in quo generaret filios adoptionis, in quo lacte quidem parvulos aleret, robuſtos autem pane confirmaret doctrinæ. Hanc itaque temporis plenitudinem, quæ ad celebrandas ſpirituales nuptias deſuper ordinata eſt, & expectata diutius ille concurſus annorum myſtice ſignat, qui in contractu carnalium expetitur nuptiarum. Unde & ipſe Sacramentum eſt, quia ſacræ rei ſignum eſt,

De Communi Conſenſu.

QUod animum ipſum, & Eccleſiam ſpontaneus, & communis conſenſus aſtruxerit, operæ pretium eſt non tacere. Eccleſiam Chriſtus elegit, electam dilexit uſque in finem, cum dilecta permanſurus etiam poſt finem. De hac electione ſic ipſe diſcipulis loquens ait: *Ego vos elegi de Mundo, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Elegit*, inquit, *Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi*. Eiſdem quoque diſcipulis dilectionem ſuam ipſe inſinuans dicit: *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quacumque a Patre meo audivi, nota feci vobis*. Hujus dilectionis magnitudinem Euangeliſta perſtringens: *Cum dilexiſſet*, inquit, *ſuos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos*. Scilicet in tantum dilexit eos, ut temporalem vitam finiret propter eos. O vere beatam, atque imitandam dilectionem! cœpit hæc ante crucem, deduxit ad Crucem; permanſura eſt poſt crucem. Mittens enim diſcipulos Dominus ad prædicandum, ſicut agnos inter lupos, dicit; *Nolite timere; ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*. Qui ſic ergo

Eccle-

Eccleſiam elegit, qui electam dilexit uſque ad mortem, dubium non eſt ipſum nuptiis ejus dediſſe aſſenſum. Quod autem ſponſa hæc eligenti, ac diligenti ſponſo conſenſerit, ſapientibus teſtimoniis declaratur. *Ambulans Jeſus juxta Mare Galileæ vidit duos fratres, Simonem, qui dicitur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes retia in Mare; erant enim piſcatores.* Quare ait illis: *Venite poſt me, faciam vos piſcatores hominum. Qui ſtatim relictis retibus, & navi, ſecuti ſunt eum. Et progreſſus inde vidit alios duos fratres Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus cum Zebedæo Patre eorum reficientes retia ſua, & ait illis: Venite poſt me. Qui ſtatim relictis retibus, & patre ſecuti ſunt eum.* Vidit & Matthæum ſedentem in telonio, cui & dixit: *Sequere me; qui ſtatim ſecutus eſt eum.* Secuti ſunt & alii, quos etiam Scriptura dixiſſe commemorat: *Domine ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit nobis?* Vocantur iſti, & in modica ſupellectile totum mundum pro Chriſto derelinquunt; ad nuptias veniunt, de convivis in ſponſam tranſituri. Deponunt retia, fructuoſius homines piſcaturi, quam piſces. Faſtidiunt carnalis illecebras conjugii, felicius Cœlo generaturi, quam ſepulcro. Forenſibus negotiis abrenunciant, veras divitias fallacibus præponentes. Dubitari non poteſt has Eccleſiæ primitias aſſenſum præſtitiſſe vocanti, quæ ſtatim vocantem ſecutæ ſunt. Vocatur etiam quotidie Diaboli Concubina, cujus menſtrua dum lavantur fonte Chriſti, fit & ipſa ſponſa Chriſti. Quotidie filia Cananeæ fide matris a Dæmonio liberatur. Quotidie Regina Auſtri venit a finibus terræ audire ſapientiam Salomonis. Quotidie noſter Oſee meretricem ducit uxorem. Quanto autem amore ſponſa hujuſmodi ferveat, audiamus. Flagellantur in Actibus Apoſtolorum diſcipuli, cæſiſque denunciatur, ne loquantur in nomine Jeſu. Ipſi tamen gratias agunt, & gaudent, *quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Idem faciunt extra Synagogam, dum confitentur Chriſtum. Ponuntur in cuſtodia publica, dicentes, *quia non eſt in alio aliquo*

ſalus. Ipſi tamen gratias agunt, & gaudent, *quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. Ducitur extra civitatem lapidandus a Judæis Stephanus. Mittit Herodes, qui quoſdam de Eccleſia affligerent, tradit & Petrum carceri, volens poſt Paſcha producere eum populo. Ipſi tamen gratias agunt, & gaudent, *quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. Ter virgis cæditur pro Chriſto Paulus, ſemel lapidatur pro Chriſto, ter pro Chriſto naufragium facit. Ipſe tamen in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum clamat: *Quis nos ſeparabit a Caritate Chriſti?* Alii ludibria experiuntur, & verbera, nullam ſuſcipiunt redemptionem, a communibus excluduntur beneficiis, circumeunt in melotis, in pellibus caprinis, hominibus ſpectaculum, & quaſi peripſema fiunt. Ipſi tamen inter flammas, & furentium dentes beſtiarum cum Paulo dicunt: *Quis nos ſeparabit a Caritate Chriſti?* Denique propter Chriſtum mortificatur tota die Eccleſia, propter Chriſtum æſtimatur quaſi ovis occiſionis, id experta, quod ſuis Dominus dicit: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*. Ipſa tamen inter mille mortes cum Paulo exultat, cum Paulo clamat: *Quis nos ſeparabit a Caritate Chriſti?* Hujus amore calebat, quæ per Salomonem dicebat: *Filiæ Hieruſalem, nunciate dilecto, quia amore langueo*. Ecce ſacer, & plenus gratiæ conſenſus. Hoc inter Chriſtum, & Eccleſiam contractæ ſunt nuptiæ, quibus parit, non perit Virginitas. Generantur filii, quibus ſepulcrum non pollicetur hæreditaria mortalitas. Hoc itaque myſticus ille ſignat conſenſus, qui in contactu carnalium expetitur nuptiarum; unde & ipſe Sacramentum eſt, quia ſacræ rei ſignum eſt. Sed nec illud a Myſterio vacat, quod diximus unam uni conjungendam; una enim eſt Sponſa Chriſti, quoniam una eſt Eccleſia Jeſu Chriſti. De differentibus membris unum corpus eſt ſub capite Chriſto. De duobus gregibus unum ovile ſub paſtore Chriſto. Unde & per Salomonem Dominus ipſe ſic loquitur: *Una columba*

ba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, una genitrici ſuæ. De eodem Cyprianus adverſus Novatianum : *Eccleſia*, inquit, *una eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo Solis multi radii ſunt, lumen unum, & rami arboris multi ſunt, robur unum tenaci radice fundatum.* Idem: *Hoc unitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiæ inſeparabiliter cohærentis oſtenditur, quando in Euangelio tunica Domini non dividitur omnino, nec ſcinditur, ſed ſortientibus de veſte Chriſti, qui Chriſtum potius indueret, integra veſtis accipitur.* Ideo loquitur ad Moyſen Deus dicens : *In domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foras.* Caro Chriſti, & ſemen Domini ejici foras non poteſt, nec alia ulla credentibus præter unam Eccleſiam domus eſt. Deſcivit ab hac unitate Synagoga, quæ præventa ſponſalibus Chriſti degeneravit in adulteram Antichriſti. Jam tunc ea legitimum ſponſum adverſata eſt, quando in excelſis cum lapide, & cum ligno fornicata eſt. Miſit ad eam vir ſuus, qui dicerent : *Revertere, & non eſt reverſa.* Noviſſime venit & ipſe, venit, inquam, venit ad eam, & in menſtruis invenit eam. Obtulit annulum in manu ejus, murenulas aureas, & vermiculatas argento faciens auribus ejus. Denique gratiam ſuam revertenti promittens ait: *Revertere, & non eſt reverſa.* Proh dolor! ea tunc in ſuis ſordibus derelicta eſt, quia dereliquit fontem David patentem in ablutionem ignominiæ ſuæ. Tunc in lecto proſtitutionis dimiſſa eſt, quia non cognovit tempus viſitationis ſuæ. Tunc repudii libellum promeruit, quia verum abdicavit ſponſum, maledicens cæco nato, & dicens: *Ex diſcipulis illius es, nos autem Moyſi diſcipuli ſumus.* Tunc accepit, quia rejecit ſuave jugum ejus, & onus ejus leve, quando clamavit : *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Erit tamen, erit, inquam, tempus, in quo illa de contemptu in gratiam redeat, in dilectam de repudiata convertatur, de meretrice proficiat in Virginem. Tunc & ipſa fiet Sponſa Chriſti, non quidem altera, ſed una & ipſa, & columba Jeſu Chriſti. Sicut autem ſponſa Chriſti ſponſa una, ſic & Sponſus

ſus

ſus Eccleſiæ ſponſus unus. Unum habet ea ſponſum, unum diligit, unum cognoſcit, uni generat, uni lactat, unus ille Sanctus Sanctorum eſt. Idem Deus & homo eſt. Sanctum hunc ſanctorum multi præceſſerunt electi, multi etiam ſecuti ſunt. Sicut ſacra refert hiſtoria, præmiſſa eſt manus & brachium, cum Jacob ex Rebecca naſceretur. Deinde edito capite cetera membra in lucem noviſſime prodierunt. Tenebat autem manus præmiſſa plantam pedis Eſau præegreſſi, ſic ea caput anteceſſit naſciturum, ſed ipſa membrum capitis naſcituri: reliquæ partes natum caput ſecutæ ſunt, ſed partes ipſæ membra capitis jam nati. Sicut autem illa, & iſta membra corpus unum, ita caput corporis hujus caput unum. Sic & Chriſtum Prophetæ præceſſerunt, ſic Helias, & Heliſæus, ſic plerique veteris æmulatores teſtamenti. Qui ſcilicet, ne populus duræ cervicis, & incircumciſus corde poſt Deos alienos ambularet, aut ſequeretur viam latam, & ſpatioſam, quæ ducit ad mortem, Pentateucho Moyſi tamquam vinculis quinque digitorum pedes ejus ligaſſe, ac tenuiſſe noſcuntur. Ubi autem veritas de terra orta eſt, ſecuti ſunt Apoſtoli veritatem, ſecuti ſunt Martyres, ſecuti ſunt ii, quos undecima hora in vineam Patrisfamilias veniſſe Matthæus commemorat. Illi quidem ſub lege Chriſtum in tempore præceſſere, ſed fide facti ſunt membra nati Chriſti. Sicut autem illa, & iſta membra corpus unum, & Eccleſia una, ſic unius corporis caput unum Chriſtus, & unius Eccleſiæ ſponſus unus Chriſtus. Attende Moyſen; præco ſponſi non ſponſus fuit. Conſidera pluſquam Prophetam, indignum ſe eſſe confitetur, qui ſolvat corrigiam calceamentorum ſponſi. Paulum reſpice. Dictum eſt a Sponſo, quia oportet eum pati multa pro nomine ſponſi. Intuere Petrum, & Andream, percurre diſcipulos; domeſtici quidem ſponſi fuerunt, nullus autem ſponſus. Vides igitur ſponſam Chriſti unam eſſe Eccleſiam, & ſponſum Eccleſiæ unum eſſe Chriſtum. Utriuſque autem unitatis ſignum eſt earum unitas perſonarum, quæ in contactu carnalis conjugii ſingulæ requiruntur: un-

de & ipſa Sacramentum eſt, quia ſacræ rei ſignum eſt.

Nuptialis autem, & contemplatione prolis indulta commixtio cum ſit neceſſaria ſuſcitando ſemini, magnum etiam in ea eſt Sacramentum. Eſſe namque duas generationes veritas his declarat verbis: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt*, quare quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt. Porro carnalis generatio tota carnaliter agitur; ſpiritualis autem tota ſpiritualiter impletur. Aquam vides, vides Catechumenum, vides Miniſtrum; id autem quod in aqua fit, non vides, quod apud Catechumenum, quod per Miniſtrum. * Purum vides elementum, ſed ſigno crucis, atque virtute verborum vim ſecretam adquirit. Obligatus diabolo puer in fontem deſcendit; ſed ſuus, & Chriſti liber egreditur. Profert verba miniſter, ſed agnus baptizat, qui tollit peccata Mundi. Generatio hæc ex veteri materia novam progeniem creat, non mutans ſubſtantiam, ſed tollens culpam. Purgat enim ab antiquo perſonam contagio, inſerens eam corpori Chriſti, & cœleſtem de terrena efficiens. Generatur illa generatione prima primus Adam, ſecundus in iſta renaſcitur. Generatur ex illa Diabolus, quod per iſtam diſpendium redintegrat Angelorum. Unde & ea, quæ in carne generat, ſacramentum eſt, quia iſtius, quę generat in ſpiritu, ſacrum ſignum eſt.

Legimus autem Dominum ſuper his, quibus invicem de conjugio complacuit, ſic dicentem: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Hinc eſt, quod niſi in morte alterius dirimi non poteſt copula conjugalis. De quo ſic Apoſtolus ad Corinthios ſcribens ait: *Mulier alligata eſt, quanto tempore vir ejus vivit. Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt a lege viri. Cui vult nubat, tantum in Domino*. Utroque igitur ſuperſtite, ſuperſtes & inconvulſa Matrimonii lex exiſtit. Sic & ſpirituale conjugium Chriſti, & Eccleſiæ numquam dirimitur, numquam ſolvitur, quia numquam Chriſtus, numquam Sponſa Chriſti moritur. *Chriſtus* enim *reſurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur*. Et Apoſtolus: *Si terreſtris*, inquit, *Domus noſtra diſſolvitur, habemus Domum non manufactam, ſed æternam in*

Cœlis.

Cœlis. In Cœlis igitur uterque vivit, in Cœlis alter alteri congaudet. Vivit Sponſus in Cœlis, anima ſimul & corpore conſummatus. Vivit ſponſa in Cœlis, nequaquam felicior de glorificato ſpiritu, quia de glorificanda carne ſecurior. Congaudet Sponſus ſponſæ, quia abſterſit Deus omnem lacrymam ab oculis ejus, & introduxit eam in cubiculum ſuum. Congaudet ſponſa ſponſo, quoniam ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis, & Regnum ejus Regnum omnium ſeculorum. Hanc profecto congaudendi viciſſitudinem Caritas docuit, Caritas movit, Caritas, ea Caritas inextinguibilis, & tranſire neſciens cum tempore. De Caritate iſta ſic Iſaias ait: *Dixit Dominus, cujus ignis eſt in Sion, & caminus in Hieruſalem*. Noſtis, fratres Cariſſimi, Sion ſpeculam, Hieruſalem vero viſionem pacis interpretari. Quare quidem Sanctorum animæ, dum mortalitatis hujus circumferunt corpus, in Sion eſſe dicuntur, ſcilicet a longe ſpeculantes, qui ſperant, & præſtolantur mercedem. Erunt autem eædem in Hieruſalem, quando duplici ſtola ſuſcepta facie ad faciem Deum videbunt, mutantes imperfectum plenitudine, ſpem munere, imaginem veritate. In illa Sion erat Apoſtolus cum dicebat: *Videmus nunc per ſpeculam in ænigmate*. Hanc ſibi Hieruſalem promittebat, tum ſubmittebat: *Tunc autem facie ad faciem*. Item idem: *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*. Eſt igitur ignis in Sion, & caminus in Hieruſalem, quia Caritatis fervor modicus eſt in hac vita, plurimus in futura. In hac igniculus, in futura caminus. Hic portio, ibi plenitudo. *Veniet* enim *quod perfectum eſt, & evacuabitur quod ex parte eſt*. Porro ſicut numquam Chriſtus, numquam Eccleſia moritur, ita numquam tam beata inter eos extinguitur, aut extinguetur Caritas; numquam ſolvitur, aut ſolvetur eorum beatiſſimum, & ſpirituale conjugium. Hujus tamen ſacratæ perennitatem copulæ ea ſtabilitas carnalis conjugii deſignat, quam viventi viro, & uxori, non homo, ſed Deus, non fori lex aſſignavit, ſed poli. Unde & ſtabilitas hæc Sacramentum eſt, quia ſacræ rei ſignum eſt.

GEZONIS
ABBATIS DERTHONENSIS
LIBER
De Corpore & Sanguine CHRISTI.

IN GEZONIS
ABBATIS DERTHONENSIS
LIBRUM
De Corpore & Sanguine
CHRISTI.

CLariſs. vir Johannes Mabillonius, dum Italicas Bibliothecas perluſtraret, duos Codices offendit, ubi hoc ipſum Gezonis Opus deſcriptum fuerat. Unus exſtat in Florentino Cœnobio S. Crucis Fratrum minorum, ſed ſine titulo, ac Præfatione, alter in Padolironenſi Monaſterio S. Benedicti in agro Mantuano, ut ex ejus Muſeo Italic. pag. 164. & 207. patet. At Mabillonio viſum non eſt operæ pretium, evulgare integrum Gezonis Librum; quare Præfationem dumtaxat, atque Indicem Capitulorum ejuſdem Operis edidiſſe contentus pag. 89. parte altera laudati Muſei, nos monuit, ſe ad integram Gezonis editionem proceſſurum, ubi intelligeret, id Lectoribus fore gratum. Ego vero ex iis ſum, qui a Clariſſimo viro hujuſmodi beneficium exoptaſſem; illud enim eſt argumentum a Gezone pertractatum, ea quæſtio a temporum noſtrorum Novatoribus tam acriter agitata, ut antiquitatis in hanc rem vel quiſquiliæ dignæ ſint, quæ in publicam lucem efferantur. Et profecto Gezonis Liber, etſi nihil aliud præſtare poſſet, quam confirmare Eccleſiaſticam Seculi Decimi Traditionem de veritate Corporis, & Sanguinis Chriſti in auguſto Sacramento a Calvinianis negatam, libenti animo a Catholicis amplectendus foret.

Quamobrem conſtitutum mihi eſt, illud ipſum Opus publi-

publici juris facere, poſtquam ejus exemplar, Mabillonio ignotum, occurrit mihi olim in Ambroſianæ Bibliothecæ MS. Codice Lit. Q. num. 98. Quod unum mihi præſtandum cenſui, capita non pauca ejuſdem Operis prætermiſi, utpote jam edita inter SS. Patrum Opera, qualia ſunt, quæ Gezo e Libris Cypriani, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii, aliorumque decerpta in ſuum Librum intulit. Multo magis omittendum cenſui Libellum *Paſchaſii Ratberti ad Placidum diſcipulum*, quem pœne integrum Gezo deſcripſit, conſtitutis ex illo tribus & viginti Capitulis ſui Operis. Quis fuerit, quove tempore vixerit Gezo, ex ejus Præfatione diſcimus, ubi hæc leguntur; *Quantum autem huic decreto volontatis meæ Reverendæ memoriæ Domnus Giſeprandus, illo tunc tempore noſter Epiſcopus, & vi, & auctoritate reſtiterit, non habetis incognitum &c.* At Giſeprandus, ſive Giſelprandus Derthonenſis Epiſcopus, ut Ughellus Tom. IV. pag. 855. Ital. Sacræ oſtendit, florebat circiter An. Ch. 950. quum Auguſtano Concilio interfuerit An. 952. & nominetur inter teſtes in Othonis M. Imperatoris Diplomate Aſtenſi Eccleſiæ conceſſo An. 962. Eidem quoque Ughello vixiſſe Giſeprandus videtur An. 981. ex fide Chronici Vulturnenſis. Quæ omnia faciunt, ut affirmare abſque errandi periculo poſſimus, Gezonem quoque noſtrum floruiſſe ante Annum Chriſti Milleſimum.

Nobile vero Monaſterium ſuis ſumtibus Giſeprandus Derthonæ ædificarat ſub titulo S. Martiani Martyris, ubi ſacrum quoque illius corpus reconditum fuit. Ughellus refert illuſtre Diploma Othonis IV. Imperatoris Anno 1210. conceſſum, in quo multa de eodem Monaſterio, ejuſque inſtitutore *Giſelprando* habentur. Primus autem illius Cœnobii Abbas, vivente adhuc laudato Epiſcopo, fuit Gezo noſter, uti is in Præfatione teſtatur, quo munere functus eſt poſt ſublatum etiam e vivis Giſelprandum. Quare quum ejus Liber inſcribatur *Dilectiſſimis Fratribus, quibus ex divina diſpenſatione &c. Paternam impendo ſolicitudinem*, ad ipſos ejuſdem Monaſterii Monachos ſcripſiſſe dicendus eſt Gezo.

Poſt

Poſt Præfationem leguntur verſus *Domni Odonis*, hoc eſt, Abbatis Cluniacenſis, qui ſanctitate vitæ non minus quam editis Libris clarus vivere deſiit An. Ch. 942. ut ex ejus vita ac elogiis conſtat. Tom. VII. Sec. V. pag. 124. Act. Sanctor. Ord. S. Benedicti, & ex Tom. XVII. Bibliothecæ Patrum, ubi pag. 313. editi reperiuntur hi ipſi verſus. At qui ſubſequuntur, Paſchaſium Ratbertum celebrem Virum auctorem habent; ſed ex iis quindecim dumtaxat editi leguntur Tom. XIV. pag. 720. ejuſdem Bibliothecæ Patrum, hoc eſt, uſque ad *Diſponit cauſam &c.* Quare ſubſequentes in Codice noſtro opinor nondum publicæ luci redditos, in quibus *Tranſubſtantiationem*, uti & in reliquis ſuis ſcriptis, Paſchaſius aperte ſtatuit, Gezone procul dubio ſententiam eamdem probante.

GEZONIS
ABBATIS DERTHONENSIS
De Corpore, & Sanguine CHRISTI.

Incipit Prologus, vel Epiſtola ſequentis Operis.

Dilectiſſimis Fratribus, quibus ex divina diſpenſatione, quantum propria permittit infirmitas, paternam impendo ſolicitudinem, Gezo Dei, & Domini N. J. C. Servus.

Decreveram quidem olim, Fratres Kariſſimi, graviſſimorum mihi delictorum conſcius patriam parenteſque relinquere, & in aliquod me conferre ſecretum, ubi a ſecularium negotiorum ſtrepitu omnimodo ſequeſtratus, in omnipotentis Dei ſervitio ævum tranſigerem, peccata mea jugiter deplorans, & continua pœnitentiæ ſatisfactione clementiſſimum Dominum, & judicem univerſorum ad miſerendum invitans. Quantum autem huic decreto voluntatis meæ Reverendæ memoriæ Domnus Giſeprandus, illo tunc tempore noſter Epiſcopus, & vi, & auctoritate reſtiterit, non habetis incognitum, aſſerens non eſſe canonicum, ut relicta Eccleſia, in qua nutritus, & ordinatus fueram, meo arbitrio alio demigrarem, ſe vero numquam mihi ad iſta præbiturum eſſe conſenſum. Præſertim quum jam ipſe decreverit in propria

Eccle-

Eccleſia , ubi Beatiſſimi Martyris Martiani corpus humatum quieſcit , Monaſterium conſtruere, in quo ſi omnimodo ſtatueram mutare propoſitum, & ſolitudo mihi non deeſſet , & ad ſerviendum Deo juxta libitum cuncta ſuppeterent. Quam ego pollicitationem pro mea tunc imperitia ægre ſuſcepi, quia æſtuanti deſiderio nimis prolixa tanti temporis videbatur expectatio. Prævaluit tamen ejus auctoritas , quoniam tanti viri juſſionibus non parere , & conſiliis non adquieſcere , non modo temerarium, verum etiam inſaniæ ſimile diceretur. Acceleravit igitur quantotius implere promiſſum , & poſtpoſitis curis omnibus ſeculi, quibus nimium impediebatur , ad Monaſterii fabricam totum ſe tranſtulit, indulta mihi bono animo licentia Monachum profitendi . Nec diu moratus , ubi proſperari in manibus ſuis cœptum opus Domino cooperante perſpexit , omni mihi inſtantia cœpit imminere, ut totius loci curam ſuſciperem , & in lucrandis Deo animabus ſolicitum me vigilemque præberem. Repugnanti itaque mihi, & pondus regiminis non ſegniter refugienti , eo uſque inſtitit, & irrevocabilis manſit , ut nulla a me excuſatione ſuſcepta ſub divini ſe nominis obteſtatione conſtringeret , quod niſi eo die voluntatis ejus arbitrio me committerem, ut ſubirem ſarcinam, quam jubebat, ſine aliqua dilatione eliminatis hinc his ipſis, qui pauci admodum habebantur , Monachis, Canonicis, quos jam ad hoc præparaverat, locum traderet incolendum. Suſcepi itaque infirmis humeris grave pondus regiminis , & nimia neceſſitate compulſus illius profeſſionis Magiſter factus ſum, cujus non fueram ante diſcipulus. Diſpenſationis igitur mihi in vos creditæ ex eo tunc tempore curis mordaciſſimis occupatus , dum utilitati veſtræ plurimum intendo, & quæ potiſſimum vobis expediunt, mecum ipſe pertracto, occurrit animo de Dominici Corporis, & Sanguinis Sacramento, mellitum vobis , atque florulentum , ſacriſque promixtionibus ſobrie temperatum poculum pro mei ingenii paupertate efficere, quod dilectioni veſtræ & voluptati ſit, & ſa-

 luti.

luti. Sanctorum ſiquidem Patrum ſcripta lectione percurrens, & intenta quantum potui meditatione retractans, quicquid in eiſdem abſolutius, atque enodatius ad intelligendum de tantæ, tamque ſubtiliſſimæ rei myſterio invenire valui, in unius libelli corpuſculum compendioſa brevitate redegi, qui vobis, ſi Spiritus Sancti favor adſpiret, nec ex intellectus difficultate diſpliceat, & ex ſui parvitate complaceat. Imitatus in hoc Opuſculo Paſchaſium Ratbertum, qui de hac eadem re Placidio cuidam ſuo diſcipulo libellum luculento ſermone compoſuit, eoſdem ipſe quos & ego ſecutus auctores, Beatiſſimos ſcilicet Domini Sacerdotes, Cyprianum, Hilarium, Ambroſium, Auguſtinum, Gregorium, Johannem, Yſidorum, Iſitium, Hieronymum, & Bedam. De quorum omnium ſcriptis quoſdam ſententiarum decerpſimus flores, cauſſæ valde neceſſarios, ideſt Dominici Corporis, & Sanguinis ſuaviſſimum odorem exhalantes. Ipſius vero Paſchaſii libellum totum pæne, ſicut invenimus, ita in noſtrum tranſtulimus, ſenſum ejus potius in aliquibus locis, quam verba ſequentes, & ſuperflua quæque vitantes. Ut autem tanti myſterii gratia liquidius & purius veſtris mentibus favore Spiritus Sancti commendetur, miraculorum copiam congeſſi, quæ ſanctis, ac diligentibus ſe olim Dominus revelare dignatus eſt ad laudem, & gloriam ſuam, ut oſtenderet, quid eis præparaverit in Cœlis, quibus tantum munus reliquit in terris. Simul etiam illud attendens, ut ſi quibus forte vel propter tarditatem ſenſus, vel propter literarum imperitiam redemtionis hujus Sacramentum ex Patrum ſcriptis non poterit eſſe perſpicuum, ſignorum fiat revelatione manifeſtum. Qua vero reverentia, quove timore ſacro altari debeatis adſiſtere, participationem tantæ gratiæ præſtolantes, ne forte, quod abſit, communicantibus vertatur in perniciem, quod ſumere cupitis ad ſalutem: libello huic quantum potui ſtudioſe adnexui, ut in omnibus Deo placentes, & ego ex veſtro provectu, & ex meo vos labore, atque ſolicitudine, miſericordiam invenire valeamus in die Domini.

Acci-

Accipite igitur, Fratres Kariſſimi, eo quo defertur affectu qualecumque parvitatis meæ munuſculum, nec ex mea vobis humilitate vileſcat, quod ex ſui ſenſus continentia glorioſum eſt, atque præclarum; non enim ſine periculo poterit a legente contemni, quia & ſi minus habet aliquid in eloquio, nihil tamen præſtantius eſſe poteſt in materia, qua digne credentibus vita præſtatur incorruptibilis, & æterna. Nec parvi pendatis obſecro gratiam Domini, ſed de ejus lectione intelligite, quanta ſit virtus vitam æternam in terris accipere, Angeliciſque dapibus quotidie ſaginari. Quoniam etſi Deo plena ſunt omnia, nos quoque coram oculis Divinæ Majeſtatis ſemper verſamur: plurimum tamen coram ſanctis Altaribus, & Dei vultum, & Angelorum præſentiam obſervare oportet, atque vereri, ubi tanta tamque excellentia nobis verbi Dei virtute, atque miſeratione præſtantur, quanta nullus hominum eloqui poteſt. Ipſe autem Deus, & Dominus noſter Verbum, Virtus, & Sapientia Patris hanc eamdem gratiam, quam præſtitit, conſervet ſimul, & tueatur in nobis, & oculos, quos vobis aperire jam cœpit, plenius inluminare dignetur. Per quem, & cum quo æterno Patri eſt laus omnis, & gloria, honor, atque magnificentia, & poteſtas cum Sancto Spiritu a ſeculis, & nunc, & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Explicit Prologus.

Incipiunt Capitula

SEQUENTIS OPERIS.

I. QUod humana infirmitas non facile debeat divina diſcutere, ex libro Beati Hilarii Epiſcopi, & Confeſſoris de Trinitate.
II. De Dominici Corporis origine.
III. De Nativitate Dei Filii ex Patre.
IV. Quod formis ſæpe comparabilibus erudiamur ad intelligenda divina.
V. De Dei Patris ſubſtantia.
VI. De Nativitate Filii Dei ex Patre.
VII. De Filii Dei generatione ex Matre.
VIII. Dominum N. J. C. per adſumptam carnem naturaliter manere in nobis, & nos per perceptionem corporis, & ſanguinis ejus manere in eo.
IX. Eccleſiæ Fides Catholica.
X. Nec confidendum in humana prudentia.
XI. De Dei verbo.
XII. Cypriani adſertio vera de Deo.
XIII. Auguſtini de Dei verbo.
XIV. Chriſti communionem verum Corpus ejus, & Sanguinem non eſſe dubitandum.
XV. Quod hoc Myſterium Chriſti nullus debeat ignorare.
XVI. Quid ſint Sacramenta, vel quare dicantur.
XVII. Utrum ſub figura, an veritate, hoc myſticum Calicis fiat Sacramentum.
XVIII. Quid interſit inter immolationes veteres, figuraſque legalium, & inter Sacramentum Dominici Corporis, & Sanguinis.
XIX. Quid ſit digne ad vitam percipere Corpus, & Sanguinem Chriſti.

XX. Qui-

XX. Quibus modis dicitur Corpus Chriſti.
XXI. Quod in hac Communione aut judicium percipitur, aut præmium.
XXII. Quid neceſſe fuerit, quod ſemel geſtum eſt, quotidie Chriſtum immolari, vel quid boni tribuant hæc myſteria digne accipientibus.
XXIII. Cur in pane, & vino hoc Myſterium celebretur.
XXIV. Cur in Calice aqua miſceatur.
XXV. Utrum plus aliquid habeat hoc Myſterium, quotiens a bono, an minus quippiam quam Veritas repromittit, ſi a malo conficiatur Miniſtro.
XXVI. Ut quid hæc colorem, aut ſaporem in Sacramento minimè permutant.
XXVII. Quod hæc ſæpe viſibili ſpecie apparuerint.
XXVIII. Quibus verbis hoc Myſterium conficiatur.
XXIX. Utrum hoc Corpus poſt Conſecrationem Panis jure queat vocari.
XXX. Utrum plus ex eo habeat, qui majus, an qui minus acceperit.
31. Cur hoc Myſterium ante Paſſionem diſcipulis traditur.
32. Ut quid in Sanguine Chriſti fragmentum Corporis admiſcetur.
33. Quare generaliter nunc a jejunis Myſterium ſacræ Communionis celebratur, cum Dominus poſt Cœnam Apoſtolis hoc tradidit.
34. Quid ſit, quod Dominus ait: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in regno Patris mei.*
XXXV. Si ulla differentia ſit in hoc Myſterio juſto, & pœnitenti reconciliato.
36. Quid digne vel indigne ſumentibus Dominici Corporis, & Sanguinis præſtet Euchariſtia.

37. Quid Beatus Martyr Cyprianus adfirmat ſe præſente contigiſſe his, qui polluti de Idolotytis Dominici Corporis, & Sanguinis Sacramenta temere ſuſceperunt.

38. Quare peccatis criminalibus inretiti a Sacramentis Dominicis arceantur.

39. Judæos ab omni conventu Fidelium arcendos, præcipue ubi Chriſtianorum celebratur oblatio.

XL. Qualiter accedendum ſit ad Dominici Corporis, & Sanguinis mirabile Sacramentum.

XLI. De Revelationibus, quibus Dominus de veritate Corporis, & Sanguinis ſui hæſitantium corda firmavit.

42. Miraculum de quodam Judæo.

43. Item de quodam ſene Heremita, cujus dubitationem Dominus eadem veritatis revelatione firmavit.

44. Item Miraculum, quod Romæ actum eſt:

45. Item aliud.

46. De Sacramento Calicis quod revelatum ſit B. Cypriano.

47. Qualiter in D. N. J. C. Paſſione myſticum ſit Paſcha abolitum, & in ejus immolatione rei veritas ſit oſtenſa.

48. Utrum Paſcha iſtud legitimum poſt anni ſpatium, vel poſt longa intervalla dierum, an quotidie a Fidelibus ſit edendum.

XLIX. Quantum ſacræ oblationis immolatio mortuorum ſpiritibus proſit.

L. 50. De quodam Monacho, qui per ſalutarem hoſtiam ſupplicium evaſit.

LI. 51. De quodam, cujus vincula in captivitate, oblato pro eo ſacrificio, ſolvebantur.

52. De quodam nauta, qui poſt longa Maris diſcrimina Dominici virtute Sacramenti mortem evaſit.

53. Quibus immolatio Dominici corporis mortuis proſit.
54. Qua diſciplina, qua modeſtia orandum ſit, cum Sacerdos ſacrificat, & unuſquiſque in ſuo ordine horam ſacræ communionis expectat.
55. Quid cavendum in oratione ſit.
56. Cyprianus ad Clerum deprecando Deum.
57. Quod etiam in exteriori cultu ſacroſanctum Domini Altare ornandum ſit.
58. Quod nihil ſuper Altare ponendum ſit, præter ſacroſancta oblatio.
59. Quod pro homicidis, & latronibus non ſit ſacrificandum.
LX. De his, qui Eleemoſynam tribuunt, & peccata non dimittunt.
61. Stupendum nimis de quodam Presbytero.
62. Quod qualiſcumque Sacerdotis excommunicatio valde formidanda ſit, nec adtendendum, cujus meriti ſit, ſed cujus auctoritate hoc facit, etiamſi injuſta videtur, quod abſit, excommunicatio.
63. Laudabile nimis exemplum glorioſi Theodoſii Imperatoris.
64. Item aliud exemplum nimis pavendum.
65. Quanta reverentia Epiſcopali Cathedræ ſit habenda, & de Domno Petro Alexandrino Patriarcha.
66. Quam grave peccatum ſit, ſacra loca temerare, vel aliqua ſorde polluere.
67. De quodam Latrone in Cœmeterio B. Johannis ſepulto.
LXVIII. Incipit Epiſtola S. Auguſtini ad Auxilium Epiſcopum pro cauſa injuſtæ excommunicationis.
LXIX. Item capitula ad eamdem rem pertinentia.
LXX. De Sacramento Baptiſmatis B. Ambroſius.

Expliciunt Capitula.

VER-

VERSUS

DOMNI ODONIS

De Sacramento Corporis, & Sanguinis

DOMINI.

CONvivas epuli mundos Deus eſſe ſuperni
Ut doceat, ſervis Dominus veſtigia lavit,
Muneribus variis, & pluribus inde rejectis,
Frumentum, & Vinum cunctis hoc prætulit unum.
Hoc ſacrat, hoc nimium, quod ſit breve, quod nimis altum,
Tam modicum ſumptu, tam perfacile, atque paratum,
Tam ſublime tamen quod totam habeat Deitatem.
Sufficit hoc ſolum mundi purgare piaclum.
Hinc placet hoc munus, quod fit de pluribus unum,
Corpus huic capiti, caput inde cohæret & illi;
Hoc genus, hoc unum placet, hoc durabit in ævum.
Hoc facile eſt, nitidum, ſimplex, Deitateque plenum.

Incipiunt Verſus

PASCHASII RATBERTI

AD PLACIDIUM DISCIPULUM.

REgis adire ſacræ qui vis ſollemnia menſæ,
Almificum Chriſti Corpus contingere votis,
Delicias veſci, roſeum potare cruorem,
Bacchica noſtra velim puero quæ miſimus olim,
Et niveos caſto condas in pectore flores.
Ruſtica forte animo ſordent, ſed mella manabunt.

Tan-

Tantum quæ calamus Chriſti de fonte miniſtrat,
Unde puer poſſit ſaltem reſtinguere ſitim,
Si digne libeat ſcitari juſſa Tonantis.
Libertas etenim fidei nunquam abnegat ulli
Eximios vitæ fructus de ceſpite carnis.
Vita, ſalus, pax, lux, ſapientia denique cunctis
Inde manat cœli ſemper ſub cardine quadro.
Tu quoque, muneribus ſi dignus vixeris iſtis,
Accipies palmam Regni virtute beatus.
Diſponit cauſam noſtris Deus uſibus aptam,
Ut panis Corpus, vinum Sanguiſque ſit ejus,
Sed queat * ut ſummiſit odor, color, ac ſapor iſdem,
Fit fidei merces, cujus eſt maxima virtus.
Lex ea naturæ eſt verti in quod juſſerit auctor.
Imperium ſequitur de ſe, mox tranſit in illud,
Quod jubet omnipotens, res in miracula vertens.
Protinus ergo vicem mutat natura ſuetam.
Mox Caro fit panis, vinum mox denique Sanguis,
Datque Sacerdotes, ſibi quos incorporat omnes,
Hæc ut agant per eum Myſteria, & ipſe per illos.
An homo naturam per ſe mutaverit ullam;
An homo triticeam præſtaverit eſſe Dealem?
Vox ſed id explet opus, quæ condidit omnia prorſus.
Nam ſemel ut terram juſſit, quod germinet herbam,
Quod facit illa, dehinc per cuncta volumina ſecli
Juſſit & hoc fieri, ſic ſe Subſtantia vertit,
Hoc opus & cœnæ per eum patratur ubique.
Plurima viſibili ſemper virtute peregit,
Nam mare cum ſcindit, coluber fit virga viciſſim,
Petraque fudit aquas, nimbus quoque præbuit eſcas,
Fertque columna ignem, pellitve ſubinde vaporem.
Iſta patent coram, virtus manifeſta videtur;
Illa palam fecit, hoc clam gerit attamen ipſe.
Hoc opus abſconſum quod ſigna patentia prodant,
Nam manifeſta Deus fecit, credatur ut iſtud.
Dum videt illa oculus, cernat fidei id quoque viſus,
Quæ neque veracem dubitat, nec omnipotentem.
Frumentum & vinum generantia Virginitatem

Hæc

Hæc generant turmas de Virginitate decoras.
Virginis has ſpecies legit quam maxima proles,
Hinc ut caſtificet numero quos prolis adoptat.
Horrea frumentum replet hoc, cellaria vinum,
Cor hominis facit hoc, illud quoque firmum,
Hæc duo Virgineas generant ſic ergo choreas.
Participes Calicis mundos perſtare neceſſe eſt.
Abluit inde pedes, cœnæ cum tempus adeſſet,
Diſcipulis mundam ſuadens hos ducere vitam,
Participes divini, quo mundentur, Sacramenti,
Ne ut Judæ ſimiles capiant mage damna ſalutis,
Immundi mundam quoniam audent ſumere libam.
Nam docet in Calicis quoſdam natale futuros,
Qui ſibi judicium ſacra per Myſteria ſumunt.
Hinc finit inter eos qui convivantur amicos,
Ut Judas epulum guſtet canis ille poloſum.
Officit infirmo, prodeſt quod denique ſano.
Qui pluit injuſtis, ſolemque miniſtrat iniquis,
Eſſeque vult ſalvos, & verum agnoſcere cunctos.
Hoc commune bonum cunctis largitur ad uſum;
Quiſque tamen videat, qualis, vel qualia ſumat,
Præmia cui vitæ, cui ſint augmenta gehennæ.
Cetera ſanciret cum lex, quæ hæc cauſa repoſcit,
Hoc poſuit primum, juſſitque vorantibus Agnum,
Ut quicumque ſuos ſtudeat præcingere lumbos,
Quod magis expediat, hoc primo locans manifeſtat.
Convivas epuli caſtos docet eſſe ſuperni,
Qui litat in veteri, libat velitamina ritu,
Lotus & a licito ſe conjugis abſtinet uſu,
Hinc licito ad tempus, quia fert tribus una miniſtros.
Umbra tamen veteris ſunt illa, typuſque holocauſti.
Quam magis eſſe decet nitidum, qui talibus hæret?
Mors necat hunc, umbræ cultum qui ſpreverit; inde
Collige quid maneat, rem ipſam qui forte profanat;
Cum gravet omnes ſcelus multum pollutio pejus.
Virgineæ proli nihil eſt adverſius illa,
Majeſtaſque rei, ſi non diſcernitur, obſtat;
Judicium ſumit, qui non dijudicat, inquit.

I. *Quod*

Quod humana infirmitas non facile debeat divina diſcutere. I.

EX LIBRO

BEATI HILARII EPISCOPI, ET CONFESSORIS

DE TRINITATE.

VEtat Beatus Apoſtolus Timotheo diſcipulo genealogiæ eloquia tractari, & fabulam interminatæ quæſtionis attingi. Ædificationem vero Dei in Fide eſſe, ut humanæ verecundiæ modum fideli omnipotentiæ Dei Religione concludat. Neque ſe infirmitas noſtra ad perſpicienda ea, quæ perſpiciendi naturam non habent extendat. Quod ſi contuentibus ſolis claritatem virtus intenti luminis obſtupeſcit, ut ſi quando cauſam radiantis lucis ſolertius acies curioſæ contemplationis inquirat, uſque ad emortuum videndi ſenſum oculorum natura revocetur, accidatque nitendo magis videre, ne videas. Quid nobis in Dei rebus, & Sole juſtitiæ expectandum eſt? Nonne incumbet volentibus ſuperſapere ſtultitiam? Nonne ipſum illud * acræ intelligentiæ occupabit? Non enim natura inferior cauſam naturæ potioris intelliget, nec ſubjacet humanæ conceptioni ratio cœleſtis. Nam intra conditionem infirmitatis erit, quicquid infirmi conſcientiæ ſubdetur. Excedit itaque humanam mentem Dei poteſtas, ad quam ſi infirmitas protendet, magis infirma reddetur, dum hoc ipſum quod obtinet, amittit potiore ad obtundendum eam rerum Cœleſtium natura, quæ omnem ejus conſectantis ſe pervicaciam ipſa complexu ejus major infirmat. Ut igitur Sol ita videndus eſt, ut poteſt videri, tantuſque excipiendus eſt lumine, quantus admittitur, ne ſi plus velimus inſpectare, minus quaque quam poſſumus conſequamur; ita & ratio cœleſtis

in

in quantum ſe permittit intelligi in tantum expectanda eſt, in quantum apprehendendam ſe dedit. Ne ſi contenti indulgentiæ moderatione non ſimus, amittamus indulta. Eſt ergo in Deo quod percipi poteſt, eſt plane, ſi modo quod poteſt velis. Sicut enim eſt in Sole quod videas, ſi hoc velis videre quod poſſis, amittas autem quod poteſt videri, dum quod non poteſt niteris; ita & in rebus Dei habes quod intelligas, ſi intelligere quod potes velis. Cæterum ſi ultra quam potes ſperes, id quoque quod potuiſti, poſſe non poteris. Illos nunc arcanorum cęleſtium ſcrutares conſulo, ut ſecundum naturam ſuam nati ex Virgine Chriſti Sacramentum loquantur. Unde dicent Virgini conceptum? Unde Virgini partum? Qua hanc eſſe originum cauſſam diſputabunt? & quid intra ſeceſſus maternorum ſinuum coaluiſſe corpus? Unde & homo eſt? unde tam verus. Poſt hæc quid ſit deſcendiſſe de Cœlis Filium hominum in Cœlo manentem? non enim ejuſdem eſt ſecundum corporales cauſas deſcendere, & manere; quorum alterum deſcenſionis tranſmutatio eſt, alterum manendi imperturbatio eſt. Vagit infans, ſed in Cœlo eſt. Puer creſcit, ſed plenitudinis Deus permanet. Jam vero cum aſcendit ubi antea fuit, & deſcendit qui manet, quo intelligentiæ humanæ ſenſu continebitur? Dominus enim ait: Quid ſi videritis Filium hominis aſcendentem ubi antea fuit? Aſcendit filius ubi antea fuit, & quis hoc ſenſus concipiet? Deſcendit de Cœlo Filius hominis, qui in cœlis eſt, & quæ hoc ratio præſtabit? Verbum caro factum eſt, quæ hoc verba loquentur? Fit caro Verbum, ideſt homo Deus, & qui homo eſt, in Cœlis eſt, & qui Deus, de cœlis eſt. Aſcendit deſcendens, ſed deſcendit non deſcendens. Eſt qui erat, & quod eſt, non erat.

De Dominici Corporis Origine. II.

COrpus ſibi Dominus ita aſſumpſit, ut id ex Virgine conceptum formam cum ſervi eſſe effecerit. Virgo enim nonniſi ex Spiritu Sancto genuit quod genuit. Et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex ſe daret, quantum ex ſe feminæ edendorum corporum ſuſceptis originibus impenderent, non tamen Jeſus Chriſtus per humanæ Conceptionis coaluit naturam. Sed omnis cauſa naſcendi invecta per Spiritum tenuit in hominis nativitate quod matris eſt, cum tamen haberet in originis nativitate, quod Dei eſt. Hinc igitur maximum illud, ac pulcherrimum ſuſcepti hominis Sacramentum Dominus ipſe oſtendit dicens: *Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, filius hominis, qui eſt in Cœlo.* Quod de cœlo deſcendit, conceptæ de Spiritu originis cauſa eſt; non enim Corpori Maria originem dedit, licet ad incrementa partumque corporis omne, quod ſui ſexus naturale eſt, contulerit. Quod vero hominis filius eſt, ſuſceptæ in Virgine carnis eſt partus. Quod autem in Cœlis eſt, naturæ ſemper manentis poteſtas eſt, quæ initiata, conditaque per ſe carne non ex finitatis ſuæ virtute intra regionem ſe definiti corporis coartavit. Spiritus virtute ac Verbi Dei poteſtate in forma ſervi manens ab omni intra, extraque cœli, mundique circulo cœli, ac mundi Dominus non abſuit. Per hoc ergo & de cœlo deſcendit, & filius hominis eſt, & in cœlis eſt. Quia Verbum caro factum eſt, non amiſerat manere quod Verbum eſt, nam dum Verbum eſt, & in Cœlis eſt, dum caro eſt, & hominis Filius. Dum Verbum eſt caro factum, & de cœlo eſt, & hominis eſt filius, & in Cęlo eſt. Quod & Verbi virtus non corporalibus modis manens non deerat, unde deſcenderat, & caro non aliunde originem ſumpſerat, quam ex Verbo, & Verbum caro factum eſt, cum caro eſſet, non tamen non erat & Verbum. Abſolute autem B. Apoſtolus etiam hujus

ine-

inenarrandæ corporeæ nativitatis Sacramentum locutus eſt dicens: Primus homo de terræ limo, ſecundus homo de cœlo. Hominem enim dicens, nativitatem ex Virgine docuit, quæ officio uſa materno ſexus ſui naturam in conceptu, & partu hominis exſecuta eſt. Et cum ait ſecundum hominem de cœlo, originem ejus ex ſupervenientis in Virginem Spiritus Sancti aditu teſtatus eſt. Atque ita cum & homo eſt, & in cœlo eſt, hominis hujus & partus a Virgine eſt, & conceptu ex Spiritu eſt. Novit Eccleſia unum Deum, ex quo omnia, novit & unum Dominum N.J.C. per quem omnia, unum ex quo, & unum per quem. Ab uno univerſorum originem, per unum cunctorum creationem. In uno ex quo, auctoritatem innaſcibilitatis intelligit. In uno per quem, poteſtatem nihil differentem ab Auctore veneratur. Cum ex quo, & per quem ad id creatur in his, quæ creata ſunt communionis auctoritas ſit. Novit in Spiritu Deum Spiritum impaſſibilem, & indeſecabilem. Didicit enim a Domino ſpiritui carnem, & oſſa non eſſe, ne forte cadere in eum corporalium paſſionum detrimenta credantur. Novit unum innaſcibilem Deum, novit & unigenitum Dei filium. Confitetur Patrem æternum, & ab origine liberum, confitetur & originem filii ab æterno, non per ſe ipſum, ſed ab eo, qui a nemine ſemper eſt, natum ab æterno, nativitatem videlicet ex Paterna æternitate ſumentem. Novit de Deo non eſſe humanis judiciis ſentiendum; neque enim nobis ea natura eſt, ut ſe in cœleſtem cognitionem ſuis viribus efferat. A Deo diſcendum eſt, quod de Deo intelligendum ſit, quia non niſi ſe auctore cognoſcitur. Adſit licet ſecularis Doctrinæ elaborata inſtitutio, adſit vitæ innocentia, hæc quidem proficient ad conſcientiæ gratulationem, non tamen cognitionem Dei conſequentur. Moyſes cum in terra Madian ovium paſtor eſſet, ignem in rubo ſine concrematione rubi contuens, Deum audivit, & nomen interrogavit, & naturam cognovit. Neque hæc de Deo, niſi per Deum cognita eſſe potuiſſent. Loquendum ergo non aliter de Deo eſt, quam ut ipſe
ad

ad intelligentiam noſtram de ſe locutus eſt. Deo cui omnia in mortuis vivunt, hoc ſolum perit, quod ſibi deperit. Nam judicaturus ipſe de omnibus, & pro majeſtatis ſuæ miſericordia pene meritum ignoranti moderaturus errori, negantes ſe jam non judicabit utique, ſed negabit. Fidei veræ profeſſio ita Deum ex Deo natum, ut lumen ex lumine, quod ſine detrimento ſuo naturam ſuam præſtat ex ſeſe, ut det quod habet, & quod dederit habeat. Naſcatur quoque quod ſit, cum non aliud, quam quod eſt, natum ſit. Et nativitas acceperit, quod erat, nec ademerit quod accepit, ſitque utrumque unum dum ex eo, quod eſt, naſcitur, & quod naſcitur neque aliunde, neque aliud eſt; eſt enim lumen de lumine.

De Nativitate Filii Dei ex Patre. III.

NOn per conſuetudinem humani partus Deus ex Deo naſcitur, neque per elementa originis noſtræ, ut homo ex homine propellitur. Integra illi, & perfecta, & incontaminata nativitas eſt, cujus a Deo exitio potius, quam partus eſt. Eſt enim unus ex uno; non eſt portio, non eſt defectio, non eſt diminutio, non derivatio, non protenſio, non paſſio, ſed viventis naturæ ex vivente nativitas eſt, & Deus ex Deo exiens, non creatura in Dei nomine electa. Non, ut eſſet, cępit ex nihilo, ſed exiit a manente. Et exiſſe ſignificationem habet nativitatis, non habet inchoationis. Non enim idem eſt cępiſſe ſubſtantiam, & Deum exiſſe de Deo. Et Nativitatis hujus ſcientia licet non ſubjecta verbis ſit, cum inennarrabilis ſit, habet tamen in doctrina filii Fidei ſecuritatem a Deo ſe manifeſtantis exiſſe. Habet hoc Sacramenti ſola nativitas, ut complectatur in ſe & nomen, & naturam, & poteſtatem, & profeſſionem, quod univerſa nativitas non poteſt non in ea eſſe natura unde naſcatur. Non affert ex terreni generis ſubſtantiam, quod ex uno non ſubſi-

ſtit alieno. Quod autem alienum a ſe non eſt, id unum eſt genere naturæ, & quicquid unum eſt per nativitatem, non habet ſolitudinem.

IV. *Quod formis ſæpe comparabilibus erudiamur ad intelligenda divina.*

HUmanæ itaque nativitatis conſcientiam conſulo, utrum non intra Patris originem maneat origo naſcentium, nam tam etſi elementa illa inanima, ac turpia, quibus naſcendi cauſæ inchoantur, in hominem alterum effluant, per naturæ tamen virtutem intra ſe invicem maneant, dum & per datam a ſe naturæ ejuſdem originem naſcentem ſequitur ille, qui gignit, & per acceptam nativitatem, cujus virtus derivetur, non tamen auferatur in gignente, ſi manet ille, qui gignitur. Et hoc quidem tantum ad humanæ nativitatis intelligentiam commemoratum a nobis ſit; non etiam ad perfectum in Unigenito Deo Nativitatis exemplum, quia naturæ humanæ infirmitas ex diſparibus comparatur, & nec ex inanimis continetur ad vitam, nec ſtatim in ea qui gignitur vivit, neque totum vivit ex vita, cum in ea multa ſint, quæ ſine naturæ ſuæ ſenſu cum excreverint deſecentur. In Deo vero quod eſt, totum vivit, Deus enim vita eſt, & hæc vita non poteſt quicquam eſſe niſi vivum, neque ex derivatione, ſed ex virtute nativitas eſt. Ac ſic dum totum quod eſt vivit, & dum totum quod ex eo naſcitur virtus eſt, habet nativitatem, non habet demutationem, & impertit profectum, non ammittit naturam. Et dum nativitatem, quam dedit per indiſcretæ naturæ ſimilitudinem ſequitur, & nativitas eam, quæ vivens ex vivente eſt, naturam naſcendo non deſerit. Affert autem pro parte fidei hujus ſignificationem ignis in ſe ignem habens, & in igne ignis manens. Nam cum ſit in eo ſplendor luminis, naturæ calor, virtus urendi, mobilitas æſtuandi, totum tamen ignis eſt, & hæc univer-

niverſa una natura eſt. Habet quidem ex infirmitate quod per materiam ſubſiſtit, ac vivit, & cum ea, per quam vixerat, deficit. Sed hoc, quod incorporale Dei eſt ex comparationum parte cognoſcimus, ut non incredibile in Deum ſit, quod pro parte aliqua in terrenis reperiatur elementis. Quæro itaque nunc utrum diviſio, ac ſeparatio ſit, cum ignis ex igne eſt? Aut numquid abſciditur natura, ne maneat? aut non ſequitur natura, ne inſit? Cum accenſo lumine ex lumine per quemdam quaſi nativitatis profectum naturæ nulla defectio ſit, & tamen ſit lumen ex lumine. Aut numquid hoc non manet in eo, quod ex ſeſe ſine defectione ſubſiſtat? Aut hoc non ineſt in eo, unde non receſſum eſt, ſed cum unitate ſubſtantiæ naturalis exivit? Et quæro anne non unum ſint, cum lumen ex lumine nec diviſione ſeparabilis ſit, nec genere naturæ? Et hæc, ut dixi ad intelligentiam tantum Fidei comparata ſint, non etiam ad Dei dignitatem, ut non potius intelligentiam inviſibilium ex comparabilibus ſumeremus, non utique, ut aliquod naturæ Dei ſatisfaceret comparationis exemplum, cum dignum, & juſtum eſſet teſtanti de ſe Deo credere.

De Dei Patris ſubſtantia. V.

PAter eſt ex quo omne quod eſt conſiſtit. Ipſe in Chriſto, & per Chriſtum origo omnium. Ceterum ejus in ſeſe eſt, non aliunde quod eſt ſumens, ſed id quod eſt ex ſe, atque in ſe continens. Infinitus quia non ipſe in aliquo, ſed intra eum omnia. Semper extra locum, quia non continetur in loco. Semper ante ævum, quia tempus ab eo eſt extra quem nihil eſt, & cui eſt ſemper, ut ſemper ſit. Hæc veritas eſt Sacramenti Dei, hoc imperſpicabile naturæ nomen in Patre. Soli filio notus, quia Patrem nemo novit niſi filius, & cui voluerit filius revelare. Ergo de Patre una cum filio revelante filio, qui ſolo teſtis fidelis eſt ſentiamus.

De Nativitate Filii Dei ex Patre.

Vide S. Hilar. lib. 2. de Trin.

FIlium mens conſternatur attingere, & trepidat omnis ſermo ſe prodere. Eſt progenies ingeniti, unus ex uno, verus a vero, vivus a vivo, perfectus a perfecto, virtutis virtus, ſapientia ſapientiæ, gloria gloriæ, imago inviſibilis Dei, forma Patris ingeniti. Si quis forte intelligentiæ ſuæ imputabit generationis divinæ Sacramentum, ideſt qualiter genuerit Pater Filium non poſſe ſe conſequi, cum tamen & Pater ſit abſolute intelligendus, & filius, majore iſtud dolore a me audiet ignorari. Ego neſcio, non requiro, & conſolabor me tamen. Archangeli neſciunt, Angeli non audierunt, ſecula non tenent, propheta non ſenſit, Apoſtolus non interrogavit, filius ipſe non edidit. Ceſſet dolor querelarum. Nam te quiſquis es, qui hæc requiris, non revoco in exemplum, non in amplitudinem tendo, non deduco in profundum. Nonne æquanimiter ignorabis Creatoris Nativitatem ignorans originem creaturæ? Hoc ſaltem requiro ſentis ne te genitum, & quæ ex te generentur intelligis? Non quero ſenſum unde hauſeris vitam, unde ſortitus ſis intelligentiam, unde adeptus ſis. Quale eſt quod in te ſit odor, ſenſus, viſus, auditus? Certe nemo quod facit neſcit. Quæro unde iſta his, quos generes, indulgeas; qualiter ſenſus inſeras, oculos accendas, cor adfigas. Hæc ſi potes enarra. Habes ergo quod neſcis, & tribuis quæ non intelligis. æquanimiter imperitus in tuis, inſolenter in Dei rebus ignarus es.

Recta Fides. VI.

STat in hoc intelligentia ſine Verborum. Eſt Filius ab eo Patre, qui eſt. Unigenitus ab ingenito, progenies a parente, vivus a vivo. Ut Patris vita in ſemetipſo, ita & Filio data eſt vita in ſemetipſo. Perfectus a perfecto, quia totus a toto. Non diviſio, aut diſciſſio, quia alter in altero, & plenitudo divinitatis in Filio eſt. Incomprehenſibilis ab incomprehenſibili. Novit enim nemo niſi invicem. Inviſibilis ab inviſibili, quia imago Dei inviſibilis eſt, & quia qui vidit Filium, vidit & Patrem. Alius ab alio, quia Pater & Filius. Non natura divinitatis alia, & alia, quia ambo unum. Deus a Deo. Ab uno ingenito Deo unigenitus Deus. Non Dii duo, ſed unus ab uno. Non ingeniti duo, quia natus eſt ab innato. Alter ab altero nihil differens, quia vita viventis in vivo eſt. Hæc de natura divinitatis attigimus, non ſummam intelligentiæ comprehendentes, ſed intelligentes eſſe incomprehenſibilia, quæ loquamur.

De Filii Dei generatione ex Matre. VII.

HUmani autem generis cauſa Dei Filius natus ex Virgine eſt, & Spiritu Sancto ipſo ſibi in hac operatione famulante & ſua videlicet Dei inumbrante virtute corporis ſibi initia conſcivit, & exordia carnis inſtituit, ut homo factus ex Virgine naturam in ſe carnis acciperet, perque hujus admixtionis ſocietatem ſanctificatum in eo univerſi generis humani corpus exiſteret. Ut quemadmodum omnes in ſe per id, quod corporeum ſe voluit eſſe, conderentur, ita rurſum in omnes ipſe per id, quod ejus eſt inviſibile referretur. Dei igitur imago inviſibilis pudorem humani exordii non recuſavit. Et per conceptionem, partum, vagitum, & cunas, o-

mnes naturæ noſtræ contumelias tranſcucurrit. Quid tandem dignum a nobis tantæ dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis a Deo originis unus Unigenitus Deus in corpuſculi humani formam ſanctæ Virginis utero inſertus adcreſcit. Qui omnia continet, & intra quem, & per quem cuncta ſunt, humani partus lege profertur. Et ad cujus vocem Angeli, atque Archangeli tremunt, cœlum, & terra, & omnia mundi hujus elementa reſolventur, vagitu infantiæ auditur. Qui inviſibilis, & incomprehenſibilis eſt, non viſu ſenſu, tactuque moderandus, cunis eſt obvolutus. Hæc ſi quis indigna Deo recolet, tanto ſe majori beneficii obnoxium confitebitur, quanto minus hæc Dei convenerint majeſtati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus eſt. Sed nos eguimus, ut Deus caro fieret, & habitaret in nobis. Ideſt aſſumptione carnis unius univerſæ carnis interna incoleret. Humilitas ejus noſtra nobilitas eſt, contumelia ejus honor noſter eſt. Quod ille Deus in carne conſiſtens, hoc nos viciſſim in Deum ex carne renovati. Sed ne forte detineant ſcrupuloſas mentium cogitationes, cunæ, vagitus, partus, atque conceptio, recolenda eſt in ſingulis Dei dignitas, ut voluntatis humilitatem poteſtatis ambitio præcedat, nec dignationem dignitas derelinquat. Videamus igitur quæ ſint myſteria conceptus. Angelus Zachariæ loquitur, ſterili partus affertur. De incenſi loco Sacerdos mutus egreditur. Johannes in vocem adhuc utero matris detentus erumpit. Mariam Angelus benedicit, Matrem Filii Dei Virginem pollicetur. Illa Virginitatis ſuæ conſcia difficultate facti comovetur. Angelus ei efficientiam divinæ operationis exponit; ait enim: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Spiritus Sanctus deſuper veniens Virginis interiora ſanctificavit, & in his ſpirans, qui ubi vult Spiritus ſpirat, naturæ ſe humanæ carnis immiſcuit. Et id, quod alienum a ſe erat, vi ſua, ac poteſtate præſumpſit. Atque ut ne quid per imbecillitatem humani corporis diffideret, Virtus Altiſſimi Virginem obumbrat, infirmitatem ejus velut per

um-

umbram circumfuſam confirmans, ut ad ſementinam ineuntis Spiritus efficaciam ſubſtantiam corporalem divinæ virtutis inumbratio temperaret. Hæc conceptionis eſt dignitas. Videamus partum, vagitum, & cunas, dignitas quæ ſequatur. Loquitur ad Joſeph Angelus parituram Virginem, & eum, qui natus fuerit, vocandum Emanuelem, ideſt: Nobiſcum Deum. Proclamat Spiritus per Prophetam. Angelus teſtis eſt, Deus nobiſcum eſt ille qui naſcitur. Novum Magis de Cœlo Stellæ lumen effertur, & cœli Dominum ſignum cœleſte proſequitur. Angelus paſtoribus nunciat natum Chriſtum Domini, ſalutem univerſorum. Multitudo exercitus cæleſtis in laudem puerperii concurrit, & tanti operis præconia divini cætus gaudia eloquuntur. Gloria deinde in Cœlis Deo, & pax in terra hominibus bonæ voluntatis nunciatur. Adſunt deinde Magi, involutum pannis adorant, & poſt illam inanis ſcientiæ ſuæ arcanam operationem poſito in cunis genu flectunt. Sic per Magos cunarum ſordes adorantur, ſic vagitus per Angelorum divina gaudia honorantur. Sic partui proclamans per Prophetam Spiritus, & id ipſum Angelis nuncians & novæ lucis ſtella famulatur. Sic initia naſcendi Spiritus Sanctus ſuperveniens, & inumbrans virtus Altiſſimi molitur. Aliud intelligitur, aliud videtur, aliud oculis, aliud animo conſpicitur. Parit Virgo, partus a Deo eſt. Infans vagit, laudantes Angeli audiunt. Pannis ſordet, Deus adoratur. Ita poteſtatis dignitas non ammittitur, dum carnis humilitas adoratur. Par etiam eſt reliquæ curſus ætatis, nam omne tempus, quod in homine egit, Dei operibus explevit. De ſingulis autem non eſt tempus edicere. Tantum illud in univerſis virtutum, & curationum generibus contuendum eſt in carnis aſſumptione hominem, Deum vero in geſtis rebus exiſtere.

VIII. *Dominum N. J. C. per aſſumptam Carnem naturaliter manere in nobis, & nos per perceptionem corporis, & Sanguinis ejus manere in eo.*

SI vere Verbum caro factum eſt, & vere nos Verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt? Qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub Sacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit. Ita enim omnes unum ſumus, quia & in Chriſto Pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt. Quiſquis ergo naturaliter Patrem in Chriſto negabit, neget prius non naturaliter vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe. Quia in Chriſto Pater, & Chriſtus in nobis unum in his eſſe nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & vere homo ille qui ex Maria natus fuit Chriſtus eſt, noſque vere ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus, & per hoc unum erimus, quia Pater in illo eſt, & ille in nobis; quomodo voluntatis unitas aſſeritur, cum naturaliter per Sacramentum proprietas perfectæ Sacramentum ſit unitatis? Non eſt humano, aut ſeculi ſenſu in Dei rebus loquendum. Neque per violentiam, aut impudentem prædicationum cœleſtium dictorum ſanitati alienæ, atque impiæ intelligentiæ extorquenda perverſitas eſt. Quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ legerimus intelligamus, & tunc perfecto Fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti veritate quæ dicimus niſi ab eo diſcimus, ſtulte, atque impie dicimus. Ipſe enim dixit: Caro mea vere eſt eſca; & ſanguis meus vere eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De Veritate carnis, & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini

pro-

profeſſione, & fide noſtra vera caro eſt, & vere ſanguis eſt. Et hæc accepta, atque hauſta id efficiunt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Anne hoc veritas non eſt? Contingat plane his verum non eſſe, qui Chriſtum Jeſum Deum verum eſſe denegant. Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo, dum ſecum hoc, quod nos ſumus, in Deum eſt. Quam autem in eo per Sacramentum communicatæ carnis, & ſanguinis ſimus, ipſe teſtatur dicens: Et hic mundus me jam non videt; vos autem me videbitis, quoniam ego vivo, & vos vivetis. In illa die vos cognoſcetis, quoniam ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam, atque ordinem conſummandæ unitatis expoſuit? Niſi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis eſſet, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rurſum in nobis per Sacramentorum ineſſe myſterium crederetur, ac ſic perfecta per mediatorem unitas doceretur, cum nobis in ſe manentibus ipſe maneret in Patre, & in Patre manens maneret in nobis. Et ita ad unitatem Patris proficeremus, cum qui in eo ſecundum nativitatem ineſt, nos quoque in eo naturaliter ineſſemus, ipſo in nobis naturaliter permanente. Quam autem naturalis in nobis unitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Non enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit, ejus tantum ipſe aſſumptam habens carnem, qui ſuam ſumpſerit. Perfecte autem hujus unitatis Sacramentum ſuperius jam docuerat dicens: Sicut miſit me vivus Pater, & ego vivo per Patrem, & qui manducaverit meam carnem, & ipſe vivit per me. Vivit ergo per Patrem; & quomodo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus vivemus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præſumitur, ut id, de quo agitur ſecundum propoſitum exemplum aſſequamur. Hæc ergo vitæ noſtræ cauſa eſt, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Chriſtum habemus, victuris nobis per eum ea conditione,

qua vivit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter ſecundum carnem per eum vivimus, ideſt naturam carnis ſuæ adepti, quomodo non naturaliter ſecundum Spiritum in ſe Patrem habeat, cum vivat ipſe per Patrem? Vivit autem per Patrem, dum nativitas non alienam ei intulit, diverſamque naturam, dum quod eſt, ab eo eſt, nec tamen ab eo per aliquam incidentem naturæ diſſimilitudinem ſeparatur; dum in ſe per nativitatem habet Patrem in virtute naturæ. Hæc autem a nobis idcirco commemorata ſunt, quia voluntatis tantum inter Patrem, & Filium unitatem hæretici mentientes, unitatis noſtræ ad Deum utebantur exemplo, tamquam nobis ad Filium, & per Filium ad Patrem obſequio tantum, ac voluntate religionis unitis nulla per Sacramentum Carnis, & Sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur. Cum & per honorem nobis datum Dei Filii, & permanentem in nobis carnaliter Filium, & in eo nobis corporaliter inſeparabiliter unitis Myſterium veræ, ac naturalis unitatis ſit prædicandum.

IX. *Eccleſiæ fides Catholica.*

ECcleſiæ Fides Apoſtolicis imbuta Doctrinis novit in Chriſto nativitatem, ſed ignorat exordium, ſcit diſpenſationem, ſed neſcit diviſionem. Non partitur Jeſum Chriſtum, ut Jeſus non ipſe ſit Chriſtus, nec Filium hominis diſcernit a Dei Filio, ne filius Dei forte non & Filius hominis intelligatur. Non abſumit Filium Dei in filium hominis, neque tripertita Chriſtum fide ſcindit, cujus deſuper texta veſtis inſciſſa eſt, ut Jeſum Chriſtum, & in Verbum, & in animam, & in corpus inſcindat. Neque rurſum Deum Verbum in animam, & corpus abſumat. Totum ei Deus Verbum eſt, totum & homo Chriſtus. Retinens hoc in Sacramento confeſſionis ſuæ unum, nec Chriſtum aliud credere, quam Jeſum, nec Jeſum aliud prædicare, quam Chriſtum. Non ignoro autem in quantum humanæ intelli-

telligentiæ infirmitatem magnificentia myſterii cœleſtis impediat. Ut hæc non facile aut verbis enunciare, aut dijudicare ſenſu, aut etiam complecti mente poſſimus. Æternitas Patris locum, tempus, ſpeciem, & quicquid illud humano ſenſu concipi poterit, excedit. Ipſe extra omnia, & in omnibus, capiens univerſa, & capiendus a nemine. Non acceſſu deceſſure mutabilis, ſed inviſibilis incomprehenſibilis, plenus, perfectus, æternus, non aliunde quid ſumens, ſed ad id, quod ita manet, ſibi ipſe ſufficiens. Hic ergo ingenitus ante omne tempus ex ſe filium genuit; non ex aliqua ſubjacente materia, quia per Filium omnia; non ex nihilo, quia ex ſe filium; non ut partum, quia nihil in Deo demutabile, aut vacuum eſt. Non partem ſui, vel diviſam, vel diſciſſam, vel extenſam, quia & impaſſibilis & incorporeus Deus eſt. Hæc autem paſſionis, & carnis ſunt, & ſecundum Apoſtolum: In Chriſto habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Sed incomprehenſibiliter, inenarrabiliter, ante omne tempus, & ſecula unigenitum ex his, quæ ingenita in ſe erant, procreavit. Omne, quod Deus eſt, per caritatem, atque virtutem nativitati ejus impertiens. Ac ſic a perfecto, ingenito, æternoque Patre unigenitus, & perfectus, & æternus eſt Filius. Ea autem, quæ ejus ſunt ſecundum corpus, quod adſumpſit, bonitatis ejus ad ſalutem noſtram voluntas eſt. Inviſibilis enim, & incorporeus, & incomprehenſibilis utpote ab eo genitus tantum in ſe & materiæ, & humilitatis recepit, quantum in nobis erat virtutis ad intelligendum ſe, & ſentiendum, & contuendum. Imbecillitati noſtræ potius obtemperans, quam de his, in quibus erat ipſe deficiens. Igitur perfecti Patris perfectus filius, & ingeniti Dei unigenita progenies, qui ab eo qui habet omnia, accepit omnia, Deus a Deo, Spiritus ab Spiritu, Lumen a Lumine. Confidenter ait: Pater in me, & ego in Patrem. Quia ut Spiritus Pater, ita & Filius Spiritus. Ut Deus Pater, ita & Filius Deus. Ut lumen Pater, ita & Filius lumen. Ex his ergo, quæ in

5 Vide S. Hilar. Lib. 3. de Trin.

Patre

Patre ſunt, ea, in quibus eſt Filius, ideſt ex toto Patre totus Filius natus eſt. Non aliunde, quia nihil antequam Filius. Non ex nihilo, quia ex Deo Filius. Non in parte, quia plenitudo Deitatis in Filio. Neque in aliquibus, quia in omnibus. Sed ut voluit, qui potuit, ut ſcit qui genuit. Quod in Patre eſt, hoc & in Filio eſt. Quod in ingenito, hoc & in Unigenito. Alter ab altero, & uterque unum. Non duo unus, ſed alius in alio, quia non aliud in utroque. Pater in Filio, quia ex eo Filius. Filius in Patre, quia non aliunde quod Filius. Unigenitus in ingenito, quia ab ingenito unigenitus. Ita in ſe invicem, quia ut omnia in ingenito Patre perfecta ſunt, ita omnia in Filio unigenito perfecta ſunt. Hæc in Filio, & in Patre unitas, hæc virtus, hæc caritas, hæc Fides, hæc ſpes, hæc veritas, via, vita. Non calumniari de virtutibus ſuis Deo, nec per ſecretum, ac poteſtatem nativitatis obtrectare Filio. Patri ingenito nihil comparare. Unigenitum ab eo nec tempore, nec virtute diſcernere, Deum Filium, quia ex Deo eſt confiteri. Curam ergo humani generis habens Dei Filius, primum ut ſibi crederetur homo factus eſt, ut teſtis divinarum rerum nobis eſſet ex noſtris, perque infirmitatem carnis Deum Patrem nobis infirmis, & carnalibus prædicaret. Voluntatem in eo Dei Patris efficiens, cum dicit: Non veni voluntatem meam facere, ſed voluntatem ejus, qui me miſit. Non quod nollet & ille quod faciat, ſed obedientiam ſuam ſub effectu paternæ voluntatis oſtendit, volens ipſe voluntatem Patris explere. Erat autem hæc efficientia voluntatis voluntas.

X. *Non confidendum in humana prudentia.*

NOn eſt in tantum confidendum prudentia humana, ut perfectum putet ſe ſapere, quod ſapiat, & in eo abſolute rationis ſummam contineri arbitretur, quod ipſa mente pertractans æquabili undique apud ſe exiſtimet veritatis opinione conſtare. Non enim concipiunt

imper-

imperfecta perfectum, neque quod ex alio ſubſiſtit, abſolute vel Auctoris ſui poteſt intelligentiam obtinere, vel propriam, ſe quidem in eo tantum quod eſt ſentiens, cæterum ulterius ſenſum ſuum, quam ſibi conſtituta ſit natura, non rendens. Motum enim ſuum non ſibi debet, ſed auctori. Et idcirco quod in aliud ex Auctore ſubſiſtit, imperfectum ſibi eſt, dum conſtat aliunde. Et neceſſe eſt, ut in quo perfectum ſe putet ſapere, deſpiciat, quia naturæ ſuæ non moderans neceſſitatem, & omnia infirmitatum ſuarum exiſtimans terminis contineri falſo jam ſapientiæ nomine gloriatur, quia ſapere ſibi ultra ſenſus ſui non liceat poteſtatem, & quam infirmum ſubſiſtendi eſt virtute, tam ſenſus ſit. Atque ab id imperfectæ naturæ ſubſtitutio perfecti ſenſus ſapientiam obtinere ſe glorians, ſtultæ ſapientiæ irridetur obprobrio.

De Dei Verbo Cyprianus, vel Hilarius. XI.

VErbi appellatio in Dei Filio de Sacramento nativitatis eſt, ſicuti ſapientiæ, & virtutis eſt nomen. Quæ cum in Deum Filium cum ſubſtantia veræ nativitatis extiterint, Deo tamen ut ſua propria, quamvis ex eo in Deum ſunt nata non deſunt. Quia nativitas non habet detrimentum generandi, cum profectum teneat naſcendi. Et ideo earum rerum unigenito Deo apta cognomina ſunt, quæ cum eum ſubſiſtentem ex nativitate conſumment, tamen Patri non deſint; exinde mutabilis virtute naturæ. Unigenitus enim Deus, & Verbum eſt. Sed innaſcibilis Pater numquam omnino ſine Verbo eſt, non quod prolatio vocis natura ſit Filii, ſed ex Deo Deus cum nativitatis virtute ſubſiſtens, ut a Patre proprius, & per naturæ indifferentiam inſeparabilis doceretur, ſignificatus in Verbo eſt, ſicut Chriſtus ſapientia, & virtus Dei eſt, non ille, ut intelligi ſolet, internæ poteſtatis aut ſenſus efficax motus, ſed natura tenens per nativitatem ſubſtantiæ ve-

rita-

ritatem his internarum rerum ſignificata nominibus eſt. Non enim id, quod naſcendo ſubſiſtit, poteſt id ipſum videri eſſe, quod unicuique ſempiternum eſt. Sed æterno Deo Patre unigenitus Filius in ſubſiſtentem Deum natus, ut non alienus eſſe a natura Paternæ divinitatis poſſet intelligi, per hæc proprie nomina tantum ſubſiſtens oſtenſus eſt, quibus, ex quo ſubſtiterat, non carebat.

XII. *Cypriani adſertio vera de Deo.*

MUndi unus eſt rector, unus eſt Dominus, qui univerſa quæcumque ſunt verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Hic nec videri poteſt; viſu clarior eſt. Nec comprehendi; tactu purior eſt, nec æſtimari; ſenſibus major eſt. Et ideo ſic eum digne æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus. Quod vero templum habere poſſit Deus, cujus templum totus eſt mundus? & cum homo latius maneat, intra unam ædiculam vim tantæ majeſtatis æſtimas poſſe concludi? In noſtra dedicandus eſt mente, in noſtro conſecrandus eſt pectore: Nec nomen Dei quæras &c.

XIII. *Auguſtinus de Dei Verbo.*

JAm vos mundi eſtis propter Verbum quod locutus ſum vobis. Quare non ait: Mundi eſtis propter Baptiſmum, quo abluti eſtis, ſed ait: propter verbum, quod locutus ſum vobis, niſi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipſum tamquam viſibile verbum. Nam de hoc utique dixerat, quando pedes diſcipulis lavit. Qui lotus eſt, non indiget ut lavet, ſed eſt mundus totus. Unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? Non quia dicitur,

ſed quia creditur. Nam & in ipſo verbo alius eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens, hoc eſt Verbum fidei, quod prædicamus. Ait Apoſtolus: Quia ſi confeſſus fueris in ore tuo, quia Dominus eſt Jeſus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris. Corde creditur ad juſtitiam, * ne autem fit confeſſio ad ſalutem. Unde & in Actibus Apoſtolorum legitur: Fide mundans corda eorum. Et in Epiſtola ſua B. Petrus: Sic & vos, inquit, Baptiſma ſalvos faciet; non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio, hoc eſt Verbum Fidei; quod prædicamus, qua ſine dubio, ut mundare poſſit, conſecratur & Baptiſmus. Chriſtus quippe nobiſcum vitis cum Patre agricula dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea. Lege Apoſtolorum, & vide quid adjungat: Ut eam ſanctificaret, inquit, mundans eam lavacro aquæ in verbo Mundatio igitur nequaquam fluxo, & labili tribueretur elemento, niſi adderetur in Verbo. Hoc Verbum Fidei tantum valet in Eccleſia Dei; ut per ipſam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Jam vos mundi eſtis propter verbum quod locutus ſum vobis.

* *ore*

Vide S. Aug. Tract. 80. in Joban. Euang.

De Libello Paſchaſii Ratberti ad Placidum diſcipulum, Chriſti communionem verum Corpus, & Sanguinem eſſe non dubitandum. XIV.

Quiſque Catholicorum recte Deum cuncta creaſſe de nihilo corde credit &c.

Subſequitur pæne integer Paſchaſii libellus jam editus.

Quid

XXXVI. *Quid digne, vel indigne ſumentibus Dominici Corporis, & Sanguinis præſtet Euchariſtia.*

INſtruens Beatus Apoſtolus Corinthios de Dominici Corporis, & Sanguinis Sacramento, ut ſcirent, quantum illi reverentiæ deberent, ait inter cætera: Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, Quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur, hoc facite in meam commemorationem. Simili modo & calicem poſtquam cęnatum eſt dicens: Hoc poculum novum teſtamentum eſt in meo ſanguine. hoc facite in meam commemorationem. Oſtendit illis Myſterium Euchariſtiæ inter cęnandum celebratum non cœnam eſſe. Medicina enim Spiritualis eſt, quæ cum reverentia deguſtata purificat ſibi devotum. Siquidem memoria redemptionis noſtræ eſt, ut Redemptoris memores majora ab eo conſequi mereamur, mortem Domini adnunciantes, donec veniat. Quia enim morte Domini liberati ſumus, hujus rei memores in edendo, & potando carnem, & ſanguinem, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus novum Teſtamentum in his conſueti, quod eſt nova lex, quæ obedientem ſibi tradit cœleſtibus regnis. Nam & Moyſes accepto ſanguine vituli in patera aſperſit ſuper filios Iſrahel dicens: Hoc eſt teſtamentum, quod diſpoſuit Dominus ad vos. Hoc figura fuit teſtamenti, quod Dominus novum appellavit, ut illud vetus ſit, quod Moyſes tradidit. Teſtamentum ergo ſanguine conſtitutum eſt, quia beneficii divini ſanguinis teſtis eſt, in cujus typum nos calicem myſticum ad tuitionem corporis & ſanguinis, & animæ percepimus, quia Sanguis Domini ſanguinem noſtrum redemit, ideſt totum hominem ſalvum fecit. Caro e-

nim

nim Salvatoris pro ſalute corporis, ſanguis vero pro anima noſtra effuſus eſt, ſicut prius præfiguratum fuerat a Moyſe: Caro, inquit, pro corpore veſtro offertur, ſanguis vero pro anima, ideoque non manducandum ſanguinem. Itaque quicumque ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne, Domino reus erit corporis, & ſanguinis Domini. Indignum dicit eſſe Domino, qualiter myſterium celebrat, quod ab eo traditum eſt. Non enim poteſt devotus eſſe, qui aliter præſumit quam datum eſt ab auctore. Ideo præmonet ut ſecundum ordinem traditum devota mens ſit accedentis ad Euchariſtiam Domini; quoniam futurum eſt judicium, ut quemadmodum accedit unuſquiſque, reddat cauſas in die Domini N. J. C. Quia ſine diſciplina traditionis, & converſationis qui accedunt, rei ſunt corporis, & ſanguinis Domini. Quid eſt autem reos eſſe, niſi pœnas dare mortis Domini? occiſus eſt enim pro his, qui beneficium ejus inritum ducunt. Probet autem ſe homo, & ſic de pane edat, & de poculo bibat, qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non diſcernens corpus Domini. Devoto itaque animo, & cum timore accedendum ad communionem docet, ut ſciat mens reverentiam ſe debere ei, ad cujus corpus ſumendum accedit. Hoc enim apud ſe debet judicare, qui ſumit, quia Dominus eſt, cujus Myſterio ſanguinem potat, qui teſtis eſt beneficii Dei. Quem nos ſi cum diſciplina accipiamus, non erimus indigni corpore, & ſanguine, agentes gratias Redemptori. Ideo multi in vobis invalidi, & ægroti, & dormiunt multi. Ut verum probaret quod examen futurum eſt accipientium corpus Domini, jam hic imaginem judicii oſtendit in eos qui inconſiderate corpus Domini acceperant, dum febribus, & infirmitatibus corripiebantur, & multi moriebantur, ut in his cæteri diſcerent, & paucorum exemplo cæteri territi emendarentur, non inultum ſcientes corpus Domini negligenter accipere, & eum, quem hic pœna diſtulerit, gravius tractandum fore, quia contempſit exemplum. Quod ſi noſmetipſos diſcerneremus, non utique dijudi-

caremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo dampnemur. Hoc dicit, quia ſi noſmetipſi errores noſtros corrigeremus, non a Domino judicaremur, & quia corripimur, tamen pro nobis eſt, ut timore ipſo emendemur. In paucis enim omnium eſt emendatio, ne cum hoc mundo, ideſt cum infidelibus dampnemur. Nihil enim differt ab infideli, qui inconſiderate ad menſam Domini accedit.

XXXVII. *Quid Beatus Martyr Cyprianus adfirmat ſe præſente contigiſſe his, qui polluti de Idolotytis Dominici Corporis, & Sanguinis Sacramenta temere ſuſceperunt.*

PRæſente, inquit, ac teſte me ipſo accipite quid evenerit. Parentes foras fugientes, dum trepidi minus conſulunt, ſub nutricis alimento parvulam filiam reliquere. Relictam nutrix detulit ad magiſtrum. Illic ei apud Idolum, quo populus confluebat, quod carnem needum poſſet edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipſum de immolatione pereuntium ſupererat tradidere. *Reliqua legantur apud S. Cyprianum Lib. de Lapſis.*

XXXVIII. *Quare peccatis criminalibus inretiti a Sacramentis Dominicis arceantur.*

QUum itaque ipſe Filius Dei dicat: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*, ita intelligendum eſt, eadem Redemtionis noſtræ myſteria, vere eſſe corpus, & ſanguinem Domini; ut illius unitatis perfectæ, quam cum capite noſtro jam ſpe, poſtea re tenebimus, pignora credere debeamus. Inde & Sacramenta a ſanctificatione vel ſecreta virtute dicuntur. Unde etiam criminum fœditate capitalium a mem-

brorum

brorum Chriſti ſanitate deviantes ab ipſis Sacramentis Eccleſiaſtico ſuſpenduntur judicio. Qui enim corpus & ſanguinem Domini digne manducat, & bibit, deſignat ſe eſſe in Deo, & Deum in eo. Qui vero medicinam vel non habet, vel ea indigne utitur, longe ſe eſſe a medico languendo teſtatur. Non enim mentitur qui dicit: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, & reliqua. Sciendum vero a Sanctis Patribus ob hoc vel maxime conſtitutum, ut mortaliter peccantes a Sacramentis Dominicis arceantur, ne indigne ea percipientes vel majori reatui involvantur, ut Judas, quem poſt panem temere a Magiſtro ſuſceptum Diabolus dicitur plenius invaſiſſe, ut crimen, quod prius ſcelerata præmeditatione conceperat, jam ſceleratiſſimo conſummaret effectu; vel ne quod Apoſtolus de Corinthiis dicit infirmitatem corporis, & imbecillitatem, ipſamque mortem præſumptores incurrant. Et ut ad communionem ſuſpenſi terrore ejuſdem excluſionis, & quodam condempnationis anathemate compellantur ſtudioſius pœnitentiæ medicamentum appetere, & avidius recuperandæ ſalutis deſideriis inhiare.

Judæos ab omni conventu Fidelium arcendos, præcipue ubi Chriſtianorum celebratur oblatio. XXXIX

IN celebratione autem tanti myſterii cavendum valde eſt, ne interſint hæretici, vel pagani, præcipue vero Judæi non ſolum a liminibus Eccleſiæ, ſed ab omni prorſus conventu Fidelium ſunt arcendi. Solent enim nequiſſimi, & perditiſſimi omnium hominum cum principe ſuo Diabolo vitalibus detrahere Sacramentis, quantumque in ipſis eſt, auſu impio conari, quo valeant prætium Redemptionis humanæ prophanare, atque polluere, quod olim Beatiſſimi Syri Confeſſoris tempore

manifeſte deprehenſum, dignaque eſt ultione punitum. Qualiter vero actum ſit, quia magnam habet Domini laudem, ſicut in vita prædicti Confeſſoris legitur, huic Capitulo putavimus inſerendum. Perfectis igitur templi, ſive altaris dedicationis inſignibus, Beatiſſimus Syrus cotidianas Deo laudes in eo, & hoſtias offerebat. Una autem dierum, dum miſſarum ſolempnia ſingularis Pontifex ibidem celebraret, & copia filiorum ejus, quos verbi ſemine juxta Apoſtolum Deo genuerat devota ſanctis myſteriis intereſſet, audacter Judæus in eum ingreſſus maligno inſtigante Spiritu corpus Dominicum ſuſcipere, eumque in Sterquilinium projicere molitus eſt. Qui inter turbas Fidelium ad manus viri Dei perveniens, auſu nefario immundo ore corpus ſuſcepit Dominicum. Quod ut ad rejiciendum os aperuit, digna ultione percuſſus ſine effectu verborum cunctis audientibus, & videntibus clamare cœpit. Volebat labia jungere, nec valebat, ſed lingua rigida loquendi officium non præbebat. Et quaſi ignitum jaculum in ore portans immenſis torquebatur doloribus. Reſonabat omnis illa Eccleſia ineptæ vocis clamoribus, & de tam egregii virtute miraculi Chriſti fidelium lætabatur conventus, impleturque illud; Deriſores ipſe deridet; & quod Apoſtolus ad Galatas ſcribit: Nolite errare, Deus non irridetur; quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Judæus autem, & incredulus nec audierat ideſt fraudem iſta præconia, qui Sancto Spiritui putavit ſtropham inducere. Quem vir Dei ſuo conſpectui præſentari præcepit, atque advenienti dixit: Incredula, & perfidiæ mens plena, quare tam iniqui hoſtis implecti conſilium, ut æſtimares corpus Chriſti corpus viliſſimum? Ecce quod clandeſtinus perſuaſor te miſerum inlexit, ut faceres, cunctis Fidelibus ſuis divina virtus oſtendet. Judæus autem nimio dolore ſuperatus voces emittere abſque ſermonibus non ceſabat habens in gutture ſuo malitiæ cruciatum, quia ſecundum ſanctiſſimi vaticinium Symeonis, ut incredulis eſt pernicies, ac ruina, ita fidelibus ſuis vita, & exultatio eſt verbum Dei. Nam

mira-

mirabili libratione corpus Dominicum in ore videbatur Judæi dependere, ut nec linguæ ſubter compagi inſideret, nec deſuper immundo adhæreret palatui. Sed poſtulantibus Fidelibus pro ejus miſeria, vir Domini manum tetendit, & Sanctæ Euchariſtiæ myſterium a ſacrilego ore abſtraxit dicens: Ecce nunc liberatus es, de cætero cave hujuſcemodi ſimile ne facias, & ne ulterius repetere hoc præſumas. Judæus autem ejus pedibus advolutus clamabat ſe Chriſto Domino crediturum, ſi ſacri eum Baptiſmatis unda perfunderet, ac pio ejus conventui copularet. Tibi, inquit, Dei omnipotentis Pater refero gratias, qui Judaicam perfidiam non dedignaris corrigere, ſed ad tui unigeniti fidem ampla pietate converſis. Baptizato autem illo multi ex Judæis credentes cum eo ſacro renati baptiſmate Chriſti fidelibus, ac ſpirituali cętui ſunt uniti.

Qualiter accedendum ſit ad Dominici Corporis, & Sanguinis mirabile Sacramentum. XL.

COnfeſſiones autem dari diligentius præcipimus, maxime de commotionibus animi, antequam ad Miſſam eatur, ne forte quis accedat indignus ad altare, ideſt ſi cor mundum non habuerit. Melius eſt enim expectare donec ſanum fuerit, & alienum a ſcandalo, atque invidia, quam accedere audacter ad judicium tribunalis. Tribunal enim Chriſti altare eſt, & corpus ſuum inibi cum ſanguine judicat indigne accedentes. Sicut ergo a peccatis carnalibus, & capitalibus temperandum eſt antequam communicandum ſit, ita etiam ab interioribus vitiis, & morbis languentis animæ abſtinendum eſt ante veræ pacis conjunctionem, & æternæ ſalutis compaginem. Cum itaque ad terribilem menſam opportunum tempus invitat, præcavendum eſt ſummopere, & nullus ibi Judæus reperiatur, nullus ma-

lignus accedat, non fucata verba lingua proferat, nec inſidiæ mente condantur, ſed quod voluntas poſſidet, ſermo declaret. Et nunc illo præſto eſt Chriſtus, qui illam ornavit menſam, ipſe iſtam quoque conſecrat. Non enim homo eſt, qui propoſita corpus Chriſti facit, & ſanguinem, ſed ille qui crucifixus pro nobis eſt Chriſtus. Ore Sacerdotis verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur, & gratia. Hoc eſt, ait, corpus meum. Hoc verbo propoſita conſecrantur, & ſicut illa vox, quæ dixit: Creſcite, & multiplicamini, & complete terram, ſimul quidem dicta eſt, ſed omnium tempore ſentit effectum, ad generationem operante natura: ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ uſque ad hodiernum diem, & uſque ad ejus adventum præſtat ſacrificio firmitatem. Nullus igitur fictus accedat, nullus fucato animo tantis audeat proximare myſteriis, ne condempnetur, & ſententiam mereatur, & quod Judas ſuſtinuit patiatur. Nam illum poſt communicationem menſæ Diabolus intravit, non quia contempſerat Dominicum corpus, ſed quia impudentia, & malignitas mentis ejus ut adverſarius in eo habitaret effecit. Ut diſcas quod indignis, & fucate myſteriorum ſecreta celebrantibus a Diabolo præparantur inſidiæ, & magis magiſque ademptantur, qui non æquo animo communicare feſtinant. Et hæc dico non ut vos terream, ſed ut cautiores efficiam. Nemo ſit Judas in menſa. Hoc ſacrificium cibus eſt ſpiritualis, nam ſicut corporalis cibus cum ventrem invenerit adverſis humoribus occupatum amplius lædit, magis nocet, nullum præſtat auxilium, ita eſt iſte ſpiritualis cibus, ſi aliquem reppererit malignitate pollutum, magis eum perdit, non ſua natura, ſed accipientis ex vitio. Pura igitur mens in omnibus, pura cogitatio, quia & ſacrificium purum eſt. Sanctam animam præparemus. Ex hoc non multo tempore, ſed una corrigitur die, nam ſi tibi contra inimicum tuum dolor eſt, ſolve iras, inimicitias laxa, ut remedium de menſa percipias. Ad ſanctum ac terribile ſacrificium properas? Erubeſce oblatio-

lationis arcana. Occiſioni propoſitus Chriſtus eſt, & cur occiſus eſt videamus. Ut cœleſtia ſcilicet *paſtificet*, ut in terra reconciliet univerſa, ut amicum te conſtituat Angelorum, & Dei habentis omnium poteſtatem. Animam ſuam pro te Dominus dedit, & tu inimicus conſervo perduras? Et cum hoc animo ad menſam pacis accedis? Ille nec mori quidem pro tua utilitate recuſavit, & tu nec iram tuam conſervo pro tua liberatione concedis? Sed forſitan dicis: Ab inimico fraudatus ſum, multis me læſit diſpendiis, magnis me detrimentis oneravit. Quicquid dixeris pecuniarum vertitur cauſa. Non te crucifixit, ſicut Judæi Chriſtum, & tamen ille effuſum ſanguinem pro ſalute eorum, qui effunderunt larga pietate conceſſit. Inimicum Deo eſt tumidum pectus. Merito autem reconciliationis cauſa hoc Sacrificium conſtitutum eſt. Et ſi ſacrificii præcepta contempnis, ſacrificii remedium ſentire non poteris. Comple illud cujus cauſa ſacrificium factum eſt, ut ſacrificio perfruaris. Ideo filius advenit, ut humanam naturam Divinæ reconciliet pietati. Ideo & nos, cum hoc facimus, ſuo fecit vocabulo nuncupari. Beati, inquit, pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Hoc enim fac, quod Dei unicus fecit, ſi & tibi, & aliis pacis volueris auctor exiſtere; ideo namque te vocat filium Dei. Deus in Sacrificii celebratione nihil aliud niſi de fratris reconciliatione mandavit. Hæc igitur mentibus noſtris glutinata perdurent, ſanctum oſculum teneamus, quod animas ſociat, mentes, & unum corpus oſtendit, quia unum corpus omnes videmur eſſe ſortiti. Et ideo miſceamus nos in uno corpore, non corporum commixtione, ſed animarum Caritate laqueati, & ſic Divinæ poſſumus menſæ fructibus ſatiari. Nam etſi multis bonis conſcientiæ abundemus, reconciliatione contempta nullum poſſumus ſolatium promereri.

XLI. *De revelationibus, quibus Dominus de veritate Corporis, & Sanguinis ſui hæſitantium corda firmavit.*

HÆc namque Dominici Corporis, & Sanguinis gratia tanta eſt, quantam nullus hominum cogitare poteſt. Per hanc ſiquidem reconciliatur mundus Deo, per hanc homines Dii efficiuntur, & cum ſint natura terreni, fiunt converſatione cœleſtes. Sed quantum in ipſis eſt, extenuant quidam hanc gratiam non credentes verum Domini Corpus eſſe, quod ſumitur, nec verum Chriſti Sanguinem eſſe, qui hauritur, ſed figuram. Cum ipſe dixerit: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. In cœnæ quoque illius Sacroſancto convivio tradens diſcipulis tanti myſterii Sacramentum, & in corpus ſuum panem transfigurans non ait: hæc eſt figura corporis mei, ſed hoc eſt corpus meum. Similiter & in traditione calicis: Hic eſt, inquit, calix ſanguinis mei. Cum itaque hoc ſolum ſatisfacere deberet omnibus, quod veritatis diſcipulis ab ipſa veritate eſt traditum, quibuſdam tamen, quorum corda caligo infidelitatis obduxerat, nec aliter credere poterant, ipſam humanæ formæ effigiem, ſicut ſe rei veritas habet, olim Dominus revelare dignatus eſt, ut quod paucis manifeſtabatur ad fidem, omnibus proficeret ad ſalutem. Non ab re autem arbitror ea, quæ de hujuſcemodi revelationibus nobis lectione comperta ſunt, ad ædificationem maximam poſterorum huic libello inſerere, & præclara Domini Noſtri J. C. miracula, ne memoria excidant etiam noſtro ſtudio ſcripta relinquere.

Miraculum de quodam Judæo. XLII.

NOn incompetenter edere arbitror illud, quod hactenus quodam Hebræo didici referente. Neque enim ideo eſſe non putabitur verum, quod teſtificatione fortaſſis æmula per inimicorum ora certa ratio vera interlocutione fatetur. Solet enim major his accommodari fides, ubi inimici adſtipulantur dictis veridicis, quibus ſine fuco adulationis, & ſine falſiloquio favent. Hoc etenim modo per Balaam inimicum utique populi Judæorum benedictionis promulgantur inſignia. Sed & Vas electionis non incompetenter eligitur, ut qui putabatur hactenus a fidelibus non ferendus, ipſe nomen majeſtatis Domini Jeſu principibus, & poteſtatibus anteferret. Verum ille quid ferebat? Quidam, inquit Judæus ad Epiſcopum quemdam pergens ait ſe Fidei Catholicæ velle initiari myſteriis, debere ergo Epiſcopum illi tradere colendi ritum, quo prolatius inſtructus voti ſui compos effectus jam fidelis Chriſtiano corpori jungeretur. Ad hæc Epiſcopus: Recede obſecro a nobis hominum genus inviſum, deſine, ut mos veſter eſt, attemptare maligne. Sed ſi, ut aſſolet, neceſſitate cujuslibet facinoris obligaris, Eccleſiæ te muneratum ſtipendio gaude, dummodo inriſor noſtræ Fidei non exiſtas. Ad hæc ille: Non inquam Beate Pontifex ut hoſtem execrandum protinus agas. Cupio enim Fidei veſtræ initiari myſteriis, quia tremendi nominis Domini Jeſu Chriſti & formido judicium, & deſidero habere præſidium. Sed cum eſſet pertinax in rogando, & hujuſcemodi pollicitationis jurejurando immodica ſe ſponſione cinxiſſet, nulla id quod peteret ſecuritate negligere, nulla perſecutione deſerere, nullave facilitate prodere, cathechizandi ei initium per ſignaculum Crucis tradi Epiſcopus juſſit. Venit Paſcha, cumque ad ſacros illos latices, quibus expiantur crimina perveniſſet, cœpit reluctari, & non verborum edere queſtus, ſed rugiens per quoſdam

dam gemitus execrari ipſius Baptiſmi myſterium putabatur. Juſſit ergo Epiſcopus valde confuſus eum protinus amoveri. Sed cum ipſe in ſemetipſum fuiſſet repente converſus dicit his, quibus velut furore actus procul in partem alteram tenebatur: ducite me, inquit, ad fontes, jam enim non ſum impos mentis, nec me captum putetis; certe enim jam cupio baptizari. Igitur cum reductus ad Epiſcopum iterum perveniſſet, obſecro, ait, Sacerdos inclyte, perficiatur in me ſacri hujus lavacri Sacramentum. Et ille: non inquam faciam, niſi omnem illum horroris caſum, & confuſionis tuæ exponas arcanum, & quid tibi evenerit antea ſtuporis, ut ſacris iſtius execrares laticis undam, verbis veridicis fatearis. Tunc ille prorupit in lacrymas, tali ordine paſſionis ſuæ ſeriem pandens. Cum ante veſtibulum hujuſce Fontis aſſiſterem abluendus, venit turba Dæmonum valde nigrorum Æthiopibus par exiſtens. Hæc me proripiens Sanctorum manibus fontem adire vi valida prohibebat. Aderant ſiquidem alii candidati obſiſtentes pariter, & dicentes: Nolite hunc prohibere ſacri fontis adire myſteria. Quid vos puniendi his inſervitis Sacramentis? Vobis enim vobis noxii ignis ardor, non baptiſmi debetur ſplendor. At illi: Quid vobis & iſti? Noſter inquiunt eſt, nec vobis jure debendus putabitur. Illo igitur cum me juſſu tuæ poteſtatis tractum manibus quorumdam tuis aſpectibus elongaſſes, atque recedere alterna in parte juſſiſſes, inter partium, quæ erant, ſimultationes quadam pactione convenit, ut me contra peccata mea pari lance penſarent, & ſi ponderis major ſcelerum concreſceret penſa eorum abſcederem, ut immundus, nec ab eis ducerer eluendus. Sed cum pondere nimio oneribus maſſa infandis inviſa creviſſet, quidam pauper, cujus ante dies aliquot corpus meo calefeceram veſtimento confeſtim affuit, prolatamque veſtem præbuit meo corpori compenſandam. Illico igitur veluti ipſi veſtimento immenſi ponderis quædam fuiſſet adicta materies, ſupercrevit penſa mei corporis, ejectiſque illis Æthiopibus, ac fugatis, manibus huc re-

ductus

ductus ſum Beatorum. Cumque ita ſe habere juramentis terribilibus affirmaret, admiſſus ad Baptiſmum Sacroſancti lavacri munus excepit. Igitur cum ad miſſarum fuiſſet myſteria ventum, Sancta Sanctorum cœpit rurſus ſicut in Baptiſmo prius egerat refugere, & rugitus validi gemitus dare, atque horrere videbatur acriter ipſius myſterii Sacramentum. Verum ad hæc Epiſcopus iterum obſtupeſcens, quid, ait, iſte vexatus inſanit, & furore immodico rugit? Igitur cum aliquatenus ſimus aderant ſimul attoniti prorſus hærerent, accedunt ad eum quidam dicentes: Quid tu rurſum deprimeris ſtupore? Si credere non vis, quid per hypocrin tentare vis tanti myſterii Sacramentum. At ille maximo, inquit, pavore, & tremore conficior; nam video corpus perfectæ ætatis viri ſuper hoc altarium fuiſſe depoſitum, & per partes diruptum, manus veſtras ipſius inſpicio cruore madeſcere, & non advertitis digitorum veſtrorum nodos ſanguine infectos rubrum mutaſſe colorem? tunc omnes cum Epiſcopo in fletum verſi cœperunt clamantes voce valida fari: Deo gratias, Deo laudes, qui ait magna, & inſcrutabilia abſque numero, Oſanna filio David, Oſanna in Excelſis. Admirantes pariter, & dicentes: Vere in iſto completum eſt vaticinium Pſalmi dicentis: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Non incaſſum ipſi tanti myſterii revelatur arcanum, in ipſo enim ut referebat ni fallor ille qui dixerat, die ſeptimo, cum ipſis albis candidam animam lux alma ſuſcepit; nam abſolutis vinculis carnis Beatam vitam pulcro fine concluſit. Hoc ergo miraculo claruit, quia non ſolum in myſterio, ſed per veritatis imaginem ille ſuum ſacrat in Altario corpus, qui ipſum diſcipulis in paſſione ſacravit.

XLIII. *Item de quodam ſene Heremita, cujus dubitationem Dominus eadem veritatis revelatione firmavit.*

Vide Edit. ap. Roſweid in Vit. SS. pag. 636.

NArravit Abbas Daniel dicens: Dixit Pater noſter Abbas Arſenius, de quodam ſene de Scitia, ubi habitabat, qui erat magnus in hac activa vita, ſimplex autem in fide. Et errabat &c.

XLIV. *Item miraculum quod Romæ actum eſt.*

Vid. Joan. Diac. in Vit. Greg. M. l. 2. C. 41.

MAter familias quædam nobilis erat in Urbe Roma, quæ Religionis, & devotionis ſtudio oblationes facere, & die Dominica ad Eccleſiam deferre, Summoque Pontifici, & Eccleſiaſticæ conſuetudinis, & familiaritatis ejuſdem gratia offerre ſolebat. Quæ cum quadam die ex more ad communicandum de manu Apoſtolici ordine ſuo accederet, illique Pontifex offam Dominici corporis porrexiſſet dicens: Corpus Domini N. J. C. proſit tibi in vitam æternam, & remiſſionem omnium peccatorum, ſubriſit. Quod vir Domini cernens illi ſacram communionem retraxit, & ſeparatim ſuper altare poſuit, eamque Diacono ſervandam uſque dum cuncti communicarent Fideles tradidit. Expleta vero ſacra myſteria interrogavit eam B. Gregorius dicens: dic, rogo, dic quid cordi tuo emerſerit, cum communicatura riſiſti? At illa: Recognovi portiunculam illam ex eadem oblatione fuiſſe, quam meis manibus feci, & tibi obtuli, & cum eam te intellexerim corpus Domini appellaſſe ſubriſi. Tunc Sanctus Domini Pontifex ſermonem exinde fecit ad populum, & hortatus eſt eum, ut ſuppliciter Dominum exoraret, quatenus ad multorum fidem corroborandam carnis oculis oſtenderet, quid infidelitas hujus mulieris mentis oculis vide-

re,

re, & Fidei luminibus conſpicere debuiſſet. Quod cum fuiſſet oratum, ipſe una cum populo, & eadem muliere ab oratione ſurrexit, & altare cunctis cernentibus, & ſeſe ad cernendum cœleſte ſpectaculum comprimentibus corporalem pallam revelat, & univerſo populo, ipſaque muliere cernente partem digiti auricularis ſanguine cruentatam invenit, ac mulieri dixit: Diſce inquam, & veritati, vel modo jam credere conteſtanti. Panis quem ego do caro mea eſt, & ſanguis meus vere eſt potus. Sed præſcius conditor noſter infirmitatis noſtræ ea poteſtate, qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus ſibi ex carne ſemper Virginis operante Sancto Spiritu fabricavit panem, & vinum aqua mixtum, manente propria ſpecie in carnem, & ſanguinem ſuum, ad catholicam precem ob reparationem noſtram Spiritus ſanctificatione convertit. Indeque univerſos juſſit divinam precari potentiam, ut in formam priſtinam ſacroſanctum reformaſſet myſterium, quatenus mulieri adſumendum fuiſſet poſſibile. Quod & factum eſt. Unde ſæpe facta mulier plurimum in Sancta Religione, ac Fide perficiens participatione Dominici Sacramenti conſecrata eſt, & omnis, qui viderat, in divino amore, & Orthodoxa credulitate ferventius excreverunt.

Item aliud. XLV.

QUidam nobiliſſimus ſecundum carnis proſapiam, & potentiſſimus juxta regiam in ſuo modo magnificentiam, cum per Internuntios familiaritatem Apoſtolicæ Sedis adeptus eſſet, & frequenti admonitione Epiſtolarum etiam a B. Gregorio tranſmiſſarum inſtructione, erga Dei & Sanctorum cultum ſufficienter fuiſſet imbutus, miſit per ſtrenuos, & devotos miſſos condigna *exenia* ad Sedem Pontificalem, petens Reliquias Beatorum Apoſtolorum, ac Martyrum ſibi tranſmitti. Cujus Legatos Sanctus Apoſtolicus honorabiliter, & gratanter ſuſcipiens aliquandiu ſecum morari fecit, atque indeſi-

nen-

nenter Sanctorum Apoſtolorum memorias, ac martyrum ex more priſco pro hujuſmodi negotio miſſas celebrando, & reliquias in eorum commemoratione conſecrando circumiens, præfatoſque Legatos, & Comites ſemper ſecum habens. Cum explicuiſſet eorum celebrationes, quorum reliquiæ petebantur, particulatim eoſdem pannos conſecratos, ſuper quibus ſancta celebraverat, diviſit, & ſingulis ſingillatim pixidibus impoſuit: Munitiſque eis ſigillo ſuæ ſanctæ auctoritatis petitoribus uſu Eccleſiaſtico tradidit. Qui debita cum veneratione benedictionem petitam, & acceptam ſuſcipientes, profecti ſunt in viam ſuam gaudentes. Sed dum per aliquantos dies regreſſionis ſuæ iter carperent, ei, qui prior cæteris habebatur, quædam ſubripuit curioſitas, dicens ſodalibus ſe ſtulte tanti itineris ſubjiſſe laborem, cum neſcirent, quid pretioſi Domino ſuo refferrent. Pedetentis autem creſcente collatione verborum, ad ſuggeſtionem ſociorum confractis Apoſtolicæ dignitatis ſingulis ſigillis, apertæ ſunt pixides, & in ſingulis ſingulæ panni repertæ ſunt portiunculæ. Moxque cum indignatione Romam regreſſi Archidiaconum adeunt conquirentes: Utquid, inquiunt, Domnus Apoſtolicus tam vili pendit Dominum noſtrum, qui tantam gratiam ſe apud eum obtinuiſſe ſperaverat, quod ſic voluerit illi inludere, & nos dehonorationi, & offenſioni ſuæ addicere? Æſtimavimus ſiquidem nos oſſa Apoſtolorum, vel Martyrum precioſa hinc referre, ſicut decuerat tantum virum, uti Dominus noſter eſt. A tanta nihilominus Sede quæ ſita a tam longo & difficillimo ſatis itinere, & datæ ſunt nobis panni modicæ portiunculæ, ac ſi hujuſmodi panniculi genus apud nos nequiſſet inveniri. Niſi enim cauſæ ſollicitudo ſubveniſſet, ut quod gerebamus cognoſceremus, & ſic ſtolide ad noſtrum Dominum nobis contigiſſet venire, dubium non eſt periculum honoris, & gratiæ ſuæ nos debuiſſe incurrere. Quod Archidiaconus modeſta increpatione redarguit. Cur in tantam præſumptionem eruperint, ut Apoſtolica ſigilla ruperint, hortans nos ut redirent, & quæ acceperant Domino

mino ſuo cum honore deferrent. Sed hi nullatenus monitis ejus adquieſcentes uſque ad Domni Gregorii venerunt præſentiam, factoque comperto, patientiſſime eorum tulit ſtultitiam, eoſque Sacroſanctis Miſſarum ſolempniis præcepit intereſſe. Unde cum ad locum ſui ſermonis eſt ventum, ſuadet populo Dei, & Sanctorum gratiam exorare, quatenus in hac re dignarentur apertiſſime ſic ſuam potentiam patefacere, ut quid mereatur fides, evidentius minus creduli, & ignorantes poſſint cognoſcere. Et data oratione accepit ab eo cultellum, qui temeraverat ſigna, & ſuper altare corporis Sancti Petri acceptam unam panni portiunculam per medium pungens ſecavit. Ex qua ſtatim ſanguis decucurrit, & omnem eamdem particulam cruentavit. Videntes autem ſupraſcripti Legati, & omnis populus ſtupendum, & arcanum Fidei ſacræ miraculum, cecidere proni in terram, adorantes Dominum, & dicentes: Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſrahel ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus Deus. Et facto ſilentio inter alia Fidei documenta dixit ad eos Beatus Gregorius, qui antehac venerandas Reliquias parvi duxerant: Scitote Fratres, quia in conſecratione Corporis, & Sanguinis Domini N. J. C. cum ob ſanctificationem Reliquiarum in honore Apoſtolorum, vel Martyrum ipſius, quibus ſpecialiter adſignabantur ſupra ſacroſanctum altare libamina offerebantur, ſemper illorum ſanguis hos pannos intravit, qui effuſus eſt pro nomine Chriſti D. N. J. Ædificatis in fide cunctis qui aderant, munitiſque iterum pixidibus ſigno ſuo, tradidit eis incomparabilia munera voti ſui. Et cum gaudio reverſi, hæc per ordinem Domino ſuo nunciarent, & ſui deſiderii compotem reddidere. Qui prætioſa Sanctorum patrocinia reverenter ſuſcepit, & honorabiliter in loco venerabili condidit, ubi Deus miracula operari dignatur ad laudem, & gloriam nominis ſui uſque in hodiernum diem.

XLVI. *De Sacramento Calicis quid revelatum ſit Beato Cypriano.*

Vide Edit. op. S. Cypr. pag. 146.

SCribens ſiquidem Beatus Cyprianus ad Cæcilium de Sacramento calicis dicit inter alia : Quoniam quidam vel ignoranter, vel ſimpliciter in Calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando non hoc faciunt, quod Jeſus Chriſtus Dominus, & Deus noſter Sacrificii hujus auctor, & Doctor fecit, & docuit, religioſum pariter, ac neceſſarium duxi de hoc ad vos litteras facere &c.

XLVII. *Qualiter in Domini N. J. C. paſſione myſticum ſit Paſcha abolitum, & in ejus immolatione rei veritas ſit oſtenſa.*

Vid. tom. 3. op. S. Greg. pag. 68.

DIximus in ſuperioribus ſatis de Sacramento Calicis, ſecundum quod B. Cypriano Martyri Dominus revelare dignatus eſt. Supereſt ut nunc de Myſterio Dominici Corporis, noſtrique ideſt novi Paſchæ immolatione qualiter, vel a quibus celebrandum ſit. Sanctiſſimi Papæ Gregorii ſenſum & verba ponamus, ut quod ſub velamine litteræ tegebatur in lege, in Euangelio fiat rei veritate perſpicuum: Paſcha, inquit noſtrum Apoſtolis immolatus eſt Chriſtus. Si igitur Paſcha Chriſtus, penſandum nobis eſt, quod de Paſcha lex loquitur, ut ſubtilius perſcrutantes poſſimus agnoſcere, an de Chriſto dicta videantur. Moyſes quippe ait: Sument de Sanguine Agni &c.

Utrum

Utrum Paſcha iſtud Legitimum poſt anni ſpatium vel poſt longa intervalla dierum, an cotidie a Fidelibus ſit edendum. XLVIII.

PAſchæ autem hujus obſervantiam, ideſt Dominici Corporis, ac Sanguinis perceptionem quibuſdam moris eſt poſt anni ſpatium, quibuſdam verò poſt certa intervalla dierum, quibuſdam quoque quotidie pro cauſarum diverſitate celebrare. Quod tamen magis videtur humanæ ſaluti congruere, ſi pura, & devota mens fuerit accedentium ad tanti myſterii Sacramentum. Panis ſiquidem vitæ Chriſtus eſt, & panis hic omnium non eſt, ſed Fidelium, pieque ſumentium. Sicut enim Deus Pater proprie intelligentium, & credentium pater eſt, ſic Chriſtus Deus, & Dominus noſter Dei filius eorum, qui corpus ejus cum Fide ſuſcipiunt, patris eſt. Quem panem ex ejus præceptione dari nobis cotidie poſtulamus a Patre, ne qui in eo ſumus, & Euchariſtiam corporis ejus cotidie ad Cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti, & non communicantes, & a cæleſti pane jejuni ab ejus corpore ſeparemur, ipſo prædicante, & dicente: Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi, qui ederit de meo pane vivet in æternum; panis autem, quem ego dedero, caro mea eſt pro mundi vita. Quando ergo dicit in æternum vivere, ſi quis ederit de eo pane, manifeſtum eſt eos vivere, qui corpus ejus attingunt, & Euchariſtiam verę communicationis accipiunt. Ita contra timendum eſt, & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparatur a Chriſti corpore, vacuus remaneat a ſalute, communicante ipſo, & dicente: Niſi ederitis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem ejus, non habetis vitam in vobis. Et ideo panem noſtrum, ideſt Chriſtum dari nobis cotidie petimus, ut qui in eo manemus, & vivimus a ſanctificatione ejus corpore non

recedamus. Arſerunt hoc ſemper deſiderio Sancti quiquæ ut hujus panis alimonia Deo viverent, quibus temporalis vita diſpendium, & vivere Chriſtus fuit, e quibus unus venerabilis vitæ Caſſius nomine Narnienſis præſul Eccleſiæ, ut B. Gregorius refert, cum cotidianum ſacrificium offerret, ſeque ipſum inter ipſa ſacrificiorum arcana gratam Deo victimam faceret, mandatum Domini per cujuſdam ſui viſionem presbyteri ſuſcepit dicens: Age quod agis, operare quod operaris. Non ceſſet pes tuus, non ceſſet manus tua. Natali Apoſtolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Qui poſt annos ſeptem ipſo Natalitio Apoſtolorum die cum Miſſarum ſolempnia peragiſſet, & myſteria ſacræ Communionis accepiſſet, e corpore exivit.

XLIX. *Quantum ſacra oblationis immolatio Mortuorum Spiritibus proſit.*

SEd quid mirum ſi humani generis verum hoc, & ſingulare præſidium in corpore manentibus Fidelibus, & Deo caris ad præſentem, & perpetuam opitulatur ſalutem, quando illud ipſi etiam mortuorum Spiritus a viventibus petunt, & ſigna indicant, quibus per hoc abſoluti eſſe videantur? Teſtatur ſiquidem ſæpe dictus Sanctiſſimus Papa Gregorius ſuo tempore fuiſſe quemdam ſanctæ converſationis Sacerdotem, cui conſuetudo fuerat in loco in quo aquæ calidæ vapores nimios faciunt, quotiens neceſſitas poſtulabat, lavandi cauſa venire &c.

Vide S. Greg. Dialog. lib. 4. in fin.

L. *De quodam Monacho, qui per ſalutarem hoſtiam ſupplicium evaſit.*

SEd quia ad commendandam virtutem Dominici Corporis de B. Gregorii Dialogo aliqua jam Capitula huic libello inſerenda putavimus, non abs re eſt, ſi pau-

ſi pauca, quæ reſtant, præteritis fidem facientia connectamus. Corroborat enim maxime Fidelium ſpem de divini ſemper judicii metu ſollicitam quod præfatus Beatiſſimus Papa Gregorius ſe præſente aſſerit in ſuo Monaſterio contigiſſe. Quidam namque Monachus Juſtus nomine, arte medicus &c.

De quodam, cujus vincula in captivitate oblato peracto ſacrificio ſolvebantur. LI.

Vide ibid. S. Greg.

NOn longe a noſtris fertur temporibus factum, quod quidam ab hoſtibus captus longe tranſductus eſt &c.

De quodam nauta, qui poſt longa maris diſcrimina Dominici virtute Sacramenti mortem evaſit. LII.

AGatho etenim Panormitanus Epiſcopus, ſicut fideles mihi, Religioſique viri multi teſtati ſunt &c. *Vide ibid. S. Greg.*

Hæc exempli gratia dicta ſunt, ut cuncti liquido cognoſcant, quia ſi inſolubiles culpæ non fuerint, ad abſolutionem prodeſſe etiam mortuis victima ſacræ oblationis poſſit.

Quibus immolatio Dominici Corporis mortuis proſit. LIII.

SEd ſciendum eſt, quia illis victima mortuis prodeſt, qui hic obtinuerunt vivendo, ut eos etiam poſt mortem bona adjuvent, quæ hic pro ipſis ab aliis fiunt. Inter hæc autem penſandum eſt, quod tutior via ſit, ut bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi

per alios, agat ipſe, dum vivit, per ſe. Beatius quippe eſt liberum exire, quam poſt vincula libertatem quærere. Debemus itaque præſens ſæculum, vel quia jam conſpicimus defluxiſſe, tota mente contempnere. Cotidiana Deo lacrymarum ſacrificia, cotidianas carnis ejus & ſanguinis hoſtias immolare. Hæc namque ſingulariter victima ab æterno interitu animas ſolvit, quæ illam nobis mortem Unigeniti per myſterium reparat. Qui licet ſurgens a mortuis jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur, in ſe ipſo immortaliter, atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus ſumitur, ejus caro in populi ſalutem partitur, ejus ſanguis non jam in manibus Infidelium, ſed in ora Fidelium funditur. Hinc ergo penſemus quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quo pro abſolutione noſtra paſſionem Unigeniti Filii ſemper imitamur. Quis enim Fidelium habere dubium poſſit in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri? In illo Jeſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe? Summis ima ſociari? Terram cœleſtibus jungi? Unum quidem ex viſibilibus, atque inviſibilibus fieri? Sed neceſſe eſt, ut, cum hæc agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus, quia qui Paſſionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari, quod agimus. Tunc ergo vera pro nobis Deo Hoſtia erit, cum nos ipſos Hoſtiam fecerit. Sed ſtudendum nobis eſt, ut etiam poſt orationis tempora in quantum Deo largiente poſſumus, in ipſo animum ſuo pondere, & vigore ſervemus, ne poſt cogitatio fluxa diſſolvat, ne vana menti lætitia ſubrepat, & lucrum compunctionis anima per incuriam fluxæ cogitationis perdat. Dum autem per indulti temporis ſpatium licet, dum judex ſuſtinet, dum converſionem noſtram is, qui culpas examinat, expectat, conflemus in lacrymis duritiam mentis, formemus in proximis gratiam benignitatis, & fidenter dico, quia ſalutari hoſtia poſt mortem non indigebimus, ſi ante mortem Deo hoſtia ipſi fuerimus.

Qua

Qua Diſciplina; qua modeſtia orandum ſit, cum Sacerdos ſacrificat, & unuſquiſque in ſuo ordine horam ſacræ Communionis expectat. LIV.

POſtquam in ſuperioribus de Sacramento Dominici corporis, & Sanguinis plura jam diximus, conſequens eſt, ut qua reverentia, quove more, quantave diſciplina, cum Sacerdos ſacram immolat hoſtiam, divinis nos oporteat intereſſe myſteriis, & percipiendæ ſacroſanctæ Euchariſtiæ horam ſuſtinere, ſicut nobis noſtri tradidere majores, & a Sanctiſſimis Domini Sacerdotibus, Cyprianum dico, atque Ambroſium, edocti ſumus, qui in ſuis hoc ſcriptum reliquere libris; in fine hujus libelli de multis pauca ponamus. Quorum unus Cyprianus ſcilicet: Quando inquit, in unum cum Fratribus convenimus, & ſacrificia divina cum Dei Sacerdote celebramus, verecundiæ & diſciplinæ memores eſſe debemus. Non paſſim ventilare preces noſtras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeſte Domino tumultuoſa loquacitate jactare, quia Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt. Nec admonendus eſt clamoribus, qui cogitationes videt. Sit autem orantibus ſermo, & precatio cum diſciplina, quietem continens, & pudorem. Cogitemus nos ſub conſpectu Dei ſtare. Placendum eſt Divinis oculis, & habitu corporis, & modo vocis. Nam ut impudentis eſt clamoribus ſtrepere, ita magis congruit verecundo modeſtis precibus orare &c. *Reliqua vide ap. S. Cypr. lib. de Orat. Dominica.*

LV. *Quid cavendum in Oratione ſit, & qualiter faciendæ preces.*

Beatiſſimus quoque Præſul Ambroſius, pretioſum divini eloquii organum, locum illum Sancti Euangelii exponens, quo Dominus in cubiculo orandum præcipit, quam caute, quave diſciplina ſint imploranda præſidia ſatis luculenter indicat: Cubiculum, inquit, tuum mentis arcanum, animique ſecretum eſt. In hoc cubiculum tuum intra, hoc eſt intra in alta præcordia &c.

Reliqua vide ap. S. Ambr. t. 1. l. 1. de Abel & Cain. Cap. 9.

LVI. *Cyprianus ad Clerum de precando Deum.*

Cyprianus Presbyteris, & Diaconibus fratribus ſalutem. Quamquam ſciam Fratres Kariſſimi, pro amore, quem ſinguli debemus Deo &c.

Vide Ep. 8. S. Cypr.

LVII. *Quod etiam in exteriori cultu ſacroſanctum Dominici altare ornandum ſit.*

Myſterium altaris in primordiis Eccleſiæ non tam frequenter, uti nunc celebratur, tamen quanto rarius, tanto religioſius agebatur. Tempore namque priorum Patrum illis injungebatur, ut Euſebii refert Hiſtoria, ſacrificandi officium, qui naturali ſimplicitate fulgebant, juxta illud: Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Ad quod myſterium qui participare debebant, diſcalceatis pedibus accedebant, propter illud, quod Moyſi, & Joſue præceptum eſt: Solve calceamentum de pedibus tuis, terra enim, in qua ſtas, terra ſancta eſt. Sanctus quoque Pachomius piſtoribus præcepit, ut cum oblationes coquerent, ſalutaria meditarentur, nihil vane loquentes. Cum ergo hoc in Monaſterio Tabenenſe quadam

dam vice violaretur, ſtatim Pachomio divinitus revelatum eſt. Qui protinus Theodorum mittens negligentiam hanc, velut divini præcepti tranſgreſſionem emendari juſſit. At nunc valde quidem frequentius, ſed quod nimis dolendum eſt, multo negligentius frequentatur. Quam ſcilicet negligentiam, & ipſa Eccleſiæ facies, & ipſa vaſa altaris, ſed & linteamina, ſeu quælibet cætera, quæ ad uſum Dominicæ ſervitutis pertinent, manifeſte demonſtrant. Non neceſſe eſt ſingula ſingillatim prodere. Satis patet quæ ſtudioſius ſacerdotes colunt, quæ ſua ſunt, an quæ altaris. Sed nimirum cum Karitas, quæ plenitudo legis eſt, ne tota jam refriguit, quomodo in ſacrificando tanta continuatio perſeverat, niſi quia malignus hoſtis in hoc ſacrificantibus non contradicit, in quo magis eos gravari novit. Neque enim Judam vetuit Euchariſtiam ſumere; ſcivit enim, quia ſicut a devotis per illius myſterii perceptionem ejus fraus compeſcitur, ſic in his, qui hanc indigni percipiunt, licentius graſſatur. Contra illos etenim, qui exteriorem gloriæ cultum negligunt Dominus per Malachiam quæritur dicens: O vos Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis: in quo? In hoc deſpicitis nomen meum, offerentes ſuper altare meum panem pollutum, & dicitis: Menſa Domini polluta eſt. Polluunt Sacerdotes panem, ideſt corpus Chriſti, quando indigni accedunt ad altare. Menſam verò deſpectam licet verbis non dicant, tamen cum ipſi exteriorem ejus cultum non ornant, eam etiam Laicis deſpicabilem faciunt, quoniam carnalium ſenſus deeſſe putant Sanctimonia divinæ virtutis, ubi deeſſe vident ornatum ambitionis.

LVIII. *Quod nihil ſuper altare ponendum ſit præter ſacroſancta oblatio.*

EST Eccleſia Beatæ Vualburgis in qua miracula fieri ſolebant. Contigit autem aliquando, ut ejuſdem Sanctæ Vualburgis Reliquiæ ſuper altare per aliquot dies manerent, ſed mox miracula ceſſaverunt. Tandem vero ipſa Virgo cuidam ex infirmis apparens; Idcirco, inquit, non ſanamini, quia Reliquiæ meæ ſunt ſuper altare Domini, ubi majeſtas divini Myſterii debet ſolummodo celebrari. Quod cum ille cuſtodibus referret, tulerunt capſam, & protinus miracula fieri cœperunt. Si igitur ob illius myſterii reverentiam nec ipſa ſua pignora Sancti volunt propius vicinari, quid cenſendum eſt de immunditiis?

LIX. *Quod pro homicidis, & Latronibus non eſt ſacrificandum.*

IN ea via, quæ Alvernenſis Monaſterii ducit ad forum, eſt Eccleſia S. Petri, quæ dicitur ad Salas, in cujus vicinia manebat quidam Latro, qui duos itinerantes, quos hoſpitio ſuſceperat, ſpoliare volens, nocte interficere temptavit, ſed illi prævalentes interfecerunt eum, cumque ſepeliendus ad Eccleſiam deferretur, ſacerdos pro eo Miſſam celebrare cœpit. Cum ergo ad verba conſecrationis Dominica venire deberet, terribilis ſonus in tecto Eccleſiæ percrepuit, & altare uſque ad radices ſciſſum eſt. Sicque Sacerdos cum omnibus ingenti pavore perculſus fugit, & pro Apoſtata ſacrificare ceſſavit. Hoc autem contra eos dictum ſit, qui pro ſceleratis ob gratiam eorum ſe oraturos pollicentur.

De

De his, qui eleemoſynam tribuunt, & peccata non dimittunt. LX.

QUi ita eleemoſynam tribuit, ut culpam non dimittat, animam non redimit, quam a vitiis non compeſcit. Hoc ille Heremita ſuo facto probat, qui cum multis virtutibus cum quodam ſuo collega deſerviſſet, hæc illi per Diabolum injecta cogitatio eſt, ut quandocumque libidine titillaretur, ſic ſemen detritu genitalis membri egerere deberet, ut tamquam flegma de naribus projiceret. Qui ob id, & Dæmonibus moriens vidente ſocio traditus eſt. Cum quidem iſdem ſocius reatum ejus ignorans, ſed exercitia virtutum recolens pene deſperavit dicens: O quis poterit ſalvus eſſe, quando iſte periit? Cui mox Angelus adſtans dixit: Ne turberis. Iſte enim licet multa fecerit, tamen per illud vitium, quod Apoſtolus vocat immunditiam, cuncta fędavit. De quo Propheta ait: Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Siquidem tale aliquid noſtro tempore contigit, quod ne ſui novitate vileſcat, conſiderandum eſt.

Stupendum nimis de quodam Presbytero. LXI.

QUidam namque presbyter in Pago Abitincatino de continentia deſperaverat. Hic per novem vices Romam adiit a B. Petro ſcilicet impunitatem ſceleris quaſi propter frequentem loci viſitationem ſperans promereri; quamvis enim peccatum deſerere nollet, tamen vehementer timebat, quoniam iſte mos eſt pravorum, ut licet in culpa ſuperbiant, licet prava foras audacter faciant, in corde tamen trepidare coguntur, ut ipſe timor ſit aptus teſtis dampnationis. Unde Adam poſt culpam ad latibulum fugit, ſed tamen etiam timens fugit, multum timuit, quia Deo duriter reſpondit.

dit. Hic ergo timens quaſi Religionis obſequium deſerebat. Sed ut Deus oſtenderet, quod ſatisfactionem niſi pro his peccatis, quæ deſeruntur, non recipit, cum rediret nona vice, & quaſi ſecurior concubitum repeteret, ita divino judicio miſer interiit, ut cum ſemen effunderet, animam pariter exhalaret, ſicut infelix mulier perhibuit.

LXII. *Quod qualiſcumque Sacerdotis excommunicatio valde formidanda ſit, nec adtendendum cujus meriti ſit, ſed cujus auctoritate hoc facit, etiamſi injuſta videtur, quod abſit, excommunicatio.*

CUm ante hos annos Sancti Andreæ ſolepnitas in prima Dominica Dominici Adventus concurriſſet, quidam Sacerdos Pagenſibus ſuis utraſque Miſſas audire præcepit. Inter quos erat medicus, qui audita prima Miſſa diſceſſit. Quem cum Sacerdos increpaſſet, dure ei reſpondit. At ille excommunicavit eum. At vero iratus medicus ad ſuam Domum diſceſſit, & in contemptum excommunicationis mox potum accepit, atque protinus vexari cœpit, quouſque animam exhalaret.

LXIII. *Laudabile nimis exemplum glorioſi Theodoſii Imperatoris.*

THeodoſius famoſus Imperator quadam vice a quodam Monacho, qui, ut credo, non bene compos mentis ſuæ erat, pro quadam ejus querela, quam non ſtatim expedierat excommunicatus eſt. Et Monachus quidem excommunicatione in petatio deſcripta,

& quo

& quo ab Imperatore inveniri poſſet projecta, diſceſſit. At Imperator non illum gyrovagum, ſed cœleſtem potius Regem, cujus auctoritate ſolet excommunicatio fieri in cauſa conſiderans, prandere nullatenus, cum quidem incumberet hora, præſumpſit. Multiſque Epiſcopis coram adſtantibus, etiam illo Epiſcopo, ad cujus Diœceſim prædictus Monachus pertinebat, licentiam dantibus, cogi non potuit, ut aliquid guſtaret. Donec Monachus diu multumque quæſitus, & aliquando repertus Imperatori licentiam daret.

Item aliud exemplum nimis pavendum. LXIV.

LEgimus in Hiſtoria gentis Anglorum quod quidam Epiſcopus duos Fratres palatinos viros pro repudio uxorem excommunicavit. Contigit autem, ut Rex ipſius gentis juxta domum ipſorum tranſiret. Qui multis blandimentis delinitus, ut apud eos ad prandendum diverteret, tandem conſenſit. Expleto autem convivio cum rediret, obviavit Epiſcopum, qui fratres illos excommunicavit, quem cum vidiſſet, intremuit, & exiliens de equo in media, ut erat, via, proſtravit ſe Epiſcopo. At ille appropians ad eum ferula, quam manu tenebat, tetegit dicens: O Rex non meum eſt ignoſcere tibi, quia contra Deum feciſti, quando te excommunicatis ſcienter ſociaſti. Idcirco iſta ſententia eſt de te: Hoc anno mori habes in domo ipſa, in qua excommunicationem contempſiſti. Quod factum eſt, ſicut ibi legitur. Ecce Rex non potuit hunc reatum niſi moriendo expiare. Ecce Epiſcopus nec proſtrato Regi in pulvere potuit ignoſcere. Ex his ergo colligendum eſt, quia nec ipſe Epiſcopus, cujus excommunicatio contempnitur, ſine graviſſima pœnitentia hujuſmodi facinus ignoſcere poteſt.

Quan-

LXV. *Quanta reverentia Epiſcopali Cathedræ ſit habenda. De Domno Petro Alexandrino Patriarcha.*

HUic inſtante Paſſionis articulo Chriſtus per ſomnium nimio ſplendore fulgens apparuit, indutus videlicet colobio nimis candidiſſimo, ſed uſque ad pedes ſciſſo; quod tamen colobium ambabus manibus ad pectus ſuum ſtringebat, nuditatem ſuam quodammodo operiens. Quem Chriſtum eſſe Petrus intelligens cum ingenti horrore attonitus ait: Mi Domine, Domine, quis hoc fecit? At ille ait: Anius mihi hoc fecit. Hic ergo Petrus tempore Epiſcopatus numquam in Cathedra ſua ſedere voluit, ſed ſuper ſcabellum ipſius Cathedræ reſidebat. Propter quod frequenter Clerus, & populus contra eum querebantur, ſed nequaquam adquieſcebat, quoniam quoties thiſiaſterium aſcendebat, ſplendor igneus de ipſa Sede egrediens ei apparebat. Cujus aſpectu ita vir Sanctus accendebatur, ut neſciret ſe interdum eſſe in corpore. Cum autem quadam ſolempnitate Clerus, & Epiſcopi, qui aderant, de prædicta ſeſſione quererentur, ille coactus eſt jam celare non valens. Cur, inquit, affligitis cor meum? An non videtis virtutem igneam, quæ emicat in ſolio ipſo, & Spiritum coruſcare non cernitis? Cumque omnes demiſſo capite tantam rem audientes conticuiſſent, ille ſubjuncxit: Credite mihi filioli, ſi videretis, quæ video, tunc agnoſceretis, qualis eſt Sacerdotalis virtus, & qualis gratia in ipſis habitat, ad cujus majeſtatis præſentiam ego territus in eadem Cathedra ſedere non audeo. Quo exemplo, ſi bene conſideretur, cum hinc admodum contemptores terreri poſſent, tum quoque ipſi ſeſſores non mediocriter contremiſcunt.

Quam

Quam grave peccatum ſit ſacra loca temerare, vel aliqua ſorde polluere. LXVI.

QUidam vanus nomine Ratherius ad quoddam Monaſterium metu inimicorum confugerat, qui in Cella, quæ Eccleſiæ adhæret, nocte dormiens cum uxorem ſuam cognoſcere temptaret, ita ſicut canis ei adhæſit, ut nullatenus ab ea divelli poſſet. Cum igitur ita tunc ſe teneri ſenſiſſet, ſubclamavit. Rumor ſublatus increbuit. Accurrerunt omnes. Illi tam motu, quam verecundia confuſi Monachos vocari facere. Quanta potuerunt munera loco Sancto dedere. Cum diu a Monachis eſſet oratum, dimiſſi ſunt. Sicut autem ipſa res edocet, complexus conjugum, quia licitum erat, temporaliter punitus eſt ob inlicitam ſacri loci, ubi gerebatur, præſumptionem. At vero inceſtorum reatus in ſanctis locis patratus ob hoc in præſenti minime plerumque plectitur, quia tantus eſt, ut non tranſitoria, ſed æterna ultione feriri debeat. E contra vero quantum ſacrati loci reverentia proſit, hoc ſaltem valet exemplo pervideri.

De quodam Latrone in Cęmeterio S. Joannis Apoſtoli. LXVII.

QUidam Rex Langobardorum, ſicut in ejus gentis Hiſtoria legitur, in cęmeterio cujuſdam Eccleſiæ S. Joannis ſepeliri ſe fecit, hæreticus tamen perſeveravit. Cujus tumulum quidam fur effringens, ornamenta, cum quibus Rex ſepultus fuerat, aſportavit. Eidem vero S. Joannes per viſionem dixit: Cur auſus es corpus iſtius hominis contingere? fuerit licet non recte credens, mihi tamen ſe commendavit. Quia igitur hoc facere præſumpſiſti, numquam in meam Baſilicam ingreſſum deinceps habebis. Quod ita factum eſt. Quotieſcum-

tieſcumque enim voluiſſet B. Joannis oraculum ingredi, ſtatim velut a validiſſimo pugili guttur ejus feriretur, ſic ſubito retro ruebat impulſus. Si ergo pro reverentia ſancti loci contra violatorem ſepulcri illius hæretici S. Joannes indignatus eſt, quantum putas & Deus, & Sancti ejus iraſcuntur adverſus quemquam, qui ſancta loca quolibet modo commaculat?

LXVIII. *Incipit Epiſtola Auguſtini ad Auxilium Epiſcopum pro cauſa injuſtæ excommunicationis.*

Vide int. Opera S. Aug.

LXIX. *Item capitula ad eamdem rem pertinentia B. Auguſtinus.*

LXX. *De Sacramento Baptiſmatis B. Ambroſius.*

Vid. ap. D. Ambr. Tom. 4. l. 1. de Sp. Sancto, c. 3.

UBi non eſt plenum Baptiſmatis Sacramentum, nec principium, vel ſpecies aliqua Baptiſmatis æſtimatur &c.

Definitio brevis de Euchariſtia.

ACcepit itaque Chriſtus carnem noſtram non fantaſticam, ſed naturalem, ergo & noſtra caro naturalis, unde ſumpta eſt illa. Sed & illa naturalis, quæ uniret utraſque, & faceret connaturales connaturalis & ipſa. Sed, ut ait quidam Sapiens, non ob hoc plures carnes, vel corpora, ſicut nec multa ſunt ſacrificia, ſed unum licet offeratur a multis per loca diverſa, & tempora. Quia divinitas Verbi Dei, quæ una eſt, & omnia replet, & tota ubique eſt, ipſa facit, ut non

non ſint plura ſacrificia, ſed unum, licet a multis offeratur, & ſit unum Corpus Chriſti cum illo, quod ſuſcepit de utero Virginali. Vere etenim, & incunctanter credendum in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis precem cœlos aperiri, & illud Angelico miniſterio in ſublimi deportari altari, quod eſt ipſe Chriſtus, qui & Pontifex, & Hoſtia, contactuſque illius unum fieri. O quales, ut ait S. Baſilius, oportet Sacerdotis eſſe manus tantarum rerum miniſtras, quæ communem Dominum Angelico iterum revecto offitio ſubinde contigerunt!

F I N I S.

Digitized by Google

ÆNEÆ SILVII PICOLOMINEI

Epiſcopi Senenſis,

Qui poſtea ad Pontificatum Maximum evectus PIUS II. appellatus eſt,

ORATIO HABITA

Coram CALLISTO Papa III.

De Compactatis Bohemorum.

IN ÆNEÆ SILVII
Orationem
De Compactatis Bohemorum.

QUid ſint *Compactata Bohemorum*, ſuperfluum pęne foret heic oſtendere, quum Æneas Silvius in hac ipſa Oratione, quam evulgamus, rem dilucide pro ſuo more exponat. Nihilominus Lectores non pigebit audire & a nobis pauca. Ex quo Huſſitarum Hæreſis in Exordio Seculi XV. totam ferme Bohemiam invaſit, nulla vincendi erroris, nulla pacandæ gentis illius patuit via uſque ad Baſilienſis Concilii tempora. Porro illuc advocati Bohemi, & rationes concordiæ ineundæ a Patribus propoſitæ. Exſtat autem in Editione Freheriana Hiſtoriæ Bohemicæ Æneæ Silvii poſt Cap. 50. & Tom. XII. Concil. edit. Labbeanæ Pag. 442. *compendioſa Enarratio, quomodo Bohemi vocati productique ſint ad Baſileenſem Synodum, & quid illic egerint* &c. Leguntur & in eadem Conciliorum editione Acta alia ac monumenta ad hanc ipſam rem ſpectantia. Tamdem vero, hoc eſt Anno 1433. prid. Kal. Decembris percuſſa fuere Pacta quædam, per quæ ad Catholicam communionem rurſus admiſſa eſt Bohemorum gens. Eorum compendium ab Ænea noſtro exhibetur in Hiſtoria Bohemica Cap. 52. his verbis: *Bohemis ac Moravis Eccleſiaſticam unitatem pacemque complectentibus, ſeque in ceteris omnibus (præterquam in uſu Communionis utriuſque ſpeciei) univerſali Eccleſiæ Fidei ritu conformantibus auctoritate D. N. J. Chriſti, & Eccleſiæ Sponſæ ſuæ, ſub duplici ſpecie, panis ſcilicet ac vini, his qui conſueviſſent divinæ Euchariſtiæ communicare licebit. An id vero ex præcepto Dei fieri debeat, generale Concilium Baſileæ congregatum definiet* &c. Integra verò Pacta una cum aliis ad hanc Bohemorum controverſiam ſpectantibus habes apud Cl. V. Gotifre-

dum Guillelmum Leibnizium in Mantiſſa Codicis Jur. Gen. par. 2. pag. 138.

Itaque *Compactata* deinde appellata ſunt ea Pacta, quorum tamen modicus progreſſu temporis ſucceſſus fuit, tum quod Sedes Apoſtolica ab iis confirmandis ſemper abſtinuit, tum etiam quod ipſi Bohemi *Compactatis* abuti cœperunt, neque leges a Concilio præſcriptas obſervare ſolebant. Anno 1448. quum Johannes S. Angeli Cardinalis Apoſtolica Legatione in Bohemia fungeretur, inſtiterunt Huſſitæ, ut veteres pactiones firmarentur. At Cardinalis, Cochlæo teſte in Hiſt. Huſſitar. Lib. 10. reſpondit: *Quod de Compactatis, quia eſt res ardua, & gravis, nondum deliberavit, ſed quod deliberare intendit cum conſilio terrigenarum*: Sub Calliſto III. Pontifice Maximo id quoque negotii datum Æneæ Silvio Epiſcopo Senenſi a Friderico Imperatore, & Ladislao Bohemiæ & Hungariæ Rege, ut apud S. Sedem proſequeretur *Compactatorum* confirmationem, unde ſperanda erat Bohemiæ ac Moraviæ quies. Impigre & heic ſe geſſit Æneas; atque hinc illi nata Oratio, quam nunc producimus, & quam putamus Romæ habitam An. Ch. 1456. & quod excurrit, quum illuc ab Imperatore miſſus nondum in Sacrum Collegium Cardinalium cooptatus fuiſſet.

Ceterum poſtquam & ipſe Æneas Silvius ad Pontificatum Maximum conſcendit, Pius deinde Secundus appellatus, ad eundem inſtituta fuit Bohemici Regis atque Huſſitarum legatio, eaque occaſione iterum de *Compactatis* confirmandis actum eſt. Quæ in publico Cardinalium Senatu reſponderit Pius, a Jacobo Papienſi Cardinali referuntur in Comment. Lib. 6. & ab Odorico Raynaldo in Annal. Eccleſ. ad An. 1462. num. 15. apud quem & alia habentur in hanc rem legenda. Quod eſt ad Orationem noſtram, optandum eſſet, ut ſimilia plura exſtarent, atque evulgarentur; quippe hæc non minus ad Hiſtoriam eorum temporum, quam ad Theologiam, Diſciplinamque elucidandam ſummopere conducunt. Tu Lector accipe ac fruere.

ÆNEÆ

ÆNEÆ SILVII PICOLOMINEI

Epiſcopi Senenſis,

Qui poſtea Pontificatum Maximum adeptus PIUS II. appellatus eſt,

ORATIO HABITA

Coram CALLISTO Papa III.

De Compactatis Bohemorum.

RES Bohemicas ad te hodie perfero, Beatiſſime Pater, res barbaras, res obſcuras, ac perplexas nimis, non tamen indignas tuis auribus. Siquidem ſalus animarum in his quæritur, & maximi Principes eam promovent, *Divus Fridericus Romanorum Imperator*, & patruelis ejus inclytus *Hungariæ*, ac *Bohemiæ Rex Ladislaus*, qui Regnum Bohemicum paterno jure, atque avito poſſidet: Itaque cupiunt ambo regionem illam pacatam eſſe, ac cum Sancta Eccleſia concordem. Quum enim longo jam ævo ſeorſum ab Eccleſia Catholica gens Bohemica vixerit, optat uterque Princeps, te illum eſſe Pontificem, qui ſuo tempore nobiliſſimum, atque ampliſſimum Regnum reliquo Chriſtianitatis annectas corpori. Digna profecto res, in qua tua Beatitudo nervos intendat ſuos. Nec fortaſſe negotium eſt, quod diligentius iſto jam curare oporteat, ſi quemadmodum oſtenſio eſt, contra Turcos arma paramus. Niſi enim res domi quieſcant, non eſt tutum pugnare foris. At

Regnum Bohemiæ in medio nationis Germanicæ ſitum, & undique cinctum Theutonibus, quamvis quieſcere nunc, & pacem cum vicinis habere videatur, non tamen plena ſecuritas eſt, niſi res Eccleſiaſticæ componantur. Huc accedit infinitarum pęne animarum perditio, quæ ſingulis diebus e corporibus commigrantes catervatim in gehennæ mancipium deferuntur; eſt enim maxima pars Regni Bohemiæ extra tuam obedientiam, extra Eccleſiam Dei, extra arcam Domini, extra quam non eſt ſalus regnante diluvio. Cogitandum eſt igitur de tanti Regni ſalute, ſtudendum eſt, ne filii Eccleſiæ pereant, ne filia, quæ poteſt eſſe dilectiſſima, matris ultra complexus fugiat, ne gens fortiſſima Bohemorum aberret amplius. Atque hoc eſt, quod Imperator, quodque Ladislaus ex te ſumma prece depoſcunt. Quomodo autem, & quibus conditionibus quærenda ſit hujus Regni reductio, non eſt eorum tuæ Sanctitati præſcribere. Tu patris es loco, & matris, tu Magiſter, tu medicus populi Chriſtiani, Dominici gregis Paſtor. Tuum eſt cogitare, quibus artibus, quibus promiſſionibus aberrantes filios ad te revoces. Novit providus pater, abeunti filio quo ſupercilio ſit obviandum; novit pia mater, quo lacte nutriat faſtiditum infantem; novit cautus Magiſter, qua manſuetudine retrahat alienatum diſcipulum; novit eruditus Medicus, ægroto quæ medicina conveniat; novit bonus paſtor, quæ ſuis armentis ſalubria ſint paſcua. Nec te fugit, quibus blanditiis, quibus ſponſionibus allicienda ſit natio Bohemorum. Illud certum eſt, quia nihil omittere convenit, propter quod iſti populo ſalubriter conſulatur, idque quo pacto peragas, tuo graviſſimo judicio remittunt & Cæſar, & Ladislaus. Hoc tantum quærunt, ut tandem Bohemicum Regnum Romanæ concilietur Eccleſiæ, & nunc potiſſime, quando hujus Provinciæ fortiſſimis viris contra Turcos egemus. Ceterum quia de tollenda Bohemiæ labe curam gerimus, duo principaliter nobis exponenda ſunt. Alterum quomodo Regnum hoc labefacta-

factatum ſit ; alterum quo pacto purgari, & ad priſtinam poſſit reduci ſanitatem. Atque in his duobus tota noſtra conſumetur Oratio.

Florentiſſimum enim olim hoc Regnum fuit, eorum qui ſunt in Occidente, Potentatuum nulli cedens. Sub *Carolo* autem ejus nominis *Quarto Romanorum Imperatore* ad ſummum venerat. Inæſtimabiles illic opes erant, incredibiles deliciæ, potentiſſimi Nobiles, honoratiſſimi Sacerdotes, Urbes munitiſſimæ, Palatia nedum Magnatum, ſed mediocrium Civium ad Regalem magnificentiam faſtigiata, Templa, & Monaſteria ſupra quam dici queat ornata, & opulenta argenti inexhauſto munere, mercatura prædives, ſplendida militia, Schola Philoſophiæ nobilis, quaſi Reginarum ita Matronarum habitus. Sed caduca ſunt omnia ſub Luna ; nulla potentia longa, prona eſt ignominia ſequi gloriam. Cecidit alta Bohemorum ſuperbia. Non tamen externa manu concuſſa eſt, nulli vicinorum datum eſt has opes evertere. Ipſa ſibi manus conſcivit Bohemia : non tulit ſe ipſam gens elevata nimis. Nam quum pax divitias, divitiæ ſuperbiam, luxumque peperiſſent, ſævire fortuna, ac miſcere omnia cœpit. Sub *Venceslao*, *Caroli filio*, Rege vinoſo, & admodum deſide, paulo ante Conſtantienſe Concilium ſurrexerunt in Bohemia viri peſtiferi, pſeudoprophetæ, qui non ferentes otium Regni, & florentem rerum ſtatum, ſummo ſtudio conati ſunt Apoſtolicam Sedem, & omne Sacerdotium in commune odium trahere. Neque fefellit eos opinio, nam magiſtri prurientibus auribus facti, quum Sacerdotes inique poſſidere divitias prædicaſſent, tum crimen illud eis impinxerunt, quia neceſſariam Communionem Calicis plebi ſubtraherent. Populi vero ſimplices, & avari ſuapte natura ſub ſpe magni lucri, & varia religione decepti, a nitore noſtræ Religionis, & puritate fidei facile receſſerunt. Divinum enim Euchariſtiæ Sacramentum ſub ſpecie panis, & vini petentes, quum non obtinerent, in Chriſtos Domini manus injecere, alios occiderunt, alios mutilarunt, alios in exilium expulerunt, bona Ec-

cleſiarum invaſerunt, divinas ædes incenderunt; Nobilitatem quoque crudeliter perſequuti, quæ facta eorum abhorrere videbatur, omne Regnum cędibus, rapinis, atque incendiis oppleverunt. Princeps autem hujus hæreſis, ac ſeductor Bohemici populi habitus eſt *Johannes Hus*, qui *Johannes Anſer* appellari poteſt, obſcuro locó natus, lingua promtus, & aſtu præditus, præter ſophiſmata quædam Dialectica, & lecturam Biblicam, ac *Johannis Wicleff* Anglici damnata volumina, paucis imbutus literis. Quem qui ſequuti ſunt, Huſſitarum nomen acceperunt. Et in Bohemia quidem Civitates, & villæ univerſæ (paucas adimo) in errorem Huſſitarum prolapſæ ſunt. Nobilitas fere omnis in Fide permanſit. Contra in Moravia actum eſt; errantibus Nobilibus, plebes in ſanitate Religionis perſtitere. Sed horum conditio dura & aſperrima fuit, quorum multi pro legibus paternis, & integritate Religionis periere, inter Chriſtianos facti martyres, quum Hæreticorum quotidianis urgerentur inſultibus. Interea magna Synodus apud Conſtantiam Alamannorum Urbem congregata eſt, ad quam vocati *Johannes Hus*, de quo paulo ante mentionem fecimus, & *Hieronymus* ejus diſcipulus, vir facundus, & doctus, ſed ſpiritu perverſitatis imbutus, dum ſua pertinaciter ingerere, quam aliena humiliter diſcere volunt, igne cremati ſunt. Cinis eorum clanculum raptus, & in Bohemiam vectus juxta Martyrum Reliquias venerationem obtinuit. Poſthæc arma cum Bohemis tentata. Sæpe Sigiſmundus Imperator, ſæpe alii Theutoniæ Principes adverſus Bohemos duxere procinctum. Cardinales quoque ex hac Curia miſſi numeroſas militum copias in Bohemiam duxere. Sed qualis reditus fuerit, pudet dicere. Non tam fœda Xerſis e Græcia refertur fuga, quam turpes, & ignominioſas noſtrorum exercituum ex Bohemia regreſſiones vidimus. Fugerunt noſtri nemine perſequente, & repleta bonis omnibus caſtra, quos numquam viderant, hoſtibus reliquerunt. Et quamvis aliquando Bohemos quoque belli fortuna deluſerit,

num-

numquam tamen tanta clades illata Bohemis eſt, quam recepta major ab his fuerit. Interceſſit deinde Baſilienſe Concilium. Huc Legati Bohemorum accerſuntur, oblata facultate quæcumque voluerunt & dicendi, & diſputandi; nam querimonia eorum erat, quod inauditi per Conſtantienſe Concilium damnati fuiſſent. Quatuor tunc notiſſimi articuli per Bohemos recipiuntur, quos Regni nomine tueri volunt. *De prædicatione verbi Dei*, quam nulli prohibendam arbitrabantur. *De peccatis publicis*, quæ nuſquam permittenda quamcumque ob cauſam exiſtimabant. *De Dominio civili Cleri*, quod interdictum aſſerebant. *De Communione Calicis*, quam Laicis etiam neceſſariam, & de præcepto Domini, judicabant. Diſputatum eſt ſuper his quinquaginta diebus; Sed noluerunt vinci Bohemi, quum vincerentur; Hæreticis enim, etſi mente confundantur, quum tamen verbis res agitur, verba non deſunt. Synodus vero, quum nec armis vinci, nec diſputationibus trahi poſſe Bohemos animadverteret, ad tertiam, quæ reſtabat, viam confugit. Tractatum quaſi inter amicos eſt. Sed quum res Baſileæ concludi non poſſet, miſſi Legati ſunt in Bohemiam viri ſapientes, & qui divinæ, atque humanæ legis peritiores habebantur. Qui petitionibus Bohemorum ad verum diſcuſſis, nonnulla cum his capitula confecerunt, quæ *Compactata* dicuntur. Horum vigore abdicant ab ſeſe Bohemi quoſvis articulos erroneos, illo demto, qui de Communione duplici nuncupatur. Neque enim ſuper hoc Legati, & Bohemi convenire potuerunt, quum illi ex præcepto Salvatoris Communionem Calicis deberi populo dicerent, noſtri negarent. Conventum tamen inter eos eſt, hanc diſceptationem ad Concilii deciſionem remitti. Bohemos autem in omnibus univerſalis Eccleſiæ ritum reſumere debere, excepta Sacramenti Communione, quam ſub duplici ſpecie his, qui uſum rationis haberent, ex auctoritate univerſalis Eccleſiæ concedi voluerunt. Intervenerunt & aliæ pleræque pactiones, quarum meminiſſe non eſt modo neceſſum. Habuit Sancta

cta Synodus ratum, quod Legati fecere, nam quamvis Theutones adverſarii viderentur, aliis nationibus non placuit infinitas pęne animas perditum iri Communione negata. Conſtabat enim, paucis exceptis, qui mentis inflatione contra Patrum inſtituta ſurrexerant, Bohemicum populum errare ſeductum. Declaravit deinde Synodus Communionem Calicis, quoad populares, non cadere ſub præcepto Domini, nec licere Laicis illam ſibi auctoritate propria uſurpare. Miſitque *Philibertum Nortimanicæ Conſtantiæ Pontificem* eruditum, & integrum virum, qui Legatione inter Bohemos utens (favente *Sigiſmundo Cæſare*, qui per hunc modum & Pragam, & Regnum recuperavit) in uſum *Compactata* redegit. Intervenerunt & aliæ inter Regni Communitatem, & Sigiſmundum pactiones, quibus Eccleſia Pragenſis *Johanni de Rokezana* promiſſa. Poſthæc exortæ ſunt notiſſimæ illæ, & omni Eccleſiæ graves inter *Summum Pontificem Eugenium*, & Patres, qui Baſileæ remanſerant, contentiones. Sigiſmundus viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Bohemi de Rege diſcordes, alii *Albertum* * Sigiſmundi genere vocaverunt, alii ad Polonos defecere. Et quamvis ſuperior Albertus Regnum obtinere videretur, numquam tamen vel *Tapſto*, vel *Thaboritæ* in ejus poteſtatem venere. *Alberto* vita functo, Regnum confuſius fuit, quum filii ejus *Ladislai* pupillarem ætatem univerſi contemnerent. Itaque ſicuti res temporales, ita & Eccleſiaſticæ neglectæ ſunt, & in priores errores itum. Petita eſt tamen aliquotiens & ab *Eugenio*, & a *Nicolao* tuis anteceſſoribus *Compactatorum* confirmatio. Sed quum *Rokezana* ſimul in Archiepiſcopum efflagitaretur, anima nigra, & peſtilens, abhorruit Apoſtolica Sedes alterum cum altero ſimul admittere. Et licet *Johannes S. Angeli Cardinalis*, natione Hiſpanus, illuminatæ mentis, & animi rectiſſimi pater, Regni caput Pragam petierit, ſalutem gentis, & unionem quærens; *Nicolaus autem S. Petri ejuſdem Ordinis Prælatus*, homo Alamannus, & non minus doctrina, quam vitæ puritate memorabilis, ad metas

tas Regni eadem ipſa de cauſa pervenerit, numquam tamen de concordia verbum audire Bohemi voluerunt, niſi Pontifex Rokezana promitteretur. Ladiſlaus exinde quum adoleviſſet, in Bohemiam veniens, quamvis honore ſummo, & incredibili populorum lætitia exciperetur, Coronamque Regni faventibus cunctorum animis aſſequeretur, uſum tamen Communionis, & Rokezanæ ſpem Pontificatus auferre non potuit. Sed adnitente Gubernatore ſuo, facta eſt omnis Bohemia quaſi unus populus, permiſſo cuique ritu ſuo, & pœna conſtituta adverſus eum, qui ſuper hæreſi partem alteram criminaretur. Atque in hunc modum lupus cum agno, & pardus cum catulo Leonis accumbit. Sed dicunt pax, & non eſt vera pax, quando cor eorum non eſt cum Deo rectum, qui ſuas obſervantias abſque Sedis Apoſtolicæ permiſſione ſequuntur. Atque ita Regnum illud in hanc uſque diem ſuis moribus utens, & peregrinis opinionibus conſentiens, tantum a veritate remotum, quantum ab Eccleſia Romana ſequeſtratum remanſit. Hoc ægre habet Imperatorem, & Regem; neque enim terra Bohemica eſt, quæ contemnenda ſit, neque populus ille eſt, quem perdere debeamus. Eapropter quum veniſſet hoc anno ad Imperatorem *Georgius Poggiebratius Regni Bohemiæ Gubernator*, vir alti animi, & ingenii, atque conſilii altioris, voluit Imperator cum eo me verba facere, ut intelligerem hominis mentem, ſi forte aliquid eſſet, quod ſpem porrigeret unionis; nam hic unus eſt, quem Bohemi cuncti reſpiciunt. Parui juſſioni; alloquutus ſum hominem & ſemel, & iterum. Interpres inter nos fuit *Procopius de Lapide Cervino*, *Regni Cancellarius*, homo fidelis animæ, & amœni ingenii. Complurima inter nos dicta, & ruminata fuere, quæ non eſt modo referendi locus. Gubernatoris hæc demum ſententia fuit. Cupiunt Bohemi, quæ cum Baſilienſi Concilio pacta percuſſerunt, Apoſtolicæ Sedis munimine roborari. Quod ſi hoc alienum cenſeatur, expectant auctoritate Romanæ Sedis, quæ Synodus conceſſerat, indulgeri, mandarique Fidelium univerſitati, ne quis Bohemi-

hemicæ genti maledicat, aut eam devitet quaſi errantem. Volunt ex decem, aut duodecim viris; quos nominabunt, Eccleſiæ Pragenſi unum præfici. Inter nominandos autem Rokezanam non præteribunt. Quod ſi certi reddantur, hæc non fruſtra requiri, mittent e veſtigio præſtantes Oratores, qui obedientiam ſuæ Sanctitati afferant, perſonas ad Pragenſem Eccleſiam nominent, & Legatum petant, qui Regnum ingreſſurus Archiepiſcopum conſecret, & deformata reformet. Hæc tantum exhaurire ſummatim ex Gubernatore potui. Hæc eadem Gubernator ipſe ante diem Frankfordiæ dictam per Oratores Regni ad Cæſarem miſſos ſuopte ingenio mihi denunciaverat, petens ut ea ſanctæ memoriæ *Nicolao Papæ* reſcriberem. Sed recuſavi tantum negotium literis agitare, quæ nec interrogatæ reſpondent, nec confutatæ repugnant. At quum ſtatuiſſem Frankfordiam reverſus domum petere, decreveram coram eadem Apoſtolicæ pietati proponere. Quod quum modo datum ſit, plenius de his agam.

Intellexiſti, Beatiſſime Præſul, quæ peſtis ab Eccleſia noſtra Regnum Bohemiæ ſeparaverit; & quid illa gens cupiat ad unionem reverſura, tenes. Nunc diligenter examinandum eſt, an concedenda ſint, quæ Bohemi petunt. Quod ſi requiras opinionem meam, dicam, & vere dicam, me non eſſe tanti acuminis, ut de rebus tam altis, tamque profundis opinari præſumam. Namque ſi ſumma Cardinalium ingenia in hoc negotio titubant, quid agam ego ſtupidæ mentis aſellus? Sed quoniam rem hanc ad te detuli juſſu Principum, non debeo, ſicut mihi videtur, indiſcuſſo negotio quaſi mutus, atque elinguis, abire. Dicam ergo non quod ego ſentio (ſum enim ipſe admodum incertus) ſed quod magnos viros ſentire didici, quos in hunc modum ratiocinatos memini. Si quærimus, inquiunt illi, an Bohemis permittenda ſit, quam ſitiunt, communicandi libertas, penſitandum eſt an alio modo magis expedienti ad nos trahi Bohemia poſſit. Si poteſt, non eſt indulgendum quod petitur. At ſi alio modo reduci Bohemi nequeunt,

rur-

rurſus aliter ratiocinantur : Aut poteſt admitti poſtulatio Bohemorum, ſalva Fide majorum, aut non poteſt. Si violatur Fides, neganda petitio eſt. Sin Fides integra perſeverat, iterum conſiderandum eſt, quæ commoda ſecum, quæve incommoda conceſſio, & quæ rurſum negatio ſecum afferat. Si negatio utilior eſt, negetur. Si præſtat concedere, concedatur. Et nos igitur hunc ſequamur ordinem, ſi tamen audire vacat, quæ nos ex prudentibus viris mutuati ſumus. At quoniam audire paratam tuam pietatem intueor, illud ante omnia diſcutiendum aſſumo, an lucrifacere Bohemos commodiori via poſſimus, quam Communionem Calicis indulgendo. Et ſunt octo viæ, quæ præferuntur; nam primi ferro certandum potius arbitrantur. Quoniam ſi coacto exercitu magnis viribus contra Bohemos eatur, parta victoria ſupplices ante pedes noſtros Huſſitæ cadent, & quas dabimus leges, quos præſcribemus ritus, accipient. Principes Hæreſis aut igne comburentur, aut gladio ferientur, neque poſthac tam facile reperientur, qui contra Sedem Apoſtolicam cornua erigant; reſecanda eſt enim ferro quæcumque adverſus Eccleſiam Dei ſeſe attollit impietas, quum majores noſtros hoc ipſum factitaſſe non ſit obſcurum. Secundi exiſtimant, ſi vocentur in diſputationem Magiſtri Bohemorum cum noſtris, errores eorum facile poſſe convinci, ita ut ad ſanitatem reverſi, qui populum ſeducant, contraria prioribus de Communione prędicent. Nam & Origenis, & Baſilii, & aliquorum Sanctorum Patrum diſputationibus diverſas hæreſes evulſas novimus. Tertii, prædicatores in Bohemiam mittendos cenſent non ſolum eloquentia, ſed vitæ ſanctimonia, & divinæ legis peritia memorabiles, qui Communionis uſurpationem condemnantes, in quanto periculo Bohemi ſint, vivis edoceant rationibus. Namque ſi colentes Idola gentes ad prædicationem Apoſtolorum converſæ ſunt, & Chriſto manus dederunt, quis dubitet Bohemiam quoque bonis prædicatoribus auditis, ad noſtrum dogma converti? Quarti opinantur, ſi ta-

ceat Catholica Eccleſia, neque concordiam Bohemorum ultra perquirat, recognituros illos, dum ſe contemni viderint, ſuam juſtitiam, venturoſque ſupplices ac ſinu pacato ſine conditione Romanæ Eccleſiæ parituros. Neque enim dulce illis eſt ab omni Chriſtianiſmo ſeorſum vivere. Quinti putant innovandas cenſuras eſſe, mandandumque vicinis, ne quod habeant cum Bohemis commercium. Nam vitati per circuitum reſipiſcere compellentur, qui & vino, & ſale, & aromatibus utuntur importatis. Sextis perſuaſum eſt, ſi prohibeatur Presbyterorum conſecratio, qui * ſancte illorum ſunt, Communionem Calicis brevi deſituram, deficientibus, qui eam miniſtrent, Presbyteris. Septimi conſulunt, dandam eſſe pecuniam his, qui populum ducunt; nihil eſt enim, quod in auribus eorum argento, aut auro dulcius ſonet. Octavi ſuadent tractatus iterum atque iterum alios cum Bohemis habendos, donec ſequeſtrato Communionis articulo, melioribus pactis unionem amplectantur. Quælibet autem harum viarum, ut iſtis videtur, ad reducendos Bohemos, & honeſtior eſt Eccleſiæ, & Chriſtianæ plebi ſalubrior, quam Communionis, ut petitur, indultum. At qui periti rerum ſunt, & quos ego ſæpenumero de hoc ipſo negotio conferentes audivi, neque ſalubres hujuſcemodi vias, neque idoneas, quæ Bohemos acquirant Chriſto, dijudicant: Et de bello quidem ita loquuntur. Pugnatum eſt cum Bohemis frequenter; numeroſi adverſus eos exercitus iere; Legati Apoſtolici, Duces, Reges, Imperatores in caſtris noſtris militavere. Omnis Alamanniæ virtus, omne vicinarum gentium robur in Bohemos prodiit. Sed quis belli exitus? Quis pugnæ fructus? Pudet referre gentis noſtræ dedecus. Erubeſco dicere, numeroſas ſæpe noſtrorum militum copias parva Bohemorum manu fugatas. Ad Rhenum, ad Danubium, ad Mare Baltheum, ad Hungariam Huſſitarum victores exercitus percurrerunt. Adverſus hoſtem qui nos cædere conſuevit, victoriam præſumere non ſolemus. Victos timor, victores audacia comitatur. Temerarii eſt,

non

non cauti Ducis victorem hoſtem ſæpius provocare. Quamvis cæca nube futurum occulit Deus, venturi tamen rationem, quæ prætericrunt tempora non parvam exhibent. Adſit autem ſpes pulchra vincendi. Nil tamen certum erit. Dubius eſt belli eventus. Modicus error exercitus maximam cladem parere poteſt. Fortunam, quæ præliorum rectrix, & moderatrix habetur, non ſine cauſa cæcam finxere Poetæ. Stultum eſt ſub cæco contendere judice. Sed dicamus quod veriſſimum eſt, fortunam nihil eſſe; bellorum exitus ex Deo pendere. Cur hodie victoriam magis, quam pridem, ſperare licet? Neque meliores ſumus, neque Prophetam habemus, qui victoriæ quaſi Dei nuncius expromiſſor adſit. Credamus tamen ruituros Marte noſtro Bohemos. Siccine ſanctum, atque decorum putabimus converti Bohemiam? Priſca Eccleſia non ferro, aut igne, ſed amicis verbis, & ſuavibus adhortacionibus exorbitantes homines in ſemitam retrahebat, ſanguinem ſemper abhorrens. Nimius cruor tinget agros, antequam Bohemia ferro ſubigatur. Cadent illi, cadent noſtri. Infinitas animas ad Inferos emittemus, priuſquam victos Bohemi ſeſe fateantur. Carum eſt nimis quicquid humano ſanguine comparatur. Non eſt inſuper accepta Deo voluntas, quæ bello coacta Crucifixum adorat. Compulſi Bohemi, qui bello ſupererunt, non voluntarii ritum noſtrum accipient; metu, non animo, Fidei noſtræ conſentient; intentique ſemper erunt, quo pacto ſe ſubtrahant ſervituti. Metus enim, ut Oratoris utamur verbis, non eſt diuturnus magiſter officii. Deus autem noſter ſpontanea ſervitia, non violenta requirit, corda, non opera, reſpicit. Non eſt igitur via belli, quæ res Bohemicas utiliter componere poſſit. Minus ſecunda diſputationis via, quæ cum *Johanne*, ac *Hieronymo* in Conſtantienſi Concilio, & in Baſilienſi cum *Rokezana*, *Cibram*, & aliis pleriſque fruſtra tentata eſt, niſi Judex adſit, quem partes ambæ ſuſcipiant. Numquam diſputando vincas hæreticos. At illi Judicem ſolum Deum recipiunt, cujus definitionem ſine miraculo

lo * reperimus. Teſtis eſt Ariana perfidia, quæ multis reprobata Conciliis, numquam caruit defenſoribus. Neſtoriana quoque, & Eutychetis, Dioſcorique veſania ſæpius condemnata, numquam tamen deſerta eſt; habentque Neſtoriani adhuc inter Sarracenos Monaſteria. Nam Mahumetus quum animadvertiſſet horum temerariam ſectam ſuæ inſaniæ proximam, Neſtorianis inter ſuos pacem eſſe mandavit. Huſſitæ vero, ſi quæras ab eis diſputationis campum, nihil eſt, quod magis affectare ſe dicant; garrula eſt enim gens, & diſputationis avida. Ac ſi roges ſtante controverſia quem ſequi judicem velint; neque Romanum Pontificem, neque generale Concilium, neque mortalium quempiam acceptabunt. Solius novi, & veteris Teſtamenti ſeſe definitioni ſubmittent. Quumque ad id ventum fuerit, ut Sacrarum Literarum teſtimonio ſit utendum, nullas Doctorum noſtrorum interpretationes admittent. Habent & ipſi ſuos ſenſus, quibus inhærent. Inter ſenſum vero & ſenſum, interpretationem, & interpretationem, ſolius Dei arbitrium aſſerunt audiendum, atque ita vim omnem diſputationis eludunt. Quum verba diſputando faciunt, indoctæ plebis præſentiam requirunt; brachia in diverſas partes extendunt; manus complodunt; nunc hoc, nunc illud digitis oſtendunt; cervices erigunt; oculos in partes varias contorquent, inſpicientes, an circumſtantes ſententiolas, & argutiolas ſuas demirentur; ſublatiſque vocibus ignavi populi plauſum extorquere conantur; & quaſi pulcherrime ac ſuaviſſime perorent, ipſi ſuum ſonum patulis auribus auſcultant. Origenes autem, & reliqui, errores qui diſputando deſtruxere, apud eos loquuti ſunt, qui doceri cupiebant. Præceptores vero Bohemorum numquam inducas ut diſcipuli formam induant. Dulciſſimum his eſt Magiſtri nomen, & vocari in turbis Rabbi, & cathedram peſtilentiæ regere. Nihil turpius, quam diſcere putant. Non eſt igitur, quod diſputatio ad ſalutem Bohemiæ conferat, quum pertinaces Magiſtros teneat, plebes autem ſuis tantum præceptoribus credant. De prædicatione vero, quæ tertio loco ponitur

tur

tur idonea ad convertendum Bohemos via, non eſt cur multa dicamus, nam & ipſa incaſſum tentata eſt. Prædicaverunt ſæpe noſtri & in Bohemia, & in Moravia. Prædicaverunt & adverſarii. Quæ noſtri confirmaverunt, illi rurſus impugnaverunt. Imbutæ mentes malis erroribus non facile ſententiam deſerunt; credunt ſuis Doctoribus, alienos quaſi ex invidia loquentes reſpuunt. Sed ait fortaſſe quiſpiam, prædicatorum culpa id accidiſſe, ne Bohemi noſtris crederent, quia vel facundia defuit, vel doctrina, vel munditia vitæ. Nihil horum noſtris defuit. Omitto reliquos: *Joannes de Capiſtrano* meo judicio vir Deo plenus majorem Bohemiæ, & Moraviæ partem prædicando luſtravit; non tamen hæreſim potuit extirpare, quamvis nonnulli ejus prædicationi credentes, Huſſitarum ſtultitiæ renunciaverint, quos pro multitudine deſipientium nullius eſſe numeri dicere poſſumus. Nihil tamen habuerunt Bohemi, quod Johanni poſſent objicere homini eloquenti, & hac doctrina, quam Pontificalem, utilioremque dicimus, inter omnes eminenti, qui mundi pompas abjecit, carnem domuit, avaritiam penitus conculcavit, ſolius Chriſti, & Apoſtolorum veſtigia ſequens. Nimis diu prædicare oportebit, antequam Bohemia nobis conſentiat. Impar eſt noſtri, & Apoſtolorum temporis conditio; licet enim difficile fuerit Dæmones oſtendere, qui pro Diis colebantur, quia tamen vitam ſuillam ſine doctrinæ fundamento Gentiles ducebant, Apoſtoli autem Domini nitidos mores ſumma cum ratione prædicabant, naturale quodammodo fuit, qui erant homines ad ſe reverti, & relicta beſtiali conſuetudine, modeſtiam, & honeſtatem humano generi convenientem, ſicut Euangelium Chriſti docebat, induere. Inter nos autem, & Bohemos non eſt de moribus contentio. Quæ nos vitia fugimus, illi ſaltem vituperant. De ſenſu Euangelii diſceptatio eſt, quod illi non minus intelligi a ſe ipſis, quam a nobis exiſtimant. Difficillima profecto, & inextricabilis contentio, ubi non eſt, cui partes credant arbitrium boni viri. Nec Apoſtoli ſola prædicatione

mundum illuminaſſent, niſi ſigna interceſſiſſent, quæ divinitus fieri populi crediderunt. At quum cæcis viſum, leproſis munditiam, mortuis vitam in nomine Jeſu Apoſtoli reſtituerent, multitudinis fidem facile conſequebantur. Hodie autem non eſt ita nobiſcum Domini manus, ut mirabilia per nos operari velit. Imo vero non ſunt opera noſtra, quæ ſigna mereantur oſtendere. Fuit tamen de *Johanne Capiſtrano* ſuiſque miraculis ingens rumor, de quibus nihil me attinet diſputare. Ego veri periculum in alios transferam, qui novarum rerum curioſiores habentur. Illud notiſſimum eſt, quia poſt prædicationem Johannis remanſit Bohemia eadem, quæ prius fuerat. Neque qui ſapiunt, veriſimile ducunt, ævo noſtro cujuſpiam prædicatione Bohemiæ ad nos redire populos. De ſilentio vero, quod quarto loco commendatum eſt, hæc ſententia ſapientum eſt. Si tacemus, nihilque de Bohemis agimus, minime illi ſe ſpretos, ſed nos deſperaſſe judicabunt. Confortabunt ſe ipſos, & gloriabuntur, quaſi victores; prædicatores eorum, ſicut eis mos eſt, diebus ſingulis plebes inſtruent, & peſtifero lacte nutrientes populum, lætabundi ſeſe jactabunt, quaſi jam ſilentium de ſuis erroribus factum ſit. Ridiculum eſt, ſi tum putes hoſtem victum, quum ille pro ſui voluntate quieſcit. Nihil eſt, quod *Rokezana* magis cupiat, quam ut ſinamus Bohemos ſuis legibus vivere, neque ritum impediamus eorum. Sic enim glorioſus ille in pingui populo pacem nactus, inter ſuas mulierculas ſermocinabit ſecurus. Quocumque voluerit, plebes impellet; nec exagitatas diverſis tractatibus populi mentes moliri adverſus ſe quicquam timebit. Rem divinam pro ſuo arbitrio faciet; in Altari miniſtrabit ut agnus; in ambone prædicabit ut Leo; in menſa vorabit ut lupus; fietque Bohemia altera Boſſna, quam quum invaſiſſent olim Manichæi, qui nefanda de Chriſto ſentientes, Primatum Eccleſiæ Romanæ inficiabantur, conati ſunt majores noſtri armis extinguere ſurgentem hæreſim; quod quum parum ſuccederet, quieverunt. At ſilentio facto *Boſſnenſes* pro ſuis deſideriis

am-

ambulare ſiverunt. Sed quid profuit ſilentium? Quid ſequutum eſt? obſecro. Quis audivit eos de reditu cogitaſſe? Fortificati ſunt, nobis tacentibus, & aucti numero, jamque arcem erexerunt, ad quam omnes confugiunt, qui Sedis Apoſtolicæ mucronem timent, & quod peſſimum eſt, Turcorum unitate lætantur. Nec ſecus Bohemi facient, niſi, dum tempus eſt, remedia perquirimus. Adde, quod medio tempore, dum ſilemus, omnes qui moriuntur præda ſunt Diaboli, culpaque noſtra ſpiritibus infinitis Cœlum privatur, quorum voces ante Tribunal Domini aſſidue clamant, Apoſtolicæ Sedis negligentiam accuſantes. Non eſt facile, Sanctiſſime Pontifex, tantæ jacturæ rationem reddere. Gravis eſt tua conditio, quæ totius Orbis curam gerit. Speculatoris officio fungeris; niſi venientem gladium indicas, quæ pereunt animarum Ezechielis teſtimonio de tuis manibus ſanguis exquiritur. Plus dico: Niſi ſaluti cujuſvis pro tua poteſtate conſulis, tam es in culpa, quam ſi pereuntes ipſe perdas. Cum tuo damno Bohemi cadent, cum tuo lucro ſtabunt. Abjicienda eſt igitur horum conſultatio, quibus ſilentium placet, neque Deo grata, neque apud homines honorificata. Sed quid illud exiſtimabimus, quod quinto loco de cenſuris innovandis contra Bohemos ſuaſum eſt? Ridiculum conſilium, ne dicam inſulſum. Facile dicimus: anathematiza, excommunica, percute, cæde, ſubtrahe Sacramenta, interdicito loca. Sed quis eſt præſto parere? Precaria eſt obedientia noſtra; quantum quiſque vult, tantum mandatis noſtris obtemperat. Regna olim, & maximi Principatus cenſuras Eccleſiæ formidabant; nunc vel minimæ Civitates ſummi Præſulis mandata contemnunt. Mortua eſt in pectore noſtro fides, Caritas omnis abeſt, fex hominum ſumus, impii, ſcelerati, in quos fines ſeculorum devenerunt. Poſſem commemorare multa exempla Civitatum Italiæ, quæ cenſuras Eccleſiaſticas quaſi deliramenta putarunt. Sed malo Germanica facta referre, quando & Bohemi Germani ſunt, de quibus agimus. Quid profuit excommunicaſſe *Trajectenſes*, qui ſe-

ptem annis adverſus Eccleſiam militantes, quem cupiebant, Epiſcopum obtinuere? Quid *Monaſterienſes*? quod nunc apud illos excommunicatio pondus habet? Quid *Prutenos*? Numquid adverſus cenſuras Eccleſiaſticas ſuis dominis non rebellarunt? Quid *Auſtriales*? Quanti apud eos momenti Romani Pontificis mandata fuerunt, qui juſſi Cæſarem revereri, perſequuti ſunt? Non terret quempiam ſpiritualis mucro, niſi materiali juvetur gladio. Non timentur verba, niſi præſto adſint verbera. Jacturam futuri Regni pauci ponderant; præſentia cuncti reſpiciunt. Non inſulſe ſcripſit ille:

Eſſe aliquos manes, & ſubterranea Regna,
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.

Sed quid vagamur? Tentata ſunt & in Bohemos Eccleſiaſtica tela; maledicti, damnati, excommunicati, in manus Sathanæ dati fuerunt. Et quod formidabiliſſimum credebatur, armis ſimul temporabilibus, & ſpiritualibus ſagittis impugnata eſt ſæpius audacia Bohemorum, expugnata numquam. Et iterum ad excommunicationem recurremus? Non timuerunt Bohemi cenſuras armatas, & nunc formidabunt inermes? Irridebitur Romana Eccleſia, & quaſi ludibrio habebitur, ſi rurſus contra Bohemos ſententiam fulminet; neque enim vicini parebunt, qui ſciunt bellum neceſſarium futurum quam primum, ſi Bohemos quaſi præciſos ab Eccleſia devitaverint. Stant adhuc ante oculos rapinæ, incendia, cædes Bohemici belli; nec ſine terrore tantorum malorum meminerunt nacti tandem pacem, & otii dulcedinem experti, quamvis occaſionem oderunt, quæ bello fomitem miniſtrare poſſit. Scimus præterea Bohemos, qui ſunt Huſſitarum infecti lepra, alienos ab Eccleſia eſſe; excommunicatus eſt enim omnis hæreticus; non tamen vitantur Huſſitæ, quum veniunt ad noſtros. Ingrediuntur pacifice Civitates noſtras, emunt, vendunt, pro libito negotiantur, viſitant Eccleſias, interſunt divinis Officiis, fœdera cum noſtris Principibus percutiunt, matrimonia contrahunt; inter Huſſitas, & noſtros diſcrimen nullum. Et nos putabimus jam novis cenſuris utendum? Vana eſt, &

pror-

prorſus inepta eorum cogitatio, qui cenſuras Eccleſiæ aut Bohemos timere, aut circumjacentes populos tenere cenſent. Ad ſextos illos nunc tranſeundum eſt, qui Presbyteros Huſſitarum conſecrandos negant; ſic enim, ut illis videtur, deficientibus, qui Calicem miniſtrent, Sacerdotibus, & ipſa duplex Communio deficiet. Bella ſane cogitatio, bella inventio, ne dicam deliratio. Et quis erit, obſecro, qui mentes hominum videat, & cujus ſit hic, aut ille ſectæ cognoſcat? Hominum nullum eſt verſutius animal, nullum magis fallax; aliud in ore, aliud in corde gerit. Clauſum eſt cor hominis homini, & inſcrutabile, Deo ſoli apertum; mille in eo latebræ, mille receptacula; ſimulare, ac diſſimulare novit. Deo ſimiles nos eſſe oportebit, ſi dogmatis Huſſitarum qui ſequaces habeantur noſſe voluerimus. *Johannes Gurcenſis Epiſcopus* anno ante hunc quinto decem Presbyteros ex Bohemia conſecravit, qui ſe Fideles affirmaverunt. At ex his ſeptem comperti ſunt, qui poſtmodum ad Rokezanam defecerunt. Dicat hic fortaſſe quiſpiam, *Pragenſe Capitulum*, quod apud Pilznam moram trahit, in fide ſolidum eſſe, nullumque conſecrari debere, niſi cum literis Capituli. Sed neque Capitulum Deus eſt, qui mentes hominum introſpiciat. Falſificantur deinde literæ, atque ſigilla, & quod una via negatur, altera impetratur. Sunt præterea nonnulli Epiſcopi, qui pecuniæ cauſa Clericos undecumque venientes conſecrant, neque Deum verentes, neque Canones. *Polonia* quoque, ſi cetera deſint, ſatis Presbyterorum Bohemiæ ſubminiſtrabit. Subnectam heic unum quamvis turpe, ac fœdiſſimum, ad rem tamen, quam tractamus, accomodatum exemplum: Polonus quidam in Bohemia plures annos rurali Parochiæ quaſi Sacerdos præfuit, atque pro ſubditorum deſiderio Communionem præbuit: Huic concubina fuit, quæ peccato demum renuncians, miſceri ultra Polono recuſavit. Interrogata cur ſeſe redderet alienam? quia damnatæ ſunt, inquit, Sacerdotum nuptię; pœnitet me tui concubitus, neque poſthac in oſcula Presbyteri, aut am-

plexus veniam. Tum Polonus: tace inquit, fœmina; nihil eſt, cur me horreas, qui neque ſum Presbyter, neque ſacris initiatus ullis. Hoc mulier magis abominata facinus, abi, inquit, in malam crucem, qui non ſacer ſacra miniſtras. Et a Polono digreſſa profanatorem divini Sacramenti ad contribulos detulit. Illi commoti tam inſueto, atque inaudito ſcelere, Polonum repente in crucem ſuſtuliſſent, niſi furore cognito veterator ille ſalutem pedibus quęſiviſſet. Similes huic forſitan multos in Bohemia reperias. Illud exploratum eſt, quia venientes ex Polonia Presbyteri, quemadmodum plebes volunt, Sacramenta miniſtrant; nam domi pauperes victus cauſa foris nihil abhorrent. Egó quidem quum eſſem in Bohemia, offendi nonnullos Eccleſiarum Rectores natione Polonos, qui rogati, cur prohibitam ab Eccleſia Communionem exercerent, ajebant, quia non poſſent alio modo vivere, quum fodere non valerent, mendicare autem erubeſcerent. Itaque novi Bohemiam non poſſe carere Presbyteris, quando ſemper inveniuntur, qui Fide malunt, quam plebe carere. De pecunia vero, quam ſeptimi Bohemos inter erogandam putant, quid aliud exiſtimem, niſi quia male tentatur pecunia, quod virtute effici debet. Sed judicemus aurum dandum; ubi tantus theſaurus inveniatur, qui Bohemorum voracitatem expleat, inſatiabile genus hominum? Quanto plus dederis, tanto amplius requiret. Non Pactolus, non omnis arena Tagi, non litus Arabicum tantum aurum adminiſtrabit, quantum aſſumet Bohemia. Unum ſi dones, mille donare oportebit, neque ſemel tantum, ſed quotannis ſtipendia requirent. Ubi ceſſaveris, mox ad priora redibunt. Aut tributariam Regni Bohemiæ Sedem Apoſtolicam perpetuo facies, aut emtam reditionem brevi tenebis. Octava, & ultima eſt illorum opinio, qui novos tractatus cum Bohemis exiſtimant inchoandos, ſi forte inveniri melior conditio poſſit. Sed fluminis curſum, qui ſuapte natura deorſum eſt, facilius ſurſum revolvas, quam Bohemis Communionem Calicis ſubtrahas. Duo Concilia generalia, Conſtantien-

ſe,

ſe, & Baſilienſe, qùum hoc ſummo ſtudio quærerent, in vanum laboraverunt. *Nicolaus S. Petri*, *& Johannes S. Angeli Cardinales*, quorum ante meminimus, complures Eccleſiaſtici, & Seculares Principes ſæpe Bohemos ad unionem reducere conati, nullam unquam concordiam invenire potuerunt, niſi Communione Calicis indulta. Quid ergo totiens fruſtra inſtabimus? Cur totiens denegata petemus? Stulte quæras, quod invenire non ſperes. Atque ita ex his octo, quas retulimus, opinionibus, nulla eſt ad reductionem Bohemorum ſatis idonea, neque præferenda tractatui, quem cum Gubernatore habitum recenſuimus. Utrum autem tractatum ipſum admittere, atque amplecti conveniat, ſequenti oratione monſtrabimus, ſi modo ſufficientia fuerint, quæ nos ex prudentibus audita viris explicabimus.

Diximus ſupra, negandam eſſe Bohemorum petitionem, ſi ex conceſſione Communionis violatur integritas Fidei noſtræ. Non eſt heic lippis oculis, aut conniventibus incedendum. Non eſt Chriſtianus, qui Fidei præjudicium infert. Salus noſtra in puritate Fidei conſiſtit; nihil ex ea mutandum, nihil detrahendum eſt. Mori ſatius eſt, quam divinæ Legi contraire. Cuſtodiendum eſt ſumma cum diligentia Salvatoris noſtri teſtamentum. Quid ergo? Petimuſne quicquam ordinationi divinæ & ſtatuto Chriſti adverſum? Stultus eſt, & amens, qui ex tuo Solio, Beatiſſime Pater, injuſtum, aut impium aliquid optat. Hortus concluſus eſt tua Sedes, & fons ſignatus, ex quo nihil poteſt manare non purum. Decocta ſunt, & admodum digeſta tui pectoris decreta. Obrizum aurum hinc ſumitur, & argentum ſepties defœcatum. Salutaria ſunt, & nihil habent immundum, quæ abs te prodeunt, oracula. Age igitur, exiguntne Bohemi, quod tuæ Fidei ſit alienum, aut Apoſtolicæ traditioni contrarium? Minime quidem: Neque enim diviniſſimum Euchariſtię Sacramentum ſub ſpecie panis, & vini ſumentes, divinas ſanctiones impugnant, aut Fidei adverſantur Orthodoxæ, ſi modo ex

devotione, aut indulto Eccleſię id agunt; ſequeſtrata præcepti neceſſitate. Quod ſi crimen id fuiſſet hæreticæ labis, numquam Patres illi & doctiſſimi, & zelo Fidei ſuccenſi, qui ex omni Chriſtianitate in Baſilienſi Concilio convenere, hujuſcemodi Communionem indulſiſſent. Conſtat autem ex auctoritate illius Concilii, ſub duplici ſpecie conceſſam Communionem fuiſſe. Non eſt igitur adverſa Fidei poſtulatio; neque enim aut inventor ipſe tanti Sacramenti Chriſtus Dominus, aut ejus diſcipuli Communionem hanc prohibuerunt. Imo vero ritus ille & naſcentis, & proficientis Eccleſiæ fuit, ut de Calice non ſolum viri, ſed mulieres etiam biberent. Quod in hanc uſque diem Orientalis Eccleſia ſervat, neque tamen propterea de violata Fide coarguitur. Latini vero nitidius Chriſti Sacramenta tractantes, & intelligentes, quantus honor, quanta reverentia Salvatoris noſtri altitonantis, & ſummi Dei Filii Corpori, & Sanguini debeatur, & cum quanto timore diviniſſima illa Caro, & ſupercœleſtis Sanguis tractari conveniat, paulatim ex Communione Calicis populum ſubtraxere, veriti, ne ſacratiſſimus Sanguis Domini in turbas participatus, & incautius aliquando tractatus effunderetur in terram. Atque ita ſucceſſu temporis introductum eſt, ne quis apud Latinos Laicus Calicem Domini poſtulare præſumeret; ſcit enim Latina Eccleſia, ſub una ſpecie confecto Sacramento Chriſtum totum, & integrum contineri, neque opus eſſe ad ſalutem duplici ſpecie cibari Laicos. Sed quis auctor fuerit hujus conſuetudinis, & quando introducta ſit prohibitio Calicis in populum, neque legi hactenus, neque audivi. Illud vero manifeſtum eſt, quod ante Conſtantienſe Concilium neque Romani Pontifices, neque univerſales Synodi de hac prohibitione quicquam ſanxiſſe reperiuntur. Veterum autem exſtant non pauca decreta, quæ Communionem Calicis mandare videntur. In Conſtantia primum Canon promulgatus eſt, eos damnans, qui auctoritate propria a conſuetudine Patrum recedentes, communicandum ſub duplici ſpecie cenſent.

In

In Baſilea vero declaratum, ac ſancitum eſt, Communionem Calicis quoad Laicos ſub præcepto neceſſitatis minime cadere; qui ſecus ſapiant, errare; neque tolerandos eſſe, qui abſque permiſſione Eccleſiæ ea Communione utantur. At Bohemi, etſi aliquando prædicaverint, ſine Communione Calicis ſalvari neminem, poſtea tamen hoc errore dimiſſo, ſeu ficte, ſeu vere (neque enim corda hominum poſſumus introſpicere) putantes ſe aliquid gratiæ ſub Calice recipere, hanc Communionem ex auctoritate Romanæ Sedis expoſtulant. Quæ res licet magna eſt, & ruſtice magis quam docte petitur, nihil tamen ab Euangelica lege, aut Apoſtolica traditione diſſentit. Non eſt igitur, cur timore Fidei diſſolvere tractatum oporteat. Sed mali fortaſſe plus quam boni pariet indulta Bohemiæ Communio. Quod ſi ita fuerit, abnuenda ſunt poſtulata. Intueamur igitur, quid mali, quidve boni vel conceſſio Communionis, vel negatio ſecum importet, eamque partem amplectamur, quæ plus commodi, minus incommodi videtur afferre. Si concedimus, quæ petuntur, potentiſſimum populum, ampliſſimum Regnum, ferociſſimas Europę gentes ad obedientiam S. R. E. convocamus; diſcordes inter ſe Bohemię plebes unimus; *Ladislao Regi* provinciam quietam reddimus; Theutonibus in circuitu pacem prębemus; militiam fortiſſimam, quam contra Turcos armare poſſimus, nobis conciliamus; & quod rebus omnibus præſtat, infinitis animabus Paradiſi portas aperimus. Atque hoc potiſſime quæritandum cenſeo, quando nihil eſt, quod illi maximo, atque optimo Deo Cœlum regenti animarum lucro fiat acceptius. In Bohemia vero, ac Moravia difficile dictu eſt, ne dicam cognitu, quanta populi multitudo ſuccreverit, quæ ſi petita concedimus, Chriſto acquiretur; ſi negamus, Diabolo. Et ajo confidenter ex auctoritate prudentum, quia lucrifaciemus in hoc tractatu innumerabiles animas, & quæ nullo pacto circumſcribi valeant, plebes. Nam etſi duces populi fraudulenter agant, multitudo tamen ſincera eſt, & ignorantia, non pertinacia peccat. Quæ poſtquam didicerit ſe deceptam, &

& unioni conſenſerit, cautior in poſterum fraudibus obviabit, & bibens, te permittente, de Calice, fiet æternæ vitæ particeps. Parumne hoc cuipiam videri poteſt, tot populos, quot Bohemia, atque Moravia nutrit, lucrifacere? tam numeroſis gentibus Chriſti Regnum aperire? Non eſt argenti, aut auri lucrum, ſed animarum, quæ omne metallum, & omnes gemmas antecellunt. Hæc ſunt bona, Pater Sancte, quæ viri ſapientes ex hoc tractatu arbitrantur emergere; magna quidem, & pro quibus Romanus Pontifex, omnium in Chriſto credentium Rector, & Paſtor, uſque ad ſanguinem, & animam contendere debeat. Sed audi modo, quæ contra objiciuntur. Indulſit Baſilienſe Concilium quæ petivere Bohemi; Legatos ad eos miſit, pacta cum Regno percuſſit. Quid inde? An non iidem Bohemi ſunt, qui ante fuerunt? Et cur nunc magis fidem ſervabunt? Ficta eorum reditio eſt, & plena fraudis. Quod ſi aliunde non liquet, hinc patet, quia Rokezanam Præſulem quærunt hominem ante deſcriptum; volunt enim ex duodecim viris, qui ad Pragenſem Eccleſiam nominandi ſunt, unum hunc eſſe: Quid ergo? Sane talis erit aliorum nominatio, ut neceſſe ſit illum aſſumere, ſi modo minus ineptum recipiendum judicabis. Tunc homo peſtilens, propoſiti victor, Cathedram ſortitus, quam ſupra triginta annos ambivit, omnem Bohemiam ad ſuam ſententiam reformabit, neque Presbyterum patietur in Regno ſuæ ſententiæ contrarium, potenti manu Clero, & populo imperabit, *Compactata* deridebit, nolentes de Calice bibere ab Eccleſia ſeparabit, atque in hunc modum Apoſtolica Sede prorſus irriſa, ad priores inſanias Regnum Bohemiæ revocabit. Quod ſi eo neglecto alium quemvis Pragenſi Eccleſiæ præfeceris, extra Civitatem ſuam illi manendum erit, pauper, inops exulabit Archiepiſcopus. Scimus inſuper Bohemorum quammultos errores eſſe, nec de illis mentionem audimus, & quomodo ſalvabuntur permiſſa Communione, niſi univerſam hæreſim abdicaverint? Quid de bonis Eccleſiarum dicemus, quæ iſti rapue-

rapuerunt? Lora hæc, & catenæ ſunt, quibus raptores in æterna præcipitia trahuntur, niſi reſtituantur. De reſtitutione autem verbum nullum. Dulce ſapiunt Laicis bona noſtra; nimis eis abundare videmur. In opes noſtras ore aperto inhiant. Quod ſi pacem Bohemis damus Eccleſiaſtica bona tenentibus, omnium gentium avaritiam adverſus Eccleſiam provocabimus: nihil eſt enim, quod humanæ cupiditati majores flammas adjiciat, quam malo exemplo impunita rapacitas. Sit tamen vera reditio, faceſſat hæreſis, nihil obſtent Eccleſiarum rapinæ, quid tu? An Communionem indulgebimus? Quibuſdam ſcandaloſa conceſſio videtur, namque ſi roges Auſtriales, Bajoarios, Francones, Saxones, Sleſitas, & quicquid ſupereſt Theutonici nominis, dicent omnes uno ore, negandum eſſe quod Bohemi petunt. Quomodo enim, inquient, Communionem Calicis permittemus, quæ ne per Laicos iret, & patres noſtros, & fratres, & nos ipſos tot maximis, atque aſperrimis bellis implicuit? Nonne urbes noſtras exuri, agros vaſtari, filios, & uxores in ſervitutem eripi, tolerabilius judicavimus, quam novum Communionis ritum in Bohemia permitti? Cumque his ſentient ex Bohemis quicumque perſequutionis ſæviente procella Romanam Eccleſiam ſunt ſequuti. Turbabitur itaque tota Germania, & quaſi contumeliam patiatur, Apoſtolicam Sedem incuſabit, quę poſt tanti ſanguinis effuſionem, poſt amiſſionem tot illuſtrium animarum, poſt rapinas, atque incendia, poſt omnia flagitia, quę bella parturiunt, Calicis participium ad plebem tranſmiſerit, quod ante damna fuerat tranſmittendum. Non videtur igitur cum tantarum gentium injuria conſentiendum eſſe Bohemis. Huc accedit, quia ſi ferant Bohemi quod optant, non deerunt qui ſimilia quærant, ſive Galli, ſive Hiſpani, ſive alii populi; neque fas erit magnis nominibus denegare, quod Bohemis conſtabit eſſe conceſſum: Atque ita duo incidemus mala: alterum, quia plus ſapuiſſe Bohemi, quam Romana Eccleſia, videbuntur, quum illorum

ſententia manſerit, noſtra ceciderit: alterum, quia remeabit ad noſtros periculum effuſionis Sanguinis, cujus evitandi cauſa majores noſtri Calicem populo ſubtraxerunt. Adverſus conceſſionem igitur hęc fere dicuntur. At qui eam tuentur, ut infra ſubnectam, reſpondere ſolent. Quod neglexere Bohemi, quę Baſilienſi Concilio promiſerunt, inde fuit, quia poſt *Compactata* mox ſubortum eſt in Eccleſia Dei grave diſcidium, quum Eugenius anteceſſor tuus Patres in Baſilea congregatos damnaret; illi autem Eugenium multifarie perſequerentur. Sigiſmundus Imperator, qui turbida Regni negotia compoſiturus erat, rebus exceſſit humanis. *Philibertus Synodalis Legatus* non diu poſt eum animam exhalavit. *Albertus Cæſar* quamvis attritis Regis Poloniæ partibus univerſam pęne Bohemiam in poteſtatem redegerit, prius tamen obiit, quam Regnum reformare potuerit. Sub *Ladislao* diu neglecta pupillaris ætas provinciam inquietam habuit. Principes igitur hæreſis, qui Baſilienſis Concilii leges inviti ſuſceperant, nequitiæ ſuæ tempus idoneum nacti, ad priores blaſphemias redierunt, errantemque ſine paſtore gregem in abrupta quæque devia pepulerunt. Nunc alia Regni facies eſt. Rex adultus, & ſapiens, curioſuſque noſtræ Religionis a Deo datus eſt. *Georgius Gubernator*, quamvis de Calice bibat, vir tamen ſolidus eſt, promiſſi tenax, & ſervantiſſimus æqui. Optimates reliqui noſtrum pęne omnes ritum obſervant. Civitates, etſi Calicem ſitiant, ſub imperio tamen Baronum, & Regis viventes, legem ferent, quam illi dabunt. Utque de mente Regni latius loquamur, quatuor in Bohemia ſunt hominum genera, Sacerdotes, Nobiles, Cives, & Ruricolæ. Sacerdotes neque olim optavere concordiam, neque modo quærunt; ſunt enim homines ignobiles, obſcuro loco nati, neque virtute præditi, neque literis, quamvis argutiolas quaſdam, ac fallacias nonnullas ex Dialecticis didiciſſe videantur. Quod ſi componantur res Bohemicæ, verentur illud, quod futurum eſt; ingredientur enim Regnum

viri

viri ſanguine clari, probitate inſignes, ac doctrina præſtantes, quibus illi nulla ratione poſſunt æquari, tumque relinquentur Hæretici, & Orthodoxi in cultu erunt. Hoc timentes Presbyteri Bohemorum, nec olim manus dediſſent, neque hodie darent, ſi libertas aut fuiſſet, aut eſſet quæ vellent agendi. Sed ſtante Concilio Baſilienſi populi pacem petentis furorem expavere. Nunc & Barones, & populum reformidant, ſi quæ ſunt honeſta quovis modo recuſent. At Barones, & Optimates longe diverſa ſententia tenet; fuerunt enim extra Bohemiam, inſpexerunt nitorem noſtri cultus, animadverterunt inter noſtros, & eorum Sacerdotes quantum interſit; intellexerunt contemtui eſſe cerimonias ſuas, puduit eos ineptiarum ſuarum, utile putaverunt pacem jam tandem cum finitimis nationibus colere, vitamque ſuis vicinis non abhorrentem vivere, Eccleſias ornatas habere, Sacerdotes apud ſe honoratos eſſe, rem divinam non ſine apparatu facere. Sed quoniam de Calice longo tempore biberant, ac pro eo cum ceteris gentibus ſæpe ferro contenderant, veriti ſunt, ne ritu mutato convicti hæreſis viderentur, dicentibus populis, eos alioquin ſalvos fieri non potuiſſe; etſi enim non ignorant Optimates Bohemię, Sacramentum ſub una ſpecie plebi ſufficere, rumorem tamen populi reformidant, & murmura vulgi. Sunt namque Bohemi honoris hujus mundani, & popularis auræ juſto cupidiores, & mortem facilius ferant, quam turpiter egiſſe quicquam videri velint. Fragiles ſunt, ut homines ægroti; colorem quærunt, qui apud doctos nullius momenti eſt, apud ignaros videri aliquid poteſt. Noſtrum eſt compati fratribus, & imbecillæ mentis ſubvenire fragilitati, ſi dum eos quærimus, non admittimus alios. Civitates autem, etſi tantùm de Sacramento ſentiunt, quantum Sacerdotum aſſidua prædicatione docentur, pacem tamen cum vicinis cupiunt, & unionem recta mente ſuſcipiunt. Quod ſi ſemel intelligant, hauſtum Calicis non eſſe plebibus neceſſarium; ſuorum Sacerdotum hypocriſim perpetuo

petuo inſectabuntur odio. Ruricolæ vero ita circa Communionem ſe habent, quemadmodum eorum Domini. Quod ſi mentem cujuſque Bohemi rimari poſſimus, inveniemus præter Sacerdotes ad concordiam totum Regnum bono animo, rectoque vadere. Ceterum quum Sacerdotibus in Bohemia nulla Reipublicæ cura committatur; Cives ſolum inter ſeſe jus dicere poſſint; Agricolæ, & qui rus colunt, loco ſervorum habeantur; Barones autem cuncta diſponant: quis non intelligit, admiſſam ſemel ex imperio Nobilitatis, unionem ſtabilem, atque inconcuſſam eſſe manſuram? De bello namque, de pace, de legibus, de vectigalibus, de totius Regni gubernatione eſt cum Baronibus diſpoſitio. Non eſt itaque nunc formidandum, quod prius accidit, ut accepta capitula reſcindantur, & ſicut Baſilienſe Concilium, ita & Romana Eccleſia contemtui fiat. Quodvis animarum lucrum ſub periculo deriſionis libentius quæram, quam jacturam ſub ſpe laudis admittam. Quod præterea de Pragenſi Pontifice objectum eſt, a vero longe recedit. Namque ſi delegerit tua pietas ex duodecim viris, quos illi nominaverint unum, etiam Rokezana pretermiſſo, hunc Bohemi Archiepiſcopum amplectentur; ſervabunt enim quod promittent, decretoque ſuo ſatisfacient. Neque enim Bohemi ſunt, qui facile promiſſa contemnant; graves enim ſunt, & dicti ſui tenaces. Nam & Theutones, quamvis odio vetuſto in Bohemos ardent, hanc tamen illis laudem ſine contentione concedunt, quia promiſſionibus ſuis diligenter intendant. Atque hoc eſt, cur Rokezana tantopere in Archiepiſcopum petitur; exſtant enim & Baronum, & Civitatum literæ, quibus Pragenſis Eccleſia *Rokezanæ* promiſſa eſt, quibus & Sigiſmundus olim, & Albertus poſt eum, & Ladislaus denique conſenſum præbuit. Quod ſi peterentur hodie hujuſcemodi literæ, non darentur; datas autem infringere non præſumunt. Sed quum neque Regis, neque populi ſit Archiepiſcopum aſſumere, ad tuam pietatem recurrunt. Verentur uno tantum nominato Apoſtolicam Sedem offendere. Duodecim

decim nominare proponunt, inter quos veluti ſatisfacturi promiſſo, Rokezanam inſertum cupiunt. Neque formidandum eſt, quod ſupra ſuſpicari aliquos diximus, omnes ſcilicet, qui nominabuntur, de Communione Calicis eſſe, & Rokezana pejores. Eſt enim communi Baronum, & Civitatum conſilio facienda nominatio, quemadmodum mihi Regni Legati apud Novam Auſtriæ Civitatem affirmarunt. Itaque nominabuntur pariter ex utraque parte, qui videbuntur Pontificali culmine digniores. Georgius autem Gubernator, quum ſæpius a me percunctatus fuiſſet, an Romanus Præſul ad id flecti poſſet, ut Rokezanam Eccleſiæ Pragenſi præficeret, egoque multis rationibus id negaſſem, Vah, inquit, tandem, non erit Rokezana, qui nobis Romanam Eccleſiam reddat infeſtam. De ſtatu quoque Archiepiſcopi proviſurum Regnum Gubernator aſſeveravit; ait enim, maximam eſſe dignitatem illam, neque decorum videri Baronibus eorum mendicare Pontificem, qui ſicut ceteris Regibus ſuum eſſe æqualem volunt, ita & Archiepiſcopum Regni reliquis Pontificibus parem cupiunt; neque enim honoratus videri poteſt populus, cujus inglorius eſt Prælatus. Sed quid heic moramur? Non ego meis verbis exigo; ſi libet amplecti tractatum, expetantur literæ Regis, ac Baronum, & Civitatum, ſi expedire putatur, quibus certa reddatur Apoſtolica ſublimitas, ex duodecim nominandis ſi unus aſſumatur, Regnum illi pariturum, & uſque ad ſcribendam aliquam ſummam de certis reditibus annuis intra præmonſtrandum tempus proviſurum. Tua vero pietas his polliceatur, quia ex duodecim nominandis (ſi modo inter eos idoneus reperietur) unum Pragenſi Eccleſiæ Paſtorem dabit; Communionem Calicis ea conditione indulgebit, ne putent illam quoad Laicos neceſſariam, ſed prædicantes talia coerceant, & omnem hæreſim ex Regno propulſent. Aut enim ad hæc ſeſe literis ſuis Bohemi conſtringent, & implebunt procul dubio, quod promittent; aut recuſantes ſiniſtram oſtendent ſe mentem habuiſſe; & Apoſtolica Sedes in honore

re manebit, quæ tractatus fraude plenos abjecerit. De reliquis autem erroribus, quibus ajunt Bohemos eſſe infectos, non intelligo cur magnopere diſputemus; diximus enim ſupra, ex omnibus articulis errorem ſapientibus quatuor Bohemos dumtaxat elegiſſe, quos in Concilio defenderent. Denique vero per *Compactata* tribus rejectis, ad unum tantum ſe reduxiſſe de Communione Calicis, & hunc poſt multa utrinque dicta ad diſcuſſionem Concilii remiſiſſe. Quod ſi volunt hodie Bohemi *Compactatis* locum eſſe, & integram unionem quovis errore ſepoſito volunt, aut neceſſe eſt, Bohemos omnem hæreſim abdicare, aut quæ percuſſerunt *Compactata* reſcindere. At vero de bonis Eccleſiarum quodnam, inquit aliquis, reſponſum dabitis? Maximus hic articulus eſt, & qui Regnum perdere poſſet, niſi reſtituantur ablata. Viri docti, quos de his rebus ratiocinantes audivimus, aliter ſentiunt. Nemo eſt enim in Regno, qui aſſerat; Eccleſiaſtica bona, quæ rapta ſunt, non debere reſtitui. Imo vero publice hoc ſcelus accuſatur, quin & occupantes ipſi occulto conſcientiæ verbere quatiuntur; ſed quia vincit eos avaritia, & ſunt domi potentes, neque ipſi ſuapte reſtituunt, neque reſtituere compelluntur. Sed quid multitudini, ſi decem, aut viginti prædia ſibi Eccleſiarum uſurpant? Propter decem bonos ſalvaturus erat Dominus Sodomam, & nos propter decem malos Bohemiam perire putabimus? Et nos in Civitatibus noſtris fures habemus, & prædones, & uſurarios, & adulteros, & ſacrilegos. Nulla Civitas malorum hominum omnino vacua eſt. Non tamen perit proximus ex peccato proximi, cujus non eſt ipſe particeps. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*, inquit Scriptura. Non eſt Regni univerſitas, quæ res Eccleſiarum hodie detinet. Ad privatos quoſdam potentes hæc bona devenere, quos ſine ſcandalo nequeat Regnum ad reſtitutionem compellere. Non eſt igitur, cur hac de cauſa concordiam cum Bohemis devitemus: nam & Baſilienſe Concilium, hoc articulo de Bonis Eccleſiarum ſequeſtrato, Regnum

Bohe-

Bohemiæ in unionem accepit ; & nos *Ulrico de Roſis* , quamvis duorum Monaſteriorum prædia occupet , quia non deficit ad Huſſitas , uſque hodie communicamus . Eſt igitur de hoc articulo ſeorſum tractatus habendus . Et fortaſſe non eſt eorum opinio mala , qui relinquendum quemlibet in ſua conſcientia putant ; redeunt enim homines aliquando ad cor , & ſtimulis acti conſcientiæ, ſi non ſani , ſaltem ægroti cum Deo in rationem veniunt, quumque voluntatis ultimæ ſententiam ſcribunt, complura Eccleſiis legata relinquunt . Quod ſi concordia facta, ſuæ conſcientiæ relinquantur, qui res Eccleſiaſticas invaſere, exiſtimatio non paucorum, neque indoctorum eſt, brevi tempore ditiſſimas apud Bohemos Eccleſias fieri ; morientibus namque Baronibus, aliiſque divitibus, ſemper in partem hereditatis Eccleſia vel teſtamenti, vel codicilli jure vocabitur . Neque timendum eſt , exinde hoc in alios derivari ; neque enim impunita ſunt Bohemorum ſpolia , qui per annos quadraginta, & amplius ſub anathemate viventes, dum vicinos ipſi vexant, & ab ipſis vexantur, adeo attenuati ſunt , ut non modo quæ rapuerunt Eccleſiis bona , ſed patrimonia quoque exhauſerint . Itaque ſequatur audacter Bohemorum veſtigia , ſpoliet Eccleſias , Fidem abneget , quiſquis aut ex divite pauper , aut ex paupere miſer effici cupit . Atque ita de bonis Eccleſiarum ex doctis plerique fabulantur . Verum quia ſupra objectum eſt , ſi concedatur plebibus in Bohemia participium Calicis, Bohemos, qui cum Romana Eccleſia manſerunt, & omnes Theutones ſcandalizatum iri, huic quoque parti obviandum eſt, ne forte credatur illic vulnus eſſe, ubi jam eſt obducta cicatrix . Et de Bohemis quidem facilis reſponſio eſt, nam & ipſi, quos timemus , cum toto Regno conſentiunt, & *Compactata* requirunt . At clam aliquis literas , & nuncios ad Curiam mittit , magnopereque diſſuadet, ne *Compactata* firmentur . Fecit hoc olim *Mainardus de Nova domo*, & *Ulricus de Roſis* , quibus diſcordia frugi fuit ; erant enim alterius factionis principes, & putantes Romanam Eccleſiam manus adjutrices

præ-

præbere, & argenti quantum vellent miniſtrare, maximas opes cumulare, & Bohemiæ dominatum adipiſci ſperabant. Sed nemo eſt hodie hujus animi, quin imo *Procopius Cancellarius*, & alii plerique noſtrarum partium Barones rogati per me ſæpius, quinam modi ſint ad componendam Bohemiam aptiſſimi, *Compactata* ſemper ante oculos habuere, aſſerentes hanc eſſe unam viam, quæ tandem ad formam aliarum provinciarum Bohemiam redigere poſſit. *Compactata* namque ſolum habentibus uſum potionem Calicis indulgent, neceſſitatemque negant. Quod ſi Regnum ea ſuſcipiat, poſt quinquaginta annos vix aliquis vivet de Calice bibens. Neque timendum eſt, ne patres imbuant filios, quando id prohibent pactiones. Et Rex eſt, qui a Calice abſtinet, idque fere agunt Barones omnes. Populus autem plerumque ſuos mores ad vitam Principis reformat; neque enim ſeſe gratum exiſtimat, niſi Domino quam ſimillimus appareat. Presbyteri vero pro pactionibus prædicare cogentur, plebes prædicata ſequentur. Atque ita paulatim & plebes, & Nobiles unum in ritu corpus efficientur, ſalvique omnes fient; malos autem Presbyteros male perdet Deus, quibus in dies morientibus ſufficientur alii, qui vias iſtorum neſcient, atque ſucceſſu temporis tota Bohemia ſalva fiet. Sic Bohemi ſentiunt, qui mecum in hos ſermones inciderunt. Theutones autem, qui vicini Bohemis exiſtunt, cumque his bella crebra geſſerunt, fatemur invitos audire conceſſionem Calicis. Sed hoc odium magis, quam ratio ducit. Non intuetur ira, quæ cæca eſt, verum; oculis enim inimicitia caret. Non tam grave his videturi, ſi centum millia pereant animarum, quam ſi dicatur in populis: juſti fuerunt Bohemi, quibus relicta Communio eſt; injuſti Theutones, qui eam armis prohibere conati ſunt. At viri boni non ponunt rumores ante ſalutem. Vir bonus vel cum ſuæ famæ detrimento animam proximi ſtudebit ſalvam facere. *Nicolaus Cardinalis S. Petri*, quem ſæpe ac libenter in medium adduco (eſt enim Pater auctoritate digniſſimus) quam-

vis

vis Theutonici ſanguinis eſt; non tamen hujus Communionis cauſa perdendos eſſe Bohemos exiſtimat; intelligit enim vir ſapiens, Communione conceſſa, non propterea juſtificari, quæ bella geſſerunt Bohemi, ſed damnari magis. Non enim iccirco pugnatum eſt, quia ſub utraque ſpecie Sacramentum ſuſciperent, ſed quia ritum Eccleſiæ propria temeritate mutaverant, & ſalvari neminem aſſeverabant, qui non participaret de Calice. At quum decretum ſit, Communionem Calicis non cadere ſub præcepto Domini, Bohemique loco gratiæ ab Eccleſia Romana permiſſionem Calicis expectant; nos juſtos, illos iniquos, nos victores, illos victos; ipſius concordiæ tenor, ac decretum manifeſtabit. Quod ſi ſecus eſſet, non Theutones tantum, ſed ipſam Romanam Eccleſiam, cujus imperio pugnatum eſt, *Compactata* deturparent. At quamvis abhorrent Alamanni, ſeu Theutones, hujuſcemodi conceſſionem, non tamen irritantur, neque ſiniſtri machinantur aliquid. Intelligunt enim aut pugnandum eſſe cum Bohemis iterum, aut quem tenent ritum eis permittendum; & quum malum utrumque reputent, ritum illis indulgendum potius cenſent, quam cum periculo libertatis, & vitæ totiens dimicandum. Eam ob cauſam quum Baſilienſis Concilii concordia interceſſit, murmuraverunt, & obloquuti ſunt, ut in re aſſolet nova, Theutones. Sed cognita cauſa, & intellecto fructu, quieverunt. Idem quoque & nunc facient, veroſimile eſt; neque enim confirmatione pacti male commovebuntur Theutones, quos prima conceſſione non vidimus irritatos. Poſtremo timent nonnulli, ne conceſſo Bohemis Calice, reliqua Occidentis Regna ſimilem facultatem expoſtulent. Sed ridiculum eſt, quod iſti formidant; neque enim ſibi poſtulant homines, quod in proximo damnant. Scientes Fideles populi ſub una ſpecie Sacramenti Chriſtum totum, & integrum contineri, quaſi delirantes putavere Calicem ſibi miniſtrari petentes; & quomodo ipſi nunc errorem imbuent, quem in aliis damnaverunt? Non ſunt Reges ac Principes noſtri tam pauca de ſe ipſis præſumentes, ut imi-

ut imitari Bohemos quaſi Magiſtros velint. In tantum præterea noſtræ gentis imminutum videmus Religionis fervorem, ut formidabilius ſit plebes noſtras utramque Sacramenti ſpeciem fugere, quam requirere. Theutones autem, & qui vicini ſunt Regno Bohemiæ, adeo nomen Bohemicum horrent, adeoque illi genti ſunt infeſti, ut nedum mala, ſed nec bona illorum opera imitari velint. Non eſt itaque credibile, Orbis noſtri Reges, aut Civitates quovis modo Communionem Bohemicam affectare, niſi dexteræ Dei mutatio intercesſerit. Quod ſi voluntas Spiritus Sancti fuerit, neque debebimus, neque poterimus reſiſtere. *Heu nihil invitis fas quemquam fidere Divis*, inquit ille. Deus nobis & Fidem, & ritum cerimoniarum dedit. Quæ ſunt Fidei, non variantur. Quæ nunc veritas eſt, in æternum veritas erit. *Eloquia Domini, eloquia caſta, & argentum examinatum ſeptuplum*. Quod de Fide verum eſt Indis, idem & Hiſpanis eſt verum. Cerimoniarum autem, & ſacrorum ſolemnium ritus apud diverſas gentes diverſi reperiuntur; nec nobis divina pietas indicavit, qua magis obſervatione lætetur, niſi quia credibile eſt, quæ communiora ſunt, ea Deo magis accepta eſſe; neque enim abſque nutu divino paulatim creſcere, & in omnem terram exire, ac recipi cerimoniarum obſervationes poſſunt, neque nos pertinaces eſſe decet adverſus devotiones hominum, quæ non ſunt divinæ legi contrariæ. Quod ſi contingat, ad omnes gentes Calicis participium dilatari, putandum erit Dei decretum id eſſe, cui credere omnes tenemur; neque Bohemia, ſed Deus ipſe, nos ſuperabit, & ipſe ſibi quo pacto reverenter, & caute miniſtretur, abunde providebit. Quum ergo fratres noſtri Bohemi ſint, & Baptiſmi noſtri participes, quem nos veneramur Chriſtum colentes: compati eorum ignorantiæ, non indignari, debemus. Tam pro illis, quam pro nobis, paſſus eſt Chriſtus. Quærenda eſt omnibus artibus eorum ſalus. Quod ſi Dominus, & Deus noſter pro redemtione noſtra, ne Diaboli mancipia eſſemus, ex ſumma Cœli arce in Terram deſcendere, carnem aſſume-

ſumere, humana incommoda ferre, capi, ligari, cædi, ac demum in ligno Crucis cum ſumma turpitudine mortem ſubire non recuſavit, quonam pacto exiſtimare poſſumus, clementiam ejus Bohemos male perire, quam ſuum his ſanguinem potandum concedere, quem paſſim inter homines Eccleſiæ primitivæ diſtribuit?

Hæc ſunt, quæ de rebus Bohemicis ex aliorum fontibus hauſimus. Non tamen his omnino accedimus; neque enim noſtri viſus acies tam profunda intueri poteſt. Nimis profundæ ſunt hæ cogitationes mihi. Caligant oculi mei, quum Solis aſpiciunt radios. Tuæ Sanctitatis eſt hæc diſcernere, tuæ Sedis eſt inter cauſam, & cauſam, inter ſanguinem, & ſanguinem, inter lepram, & lepram dijudicare. Habes in circuitu Sacrum Senatum, qui falli non poteſt. Nihil eſt, quod tuus Thronus ignoret. Utrumque reconditum eſt in tuo pectore Teſtamentum veteris, & novæ legis. Tu ſolus Interpres. Tuæ pietatis eſt arbitrari. Nos quantum capimus, tantum ſapimus. Sed quia vidimus Patres in Baſilea reſidentes, antequam Concilium auctoritate Apoſtolica ſolveretur, genti Bohemiæ potum Calicis indulſiſſe, ratione pari & nunc indulgendum opinamur magis quam credimus. Nec nos movent, qui propterea negant cum Bohemis denuo paciſcendum, quia priora non ſunt ab his pacta cuſtodita. Habent namque Bohemi multa, quę objiciant, ne fidei fractores videri queant. Sed ignoſcendum eſt etiam frangenti fidem, dicente ad Petrum Domino; *Non tantum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties*, peccanti in ſe fratri remittendum. Admonendi, & revocandi ſunt cum ſumma caritate Bohemi, tanquam fratres, & coheredes noſtri in Regno D. N. J. C. Quod ſi recipiunt admonitiones, & in pactis perſeverant, lucrati ſumus animas fratrum. Si minus, non eſt pejor noſtra conditio, quam ante fuit. Nihil nobis perit, imo coram vero juſtiſſimo Deo, & apud mortales commendabitur tua pietas, quæ pro reductione gregis errantis nihil omiſerit. Durities illorum probro, tua facilitas laudi dabitur.

F I N I S.

Digitized by Google